[illegible]

GEDEONIS GLADIUS.

GEDEONIS GLADIUS

PROPOSITIONES A' SS. D. N. INNOCENTIO XI.

Damnatas, Angelici Doctoris Ope, penitùs profligans, radicitùsque convellens.

Auctore Reverendo Patre Sacræ Theologiæ Lectore

FR. LAURENTIO MARIA PISANI
ORDINIS PRÆDICATORUM,
Fidelissimæ Civitatis Mylarum.

Opus tàm Scholasticis, quàm Moralis Theologiæ cultoribus perutile: ubi verus sensus, in quo prædictæ Propositiones damnantur, explanatur, variique Conscientiæ casus resolvuntur.

ADDITA APPENDICE

Circa Observationes, supra easdem Propositiones, editas à Rev. P. M. Fr. Raymundo Lumbier, Ord. Carmelitarum; in qua nonnullæ controversiæ iterùm dirimuntur.

Illustrissimo, atque Reverendissimo D. D.

F. ANGELO MARIÆ CARLINI
Ordinis Prædicatorum,
ARCHIEPISCOPO CORYNTHI.



VENETIIS, M. DCCIV.
Apud Aloysium Pavinum.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ILLUSTRISSIME, ac Reverendiſs. Antiſtes.



Ladium, non quem è vagina liberari nefas ſit, ſeu nudatum neceſſe ſit illicò recondi, ſed ex Divinæ Sapientiæ armamentario deprompţum, tum ad caſtigandam nimiam opinionum licentiam, tum ad abſtergendam ingratam moleſtiſſimamque ex hominum animis religionem, tibi dicatum volo Præſtantiſſime atque Optime Præſul. Hanc autem nuncupandi hujus operis Nomini tuo cauſam habeo. Vineæ ſuæ procurandæ præfectum te voluit Divinus Paterfamilias: non itaque ab officio tuo alienum erit certis ſtatiſque temporibus gladio hoc, tamquam vinitorio cultro uti; cum ſcilicet in ſylvam abit, & ſterili ubertate laborat Vinetum. Mirum profectò tum integritati Eccleſiæ ſervandæ, tum reparandæ ſaluti quantum conferat, ex Doctoris Angelici cote gladium hunc aciem, nitoremque ſuum traxiſſe: idque in ea Domini-

canæ familiæ parte, in qua ſeverioris diſciplinæ inſtitutis ad grande illud, & Divinum munus, quo caſtiſſimè nunc, ſanctiſſimèque fungeris, eruditus es. Dum adhuc privatum illud vitæ genus complexu ſuo te coerceret, vidit te Italia Divina eloquia, gladium nempe utraque parte acutum ſummo mortalium bono tractantem. Vidit te non tam eximiæ dignitatis, quàm doctrinæ, pietatis, cæterarumque virtutum nota inſignem, mirataque eſt Conſtantinopolis primùm, tota dein Peloponneſus ampliſſimis, & immortalibus à te affecta, atque exornata beneficiis. Hinc ex Veneti Senatus Conſulto (quo nihil magis efficax ad comparandam hominibus famam excogitari poteſt) adminiſtrandæ Coryntbi Eccleſiæ præpoſitus es: quod maximis laudibus ab univerſa Italia exceptum eſt: quodque incredibili voluptate tota penè Græcia tamquam ſingulare illius Orbis bonum celebravit. In ea modò re utriuſque gentis Vota verſantur, ut diù multùmque Eccleſiæ commodo, & gloriæ vivas. Quid publicis his æquiſſimiſque votis addere ego poſſum? Plenè cumulatèque omnium, meiſque precibus & votis occurrat D. O. M. teque ampliſſimè fortunet.

Humillimus & Addictiſſimus Servus
Aloyſius Pavinus.

LI-



LIBELLO AUCTOR.



Uònam progredi ſub incude vix fabrefacte, nondùm ad limam, haud formam nacte, imperite niteris gladie? E prælo ad prælium properas nulla prorsùs excultus arte? E cellis numquid milites, ex bibliothecis nè gladii erumpunt? E mancipatis hoſtiis, hoſtium caſtra petuntur? Proh rerum inverſum ordinem! At nil novi è ſacra Prædicatorum turma adversùs hæreſes, Eccleſiæ hoſtes, morumque fædatores arma perſtringi, ex eorum litterariis thecis ancipites ortum ducere enſes, eorumque domiciliis pro Eccleſiæ militantis ſubſidio ſtrenuos Chriſti milites enutriri. Belli adversùs Albigenſes ortus hic Ordo, bellandi morem à Protoparente ſuxit. Diſputationibus in Licæis, Concionibus in plateis, ferro quoque in Sanctæ Inquiſitionis Tribunali ſtrenuè certare non deſtitit: Petro namque Martyre, Angelico Thoma, Ferrerioque Vincentio vexilliferis ſub inclyto Duce Dominico (pugilum Fidei ab Innoc. III. non immeritò nomenclaturam adepti) belligerantes Dominicani, haud ſemel triumphali redimiti ſunt laurea. Hujus propaginis athletis continuò, & hactenùs uſa eſt Principis Apoſtolorum ſedes: hac præcipuè tempeſtate, ut opinionum pelliciem, in perniciem quotidie graſſantem animarum, compeſceret, à fæl. rec. Alexandro VII. hujus Ordinis Generali Magiſtro, ut ſuorum acies adversùs eas ordinaret, nonniſi cura demandata eſt: nec fefellit eventus: nam Vincentius Baronius eodem tempore, quo Romæ expunctæ illæ olim ab Alexandro fuere, tomos aliquot in Gallia edidit, funditùs eas evertens, ut non priùs Summi Pontificis auctorita-

te damnatæ, quàm ejus fuerint lucubrationibus enervatæ, earum, quas nuper Sanctissimus Dominus noster Innoc. XI. (quem diù suæ Ecclesiæ Deus incolumem servet) explosit, plerasque multò ante Mercorus, Minutolus, Gonetus, idemque Baronius, præ cæteris fœliciter profligarunt. Non mirum igitur in dies hujus emeritæ Religionis claustra enses parere, ut meritò ejus alumnis illud Psalmodiæ, *& gladii ancipites in manibus eorum* aptari queat:

At cur jactabundè Gedeonis nomine gloriaris? Adeò namque in tua gracili virtute confidis, ut illius instar hostes ad internecionem usque perimere audeas? Tàm altè de te sapis, dum tamen humiliter de tui militis exili manu sentire deberes? At sanè æquum est tibi hoc prẹfulgido potiri epitheto dùm nonnisi Angelici Doctoris ope evaginatus, illius te versat dextera, cujus Doctrinæ occinens, ait Ecclesia: fit *Gedeonis*, *Gladius*, *tuba*, *lagena*, *radius*.

At siste quæso gladie. Vanum est cum victis pugnam inire; indecorum jam prostratos opprimere; jam Petri pugione cruore perfusos aggredi.

At proficiscere, propera, erumpe. Frustraneum haud est certamen cum iis percutere, qui etsi victi, Anthæi instar, animi non deposuere proterviam; non laude vacuum, SS. PP. omniumque Scholasticorum exemplo, qui hucusque ab Ecclesia damnatas hẹreses eradicare minimè sinunt, auctoritate jam interemptas rationibus eliminare; quin de his dictum: *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*. Si fidimus Aquinati. Haud exuberans Apostolico mucrone, etsi exteriùs attritos, interiùs adhùc non penitùs fractos invadere. Nonnè tibi quamplurimis Trinacriẹ plagis evaginari opus fuit ut aliquorum amputares subdubitantis ingenii prunos. Lucem igitur appetere pro cunctorum profectu nimietate carebit. Etsi forsan tui militis in feriendi arte peritiam, neutiquam pro Vaticani obsequio decertandi studium abnegare poterit Orbis; ut nuper in thesibus de Summi Pontificis auctoritate editis jam agnovit. Ad agonem igitur irrue, Angelici namque (Cherub est mystici Paradisi, flammiferum, atque versatilem rutilans gladium) Doctoris ope fretus, ut

verax

verax Gedeonis Gladius, hæc à Sanctissimo Domino nostro damnata Theoremata (auguror) penitùs profligabis, è cordibus radicitùsque convelles. At quam mihi mercedem, qui te evaginandum curavi exhibebis? O utinam (non aliam opto) impiorum in me gladios pro Catholicę Fidei veritate centuplos germinares.

Reliquum est, ut te legentibus sinceritatem, qua cultu prosequor cernuo hos ipsos, quos arguo, palam facias; opinionibus namque meum est adversari: aliquarum verò ex consectariè illatis, intrà damnatarum ambitum non occlusis, solùm rationum ponderi, lectorumque arbitratui judicium relinqui; nullamque eis censurę notam te inurere inquies: styli imbecillitatem aspernantibus, te sapientibus, ac insipientibus debitorem, omniumque captui non imparem oportere responsum dabis: porrò non Rethorum fucis, sed argumentorum jaculis dimicandum: belligeros milites galeatos, minimè opus esse fucatos. Si inopię te criminentur, aliquid temporis avaritię, partim, quibus angustor curis, librorum penurię nonnihil, plurimùm ingenii hębetudini remitti, supplex exposce: mendicantis proles nonnisi pauperiem poterit redolere. Adversùm te obloquentia nè timeas ora, non enim sine causa Gladium portas. Si in me insurgant detractores, nil tibi esto, libenti namque animo illis ignosco, nè cum alias didicerim (si fortè quid sapio) disciplinas maximam è Crucis Cathedra ab Incarnata Sapientia effusam oblivioni tradam. Iis, quos noveris humaniter te excipere, plurimas humiliter, venerabundus gratias age: & si mihi jus in te est: pone Gladium tuum in vaginam.

DECRETUM SS. D. N. INNOCENTII PAPÆ XI.

Feria v. die 2. Martii 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctiss. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiss. & Reverendiss: Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fœl. record. Alexandro VII. Prædecessore suo incboatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel Thesibus, seù scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis. Idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tanquàm scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & probibendas, sicuti eas damnat, & probibet. Non intendens tamen, Sanctitas Sua per boc decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exbibitas, vel exbibendas ullatenùs approbare.

1 Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. pag. 1.

2 Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. pag. 27.

3 Generatim dum probabilitate, sivè intrinseca, sivè extrinseca

quam-

quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. pag. 35.

4 *Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili. pag. 47.*

5 *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. pag. 49.*

6 *Probabile est, nè singulis quidèm rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. pag. eadem.*

7 *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus. pag. eadem & fusiùs in Append. à n. 15.*

8 *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui. pag. 55.*

9 *Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. pag. 79.*

10 *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. p. 60.*

11 *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. pag. 60.*

12 *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui. pag. 66.*

13 *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. pag. 69.*

14 *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. pag. 76.*

15 *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. 78.*

16 *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se. pag. 79.*

17 *Satis est, actum fidei semel in vita elicere. pag. 84.*

18 *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno. pag. 117.*

18 *Vo-*

19 *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* p. 120.

20 *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* pag. 129.

21 *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis; immò cum formidine qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* pag. 98.

22 *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* pag. 99.

23 *Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.* pag. 86.

24 *Vocare Deum in Testem mendaci levis nòn est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* pag. 133.

25 *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sivè res sit levis, sivè gravis.* pag. 140.

26 *Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria spontè, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quòd revera fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* pag. 147.

27 *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & virtuosa.* pag. 152.

28 *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* pag. 157.

29 *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* pag. 161.

30 *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* pag. 166.

31 *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* p. 173.

32 Non

32 *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus incboatum babemus, & quæ nos possessuros speramus. pag. 177.*

33 *Licitum est tàm bæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel bæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus babenti in Catbedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem. pag. eadem.*

34 *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè Puella deprebensa gravida occidatur, aut infametur. pag. eadem.*

35 *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem babere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu bomicidium committi. pag. 179.*

36 *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi. pag. 180.*

37 *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè beris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. pag. 183.*

38 *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. pag. 187.*

39 *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. pag. 194.*

40 *Contractus Mobatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævìè inito cùm intentione lucri. pag. 196.*

41 *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari. pag. 199.*

42 *Usura non est dum ultrà sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum. pag. 205.*

43 *Quidni nisi veniale sit detrabentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. pag. 208.*

44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & bonorem defendat. Etsi boc non*

sit pro-

ſit probabile , vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. pag. 211.

45 *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi; vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. pag. 214.*

46 *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis. pag. 225.*

47 *Cùm dixit Concilium Tridentinum:* eos alienis peccatis communicantes *mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint ad Eccleſias promovent,* Concilium *vel primò videtur per hoc digniores, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò quando fit concurſus. p. 230.*

48 *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur. pag. 244.*

49 *Mollities jure naturæ probibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. 251.*

50 *Copula cum conjugata conſentiente marito, non eſt adulterium adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. p. 252.*

51 *Famulus qui ſubmiſſis bumeris ſcienter adjuvat berum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà nè à Domino malè tractetur, nè torvis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur. p. 254.*

52 *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. p. 262.*

53 *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit. p. 163.*

54 *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nibil tenetur, quia major pars trabit ad ſe minorem. pag. 266.*

55 *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. p. 269.*

56 Fre-

56 Frequens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. p. 272.

57 Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam. pag. 274.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. 278.

59 Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ. p. 292.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. p. 297.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. p. 301.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. p. 306.

63 Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. p. 314.

64 Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnat. Dom. N. Jesu Christi. pag. 318.

65 Sufficit illa Mysteria semel credidisse. p. ead.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit vel ediderit, vel de eis disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus, Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores,

seu

ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterùm ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tàm in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhùc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.
Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, die verò 4. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ XI. anno tertio ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuìt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Raimondo Aſperti Inquiſitore, nel Libro intitolato *Gedeonis Gladius Propoſitiones à SS. DD. Innoc. XI. damnatas Angelici Doctoris ope profligans, &c. Auctore R. P. Lect. F. Laurentio Maria Piſani Ord. Prædicatorum,* non v'eſser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à D. Alviſe Pavin Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa. Dat. 20. Zugno 1703.

(*Ferigo Marcello Procurator, e Reformator.*
(
(*Marin Zorzi Reformator.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

PRO



PROPOSITIO PRIMA.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

1 Ræmitto primò, probabilitatem de valore Sacramenti oriri posse, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ, vel ministri, vel subjecti recipientis: ex parte quidem formæ, ut est illa probabilis opinio de forma Baptismi: in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, & hæc probabilitas ex parte formæ semper est probabilitas ex parte Juris, non ex parte facti. Circa reliqua enumerata, probabilitas potest esse, vel ex parte Juris, vel ex parte facti: & quidem, circa materiam Baptismi certum est ex parte Juris debere esse aquam naturalem; ex parte verò facti, dubitatur, & est pro utraque parte probabilis opinio: an aquæ ex hærbarum succis extractæ sint vera, & naturalis aqua: similiter: an tipha, vel simile sint verum triticum, quod ex parte Juris, certum est esse materiam Sacramenti Corporis. Ex parte Juris verò dubitatur pro Pœnitentiæ Sacramento, an sufficiat Attritio, an verò requiratur Contritio: pariter de materia Sacramenti Ordinis; cum Græci in Presbyteris ordinandis, etiam

Romæ Summo Pont. præſente, teſte Card. de Lugo, non utantur porrectione calicis, & patenæ, ut mos eſt Latinis, ſed contactu Aræ, in qua eſt calix: hæc autem ad eandem reducitur Latinorum materiam; eſt namque mediatus calicis contactus. Circa miniſtrum Sacr. Pœnit. millenæ ſunt controverſiæ, ac probabiles opiniones: pariterque de miniſtro Confirmationis in dubium vertitur adhuc: an ſimplex Sacerdos ex Summi Pont. diſpenſatione valeat illam miniſtrare.

Circa ſubjectum Sacramenti Baptiſmi, & ex parte Juris, dubitatur, an validè conferatur per manus, ſive pedis, vel alterius partis à capite ablutionem: ex parte facti verò: an talis ſit capax, ut ſi naſcitur monſtrum, de quo dubitatur; an ſit Anima rationali præditum.

2 Præmitto ſecundò, illam opinionem probabilem carentem certitudine metaphyſica; ſed conſuetam, & approbatam in Eccleſia, eſſe certam moraliter; ac proinde quamvis oppoſita ſit tutior; ipſa tamen eſt tuta, periculoque caret: ut eſt contactus Aræ, quo utuntur Græci in conferendo Presbyteratus Ordinem: vel conſecratio Epiſcopi à duobus Epiſcopis, & altero Abbate, & ſimilia in Eccleſia conſueta: unde non eſt dubium, his uſitatis materiis uti, illicitum non eſſe, ſicut, nec illicitum eſt abſolvere pœnitentem cum Attritione cognita; etſi certum non ſit omninò, contrariam opinionem requirentem Contritionem eſſe falſam, ut conſtat ex Decr. Alex. VII. quo dato, ſecuriùs eſſet accedere cum Contritione, quàm cum Attritione cognita: attamen, quia opinio aſſerens Attritionem ſufficere, nedùm eſt probabilis, ſed tuta, tùm ex Conc. Trid eam approbante; tum ex communiori Theologorum ſententia; tùm ex Decr. Alexandri; tùm ex praxi Eccleſiæ, & fidelium: ex præſenti damnatione non exploditur.

3 Sermo igitur eſt in præſenti de illis opinionibus merè probabilibus, quæ nullo modo ſunt ab Eccleſia uſitatæ; quapropter non ſunt tutæ, cùm id, nec ex ſe, nec ex Eccleſiæ habeant uſu; & aliàs verſantur in concurſu alterius, quæ eſt certa materia, vel forma Sacramenti; quod non evenit quando utraque eſt ab Eccleſia uſu recepta: non eſt enim tunc altera illarum adeò determinatè certa, ut alteram excludat: & hoc patet ex verbis

rela-

relatæ propositionis, ubi sermo est de opinione tantùm probabili in tutioris concursu; non autem de tuta, etiam in tutioris conflictu: undè locum non habent quorundam scrupuli, quibus anguntur in prolatione verborum; vel de intentione in Sacramentis conficiendis dubitant: quoniam, etsi meliùs esset verba sine alicujus literæ diminutione proferre, & actualem intentionem habere: tamen citrà dubium est, & tutum, sufficere virtualem intentionem; & prolationem verborum, quæ sensum non mutat satis esse, ut docuit Angelicus *3.p.q.60.art.8.*

4 Antequàm autem ad hanc propositionem impugnandam accedamus, oportet sensum ejus verbalem explanare: videtur enim sibi contraria, dum in principio asserit, *Non esse illicitum uti opinione tantùm probabili*; & in fine infert *hinc sententia probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*. Quod est contradictorium illius primi dicti. Quomodo ergo ex illo infertur?

Pro quo sciendum est, quòd illi Doctores, qui asserunt non esse illicitum uti opinione probabili in Sacramentis conferendis, ut est Tamb. *lib.1. explicat. Decal. ca.*354.*n.*20. Vasq. 1.2.*q.*19.*art.* 6.*dub.*63.*cap.*2.& 4. Basil. Pont. *lib.*4. *de Matrim.cap.*25.*n.*9. Merolla *to.*1.*dub.*3. Diana *p.*1.*tract.*13 *resol.* 2. qui ait esse comunem, licèt falsò: limitant tamen hoc dictum, ut in aliquibus casibus non liceat, & in his, ajunt, non peccare contra reverentiam debitam Sacramento, sed contra Charitatem proximi. Casus, quos excipiunt, habentur apud Tambur. *loco cit.* his verbis. *Nisi tamen obstet usus, & consuetudo Ecclesiæ, vel tacitum pactum cum suscepturo Baptismum*, & Diana *loco cit.* addit periculum gravissimi detrimenti: quæ sunt eædem exceptiones, ac illæ adductæ in propositione, ubi dicitur, *nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*, & quia supponunt consuetudinem, aut legem, aut periculum gravis damni in Sacramento Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, ideò inferunt, non ex primis verbis, sed ex exceptionibus additis, illa postrema verba, in quibus dicitur: *hinc sententia tantùm probabili &c.*

Ex quo sequitur intentionem Summi Pont. esse damnandi illam propositionem absolutè, itaut opinione tantùm probabili

non liceat uti in Sacramentis conferendis relicta tutiore, non solùm in illis casibus exceptis, sed in omnibus; quia videlicet per hoc fit injuria, & irreverentia Sacramento; ac proindè, etiam si aliud non obstet, & in omnibus Sacramentis, non solùm in illis exceptis, illicitum est. His præmissis.

5 Dico primò. Illicitum est in Sacramentis conferendis uti opinione tantùm probabili relicta tutiore de valore Sacramenti, tàm circa materiam, quàm circa formam: quàm etiam circa ministrum, & subjectum extrà casum necessitatis.

Colligitur ex S.Th. infrà adducendo, eam docet Nugno 3.*p.q.* 60. *art* 2.*difficult.* 3. *in resp ad arg.* fusè probat Mag. Minutulo Siculus Ord. Præd. *in lib. de opin.prob.art.* 1. *conclus.*2. & cœteri Thomistæ, qui id asserunt de actibus humanis, à fortiori id asserere tenentur in conficiendis Sacramentis.

Prob. Primò Ang. Doct. authoritate, qui 3.*p.q.*60. *art.* 7. *ad* 2. *ait: licèt in qualibet lingua contingat diversis vocibus idem significari, semper tamen aliqua illarum vocum est, qua principaliùs, & comuniùs homines illius linguæ utuntur ad hoc significandum, & talis vox assumi debet in significatione Sacramenti.* Ubi observa S. Doctorem non esse contentum opinione probabili: excludit enim vocem idem significantem, si non sit principalior, & comunior; & tamen probabile est per illam effici Sacramentum, dùm idem significat, & requirit principaliorem, & comuniorem, de qua nullum sit dubium, sed sit certa, & tutior.

Probatur ratione. Utens opinione tantùm probabili relicta tutiore irrogat Christo institutori Sacramentorum irreverentiam in re gravi; ergo peccat mortaliter, & consequenter illicitè agit. Probant. Institutori irreverentia fit si contra, vel præter ejus institutionem fiat; adhibendo autem materiam, vel formam probabilem relicta tutiore de validitate Sacramenti, fit contra institutionem Sacramentorum Auctoris, videlicet Christi: ergo ei irrogatur irreverentia. Probatur minor, quia intentio institutoris est, ut Sacramenta fiant adhibita forma, & materia certa, quod patet à paritate aliorum Legislatorum, qui requirentes aliqua media ad finem, ea certa non probabilia requirunt: sic observamus in ætate requisita ad sacros ordines suscipiendos, vel professionem emittendam, & similibus: & etiam

ex

ex ipsa Sacramentorum institutione, pro quibus Christus ipse materiam, & formam determinavit: sed qui utitur opinione tantùm probabili, relicta tutiore, non adhibet certam formam, & materiam, sed quæ dubio subest, an in re sit talis necne: ergo facit contra institutionem Christi.

Confirmatur. Probabilitas opinionis efficere nequit esse veram formam, aut materiam, quæ in re talis non est; & aliàs Sacramentum non conficitur, si forma, vel materia vera non esset: undè comuniter asseritur Eucharistiæ Sacramentum non confici, si panis revera non sit triticeus, quantumcumque talis existimetur: similiter de Attritione, aliisque Sacramentorum materiis eorumque formis: ergo utens tantùm opinione probabili de validitate Sacramenti exponit Sacramentum periculo nullitatis: atqui exponere Sacramentum periculo nullitatis est magna irreverentia Auctori Sacramentorum Christo; videtur enim uti rebus tàm sacrosanctis pro suo libito; nec minor irreverentia est ac illa, qua quis simulat Sacramentorum administrationem, de quo infrà: quod licèt non faciat ea intentione, ut irrideat Sacramentis, vel ejus institutori; tamen actio ipsa est parvipendii contemptus, & irrisionis, eo modo, quo infrà dicemus cum S. Th. de adducente Deum in testem mendacii: ergo iste talis peccaret mortaliter, & illicitè ageret ex hoc præcisè capite.

6 Dico 2. Etiam in casu necessitatis, illicitum est uti opinione tantùm probabili, relicta tutiore de validitate Sacramenti, si probabilitas sit circa materiam, formam, aut subjectum capax Sacramenti; secùs verò si sit circa ministri jurisdictionem, quandò hæc dependet ab Ecclesia.

Prob. 1. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed malum est, & illicitum ex se uti opinione tantùm probabili; & necessitas non tollit, quin tunc exponatur Sacramentum periculo nullitatis; quin materia subjaceat dubio, & consequenter fiat contra Christi institutionem; licèt aliquatenùs minuatur irreverentia; quia non fit pro libito, sed ad consulendum saluti proximi, ergo nec in casu necessitatis potest quis uti opinione probabili de validitate Sacramenti.

7 Dices primò. De duobus malis minus est eligendum, ut

habetur *cap. Duo mala*, ſed minus malum eſt exponere Sacramentum periculo nullitatis, quàm animam æternæ damnationi, cujuſmodi eveniret, quando infans morti proximus eſſet baptizandus, nec haberetur aqua, niſi roſacea: vel monſtrum natum moreretur, nec poſſet expectari certitudo, an anima rationali careat: ergo in his caſibus, vel ſimilibus non illicitè quis uteretur opinione tantùm probabili, relicta tutiore de validitate Sacramenti.

At totus hic diſcurſus falſus eſt; & ut à minori incipiam: falſum quidem eſt eſſe minus malum exponere Sacramentum periculo nullitatis, quàm proximum periculo æternæ damnationis: ratio eſt, quia illud eſt malum culpæ, hoc verò eſt malum pœnæ; at majus malum eſt malum culpæ, quàm malum pœnæ, ut docet Angelicus 1.*p.q.*48. *ar.*6.*in corp.* quod duplici ratione probat, & ſe explicat de malo tàm ſenſibili, quàm de privatione Gratiæ, & Gloriæ. Tùm etiam, quia, nemo tenetur vitare malum proximi cum damno proprio ſpirituali; licèt pro bono ejus ſpirituali teneatur cum damno proprio corporali, ut docet expreſsè S.Th. 2.2.*q.* 26. ibidem latè Bann. & alii, & etiam S. P. Aug. *lib.de mendacio*, *& contra mendacium*; qui non admittit mendacium eſſe dicendum, neque ad propriam vitam tuendam, neque ſi ſalus animæ proximi periclitetur: in caſu autem neceſſitatis non ceſſat ratio irreverentiæ debitæ Sacramentis, & periculum nullitatis, ut probavi; undè etiam in eo caſu non deſinit eſſe malum conficere Sacramentum cum forma, vel materia tantùm probabili.

Major quoque non benè adducitur in propoſito: nam, de duobus malis minus eſſe eligendum, habet locum, quando alterum eorum neceſſariò debet eligi ab operante; in præſenti autem, non eſt actio elicienda ab eo, qui conferre deberet Sacramentum, damnatio infantis, ſed eſt ab ipſo permiſſa, cum non poſſit ritè ejus indemnitati conſulere; non ſunt enim facienda mala, ut mala vitentur, ut loco cit. ait S. Aug. Secundò, quia illa regula locum habet, quando minus malum clauditur in majori, tanquàm pars in toto, & unum eorum neceſſariò debet eligi: quapropter parato ad furandum 100. aureos, ſi aliter non poſſum eum retrahere, poſſum conſulere, ut furetur decem;

quia

quia in tali casu non consulo malum, sed mali diminutionem, quod est bonum: non autem si mala disparatè se habeant, potest alterum eligi: si namque infidelis mihi proponeret, vel fornicari, vel pejerare, & ad alterum eorum cogeret: neutrum eligere licitè possem: undè S. Aug. *loc. cit.* non excusat Loth à peccato, eò quòd civibus Sodomæ obtulerit filias stuprandas pro evitando majori facinore, quod committere tentabant cum Angelis ejus hospitibus sub forma juvenum.

8 Ex his confirmatur iterum conclusio. In tantùm est illicitum uti opinione tantùm probabili, quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis; ideòque per adversarios in casu necessitatis licitum est, quia saluti animæ consulitur, hocque per ipsos esset majus malum: at in tali casu non cessat periculum nullitatis; & aliàs ita peracto Sacramento non certò consulitur saluti Animæ, quia si revera Sacramentum in eo casu non conficitur, nihil saluti animæ prodest. Hoc supposito sic argumentor. Expositio Sacramenti periculo nullitatis est certa, etiam stante necessitatis casu, & quòd indè sequatur salus animæ est incertum; sed in nullo casu est licitum facere malum certum pro bono incerto consequendo: ergo in casu necessitatis non licet &c.

Ex quo sequitur multò minùs licere ad effugiendam mortem comminatam à Tyranno, posse adhiberi formam, aut materiam probabilem tantùm, relicta tutiore, putà, baptizando sub hac forma: in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati; vel cum aqua rosacea, & similibus.

9 Dices 2. In casu necessitatis, quando, ex.gr. non adsit aqua naturalis ad baptizandum infantem morientem, suppetat autem rosacea; non diceretur minùs probabilem sequi, tutiore relicta; nam non deseritur, nisi id, quod in promptu est; tunc autem non adesset: ergo pro casu necessitatis non urget damnatio nec ad ipsum est extendenda, cum dicatur, *relicta tutiore*.

Resp. negando ant. Pro quo, nota transitum, qui fit in ejus probatione, dùm à relictione opinionis ad relictionem materiæ transit argumentum: in eo namque casu, verum est non deseri materiam certam, & tutiorem, cum non adsit: attamen etiam pro eo casu concursus opinionum versatur: absente namque

aqua naturali, de rosacea, quæ præstò adest, duplex circumfertur opinio: altera asserens non esse legitimam Sacramenti Baptismi materiam cum non sit naturalis aqua, aquam esse certam materiam citrà dubium est; & hæc est tutior: altera propugnans esse aquam naturalem, legitimamque materiam, & hæc est solummodò probabilis, minùsve tuta; cum per eam periculo nullitatis exponatur Sacramentum: qui ergo hac opinione ùteretur, in praxi tutiorem relinqueret, minusq; tutam eligeret: hoc autem damnatur in prædicta propositione, in qua de opinione est sermo, dum dicitur, *uti opinione tantùm probabili, relicta tutiore*; & ex verbis ipsius Diplomatis Pontificii constat inhiberi, nè quis ad praxim aliquam harum opinionum deducat.

10 Sed inquies: Nunquid animas Christi sanguine redemptas irreparabiliter perire viscera patientur humana?

Respondeo, in his casibus posse sub conditione ministrari Sacramentum, putà dicendo, si es capax, quando dubium est ex parte subjecti: si hæc est vera materia, si dubitatur de ipsa; sic enim satis consulitur saluti animæ in extremis periclitantis, vitaturque periculum irritandi Sacramentum, ac irreverentia, & ita Parochi instruuntur ex Rituali Rom. edito à Paulo V.

11 Quò ad secundam partem de ministro, cujus Jurisdictio dependet ab Ecclesia; probatur, quia in his casibus censetur Ecclesia suam Jurisdictionem conferre: non potest autem Ecclesia efficere, ut sit vera materia, vel forma, quæ de facto talis non est: ex quo patet ratio discriminis.

12 Non tamen id admittendum extrà casum necessitatis, ut videntur contendere Less. Suar. Sanch. Basil. Pont. & alii apud Tambur. *loco sup. cit. n.* 21. quia non est præsumendum Ecclesiam conferre jurisdictionem pro libito, sed tantùm pro necessitate: unde Nugno *loc. cit. quo sequitur quàm periculosum sit eligere in confessione ministrum dubium*.

Nec obstat, quod dicitur *l. Barbarius de offiç. Prætoris*, ubi habetur, errorem comunem vulgi tribuere jurisdictionem; ut indè inferatur etiam opinionem probabilem Theologorum jurisdictionem tribuere. Non, inquam, obstat; quia etiàm in le-

legibus favorabilibus non esse faciendam extensionem ad similes casus, nisi ad ipsos extendantur verba legis juxtà propriam significationem, vel naturalem, vel civilem, vel nisi aliter cogat necessitas; docet idem Suar. *lib.6. de legibus cap.3 n.3.4. & 9.& c.4.* Gloss. Butrius, Salas, & alii ab ipso cit. item Bonac. *de leg. q. 1. punct.10. nu.26.* quod præcipuè locum habet in præsenti, cum concessio dependeat à voluntate Legislatoris, & hoc est, quod ait Minutulo *in resp. ad 5. ante 5. conclus.* quòd per cit. legem sancitum est titulum coloratum, erroremque comunem tribuere jurisdictionem; non reperitur autem alicubi decisum opinionem probabilem jurisdictionem tribuere.

13 Dices. Ecclesia toleravit usquemodò opinionem, quæ est ferè comunis, asserentem, quoties minister utitur jurisdictione probabili, quæ sit solidè probabilis, Ecclesiam supplere; sed hoc est dare jurisdictionem per ratihabitionem de præsenti: ergo etiam extra casum necessitatis licitum est uti opinione probabili in puncto jurisdictionis.

Resp. quidquid sit, an Ecclesiæ tolerantia tribuat jurisdictionem de pręsenti; hoc enim longè diversum est à casu, quo Episcopus videt coram se aliquem confessiones excipientem, siletque; hìc enim est circa praxim tolerantia, ibi verò circa opinionem; & revera Ecclesia usquemodò sustinuit opiniones, quas modò damnavit, non autem arbitror impunè sustinuisse aliquem in tipha conficientem Eucharistiam. Dico igitur, jam nunc illam opinionem non tolerare; cum enim decernat, illicitum esse uti opinione probabili relicta tutiore de valore Sacramenti in Sacramentis conferendis; & Jurisdictio ministri ad validitatem pertineat, ac in conferendis Sacramentis exigatur, jam ipsam ampliùs non tolerare, fateri opus est.

Nec obstat, quòd de Jurisdictione specialem non faciat mentionem: nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; præcipuè cum aliquid sub generalitate verborum legis comprehenditur, cujusmodi est in præsenti, & nullum indè incommodum obvenit; ut evenit extrà casum necessitatis. Tum etiam quia, gratis admisso, quòd per prædictam propositionem Jurisdictionis punctus non tangatur; protestatur Pontifex in suo Decreto, his verbis; *Non intendens tamen Sanctitas sua per*

hoc

hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas , & Sanctitati suæ quomodolibet & ex quacumque parte exhibitas , vel exhibendas ullatenus approbare ; per quæ patet tolerantiam hujus opinionis , & cujuscumque alterius aboleri. Et quamvis dici possit tolerare , dùm positivè non reprobat : tolerantia hæc , quæ ad altiùs est quædam indifferentia , dùm neque approbationem continet , insufficiens esse videtur in hoc casu , in quo exigeretur positiva tolerantia ; hæc enim in tantùm tribuit Jurisdictionem , in quantùm est tacita concessio , & ratihabitio : non censetur autem ratum habere , qui protestatur nolle approbare.

Excipienda tamen esset bona fides pœnitentis accedentis ad Confessarium , quem sciebat potestatem habere , inscius cum sit , an illi spiraverit facultas , qua utitur confessarius opinioni probabili innixus : validum enim existimo in hoc casu Sacramentum ratione tituli colorati , errorisque comunis : illicitè tamen minister ea facultate uteretur.

14 Hinc deciditur triplex quæstio circa Bullam Cruciatæ , Prima est , an validè absolvat approbatus in aliena Diœcesi. Secunda , an ille , qui fuit approbatus in eadem Diœcesi , sed ei spiravit facultas , quæ erat ad tempus concessa. Tertia , an Regulares uti possint privilegio Bullæ , ut eligant confessarium , præter præfinitum à Superiore , qui eos à reservatis absolvat. Duæ primæ , teste Tambur. paribus utrinque armis versantur inter Doctores , tàm pro negativa , quàm pro affirmativa : circa tertiam parùm roboris habent affirmantes , cum expresse ei refragetur Urbani VIII. Decretum : supposito tamen pro utraque parte esse probabiles opiniones , & quicquid sit de majori probabilitate (quæ præcipuè pro negativa in secundo , & tertio casu mihi videtur perspicua) nihilominùs dicendum est : in nullo horum uti licere affirmativa sententia , nam , licèt probabilis sit opinio affirmans ; negativa tamen est tutior , non solùm comparativè ad oppositam , quæ sit tuta , sed quæ est merè probabilis ; atqui non possumus licitè sequi tantùm probabilem , relicta tutiore : ergo non est licitum sequi opinionem affirmantem in hac materia.

15 Hinc emergunt duo dubia non parvi ponderis ; quorum primum est : an pœnitens , qui repentino correptus morbo , voce ,

ce, aut ſignis petit confeſſionem, ſed antequam advocetur Sacerdos ſenſibus deſtituitur, itaut in Sacerdotis præſentia, nec confiteri in genere, nec ſigna doloris, & deſiderii confeſſionis exprimere queat, poſſit à ſuperveniente Sacerdote abſolvi, ob teſtimonium eorum, qui aderant, quando deſiderium confeſſionis, vel ſigna doloris exhibuit.

16 Pro hujus reſolutione. Suppono primò ex comuni Theologorum ſententia, & ex Conc. Flor. Sacramenta novæ legis conſtare duobus rebus, tanquàm materia, & verbis, tamquàm forma; in Sacramento autem Pœnitentiæ materiam remotam eſſe peccata poſt Baptiſmum commiſſa; proximam verò eſſe actus pœnitentis, videlicet, oris confeſſionem, cordis contritionem, & operis ſatisfactionem; undè certum eſt de fide, abſolutionem ſacramentalem cadere non poſſe, niſi ſuper ſacramentalem confeſſionem, ut expreſsè definitur in Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacr. Pœnit. can.* 9. his verbis: *Si quis dixerit non requiri confeſſionem pœnitentis, ut eum Sacerdos abſolvere poſſit, anathema ſit.* Et hanc requiri ex Chriſti inſtitutione, definitur ibidem can. 6. his verbis: *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam ad ſalutem neceſſariam eſſe Jure Divino; aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.*

17 Suppono ſecundò, eum, qui præſente Sacerdote, vel voce dixerit, peccavi, vel ſigna Contritionis exhibuerit, ex quibus colligat Sacerdos hoc facere infirmum cum intentione confeſſionis; etiam ſi poſteà, aut mente turbatus, vel ſenſibus deſtitutus aliud proferre nequeat, poſſet ſacramentaliter abſolvi ſub conditione; quia ſigna illa, & illa confeſſio generalis in his circumſtantiis reputantur pro confeſſione particulari, quamvis imperfecta: ita Nugno *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 9. *art.* 3. *diff.* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 2. Candidus *tom.* 1. *diſquiſ.* 3. *art.* 15. *dubit.* 2. *concluſ.* 2. & praxis Eccleſiæ ita videtur habere: licèt contrarium aſſerat Alvar. 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 80. *verſ. ſecundò ſupponenda eſt, &c.* ubi requirit ſaltem confeſſionem in particulari alicujus peccati.

18 Difficultas igitur non eſt, quia confeſſio fiat per nutus, & ſigna,

ſigna, vel quia nullum peccatum in particulari exprimitur: ſed reſtringitur ad hoc, quia illa ſigna exhibentur in abſentia Sacerdotis: cum enim Clemens VIII. in Decr. edito 20. Junii 1602. propoſitionem aſſerentem confeſſionem abſenti factam, & abſolutionem ab abſente obtentam licere, damnaverit ad minùs uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, videtur hanc etiam damnaſſe, de qua quærimus in præſenti; nam illa ſigna exhibentur abſenti Sacerdoti; ac proinde, ſi vim habent confeſſionis, non erit, niſi confeſſio abſenti facta.

Nec valet dicere, ibi Summ. Pont. damnaſſe illam propoſitionem complexivè, prout, tàm confeſſio fit abſenti, quàm abſolutio ab abſente tribuitur; non verò diviſivè, ut quælibet pars illius hypotheticæ ſeorſim ſumptæ damnetur: in præſenti autem caſu quamvis confeſſio fieret abſenti, abſolutio tamen impenderetur à præſente.

Non, inquam, valet, ut latè loco cit. probat Alvar. omninò videndus, unde Clem VIII. vivæ vocis oraculo præcepit ut folium illud P. Suar. in quo continebatur hæc explicatio, deleretur, ut notavit Nugno *loco cit. verſ. unde infert*, & deindè à Paulo V. fuit hæc doctrina damnata, ut refert Baron. *p.* 1. *ſect.* 4. *diſp.* 1.

19 Dicendum igitur non poſſe Sacerdotem abſolvere moribundum, qui in ejus abſentia ſigna doloris exhibuit, vel confeſſionem petit, dum eum invenit ſenſibus deſtitutum. Ita Nugno, Candidus, Alvar. & Baron. *locis cit. & alii.* Probatur primò ex relato Clem. VIII. Decr. quo prohibetur confeſſio abſenti facta, ſivè per litteras, ſivè per internuncium, ſed illa confeſſio fieret Sacerdoti abſenti per internuncium: ergo &c.

Neque valet excipere caſum neceſſitatis; nam Pont. in illo Decr. ſubdit: *nevè unquam tamquàm aliquo caſu probabilis defendatur.* Tum etiam, quia controverſia ante Decr. Clem. jam erat redacta ſolùm ad caſum neceſſitatis: ergo ſi etiam in caſu neceſſitatis nunc liceret, nihil deciſio profuiſſet.

Nec prodeſt dicere, confeſſionem ſacramentalem eſſe faciendam præſenti Sacerdoti ex neceſſitate præcepti, quando poteſt commodè fieri, non autem de neceſſitate Sacramenti ex Chriſti inſtitutione.

Non

Non inquam; nam idem poſſet affirmari de reliquis Sacramentorum materiis, & in caſu neceſſitatis Sacramentum confectum in alia materia, quàm in deſignata à Chriſto eſſe validum, quod eſſet enervare Decreta Summorum Pontificum, loca Conciliorum, immò & S. Scripturæ; in quibus neceſſitas materiæ Sacramentorum fundatur.

Reſpondent alii, concedendo illicitam, & invalidam eſſe confeſſionem abſenti factam, etiam in caſu neceſſitatis: at in caſu de quo diſputamus confeſſionem fieri in præſentia Sacerdotis, quia circumſtantes perhibent teſtimonium Sacerdoti, quando jam eſt præſens infirmo de illius confeſſione facta per ſigna: & ita infirmus, quaſi per circumſtantes confitetur Sacerdoti præſenti.

Sed contra eſt; quia in tali caſu, vel materia Sacramenti Pœnit. eſſet infirmi confeſſio, vel circumſtantium teſtificatio; neutrum dici poteſt: ergo. Non primum; quia confeſſio illa fit abſenti. Non ſecundum; quia materia hujus Sacramenti ex Conc. Flor. & Trid. ſunt actus pœnitentis; ex quo colligunt omnes DD. confeſſionem debere eſſe actum perſonalem, non minùs, quàm Contritio.

Si dicas, eſſe materiam in illo caſu confeſſionẽ, ut teſtificatam. Contra, quia facta reduplicatione, præſentia non cadit ſupra ſubjectum, ſed ſupra particulam reduplicantem; ut ſi dicerem, confeſſio, ut facta per nuntium fit Sacerdoti præſenti: præſentia non denotat pœnitentem, ſed nuntium, undè in præſenti, non afficit confeſſionem, ſed teſtificationem: atqui confeſſionem opus eſt eſſe præſenti factam, quæ eſt materia Sacramenti, non teſtificationem: ergo &c. Tum etiam, quia illud teſtimonium non perhibetur in præſentia morali ipſius ægroti; licèt enim ipſe phyſicè ſit præſens, non tamen humano modo; cum ſupponamus eſſe ſenſibus deſtitutum: undè, ſicut Theologi dicunt, Parochum aſſiſtentem matrimonio præſentia corporali, non tamen mente, neque ſenſu, non dici præſentem: ita ægrotus non diceretur tunc præſens, nec confeſſio fieret ipſo præſente.

Reſpondent alii, dicendo Decr. Clem. intelligi de confeſſione particulari peccatorum, non autem de generali, quæ fit per ſi-

gna

gna doloris, & invocationem confeſſionis; idque colligunt ex illis verbis Decr. *peccata ſacramentaliter confiteri*.

Sed contra eſt. Nam ſic illius Decreti doctrina ſupponeret nullum eſſe defectum ex parte materiæ, & eorum, quæ eſſentialiter concurrunt ad Sacramentum Pœnit. ſed ſolùm prohibuiſſet illam confeſſionem propter ſcandala, & incommoda, quæ inde oriuntur, quæ non ſequuntur ex generali confeſſione; nam ſi ex parte materiæ intercederet defectus, utrobique eſſet par ratio; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor; quia ut patet ex Trid. ex Chriſti inſtitutione materia Sacramenti Pœnit. eſt confeſſio facta Sacerdoti præſenti, ut mox videbimus. Tum etiam, quia ex hoc ſequeretur, quòd ſi ægrotus aliquod peccatum in ſpecie proferret in abſentia Sacerdotis, dum petit abſolutionem, non poſſet à ſuperveniente Sacerdote abſolvi; poſset tamen, qui nullum expreſſit: & ſic ille eſſet deterioris conditionis, quàm iſte; cùm tamen aliquid plus de requiſitis ad Pœnit. Sacramentum adhibuerit: nam abſtulit illam controverſiam, an ſufficiat generalis confeſſio: ergo abſurda eſt hæc explicatio.

20 Prob. ſecundò. Ex ſupradictis conſtat ex Conc. Trid. abſolutionem cadere non poſſe, niſi ſupra confeſſionem pœnitentis; & hoc ex Chriſti inſtitutione; & ex eodem Conc. *ſeſſ.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 2. patet jure Divino, ex Chriſti inſtitutione confeſſionem faciendam eſſe præſenti Sacerdoti, ſic enim dicitur *nam eos*, videlicet baptizatos, *ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminaverunt, non jam repetito baptiſmo ablui, cum in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat; ſed ante hoc Tribunal, tanquàm reos ſiſti voluit*. Ubi ly *ſiſti* præſentiam importat, ut expreſſè Ulpianus *l.* 2. *§. ſi quis judicio, ff. ſi quis cautionibus*, ſic dicens: *ſi quis judicio ſe ſiſti promiſerit, & valetudine, vel tempeſtate prohibitus, ſe ſiſtere non poſſit, exceptione juvatur, nec immeritò, cum enim in tali promiſſione præſentia opus ſit*: ecce quomodo ly, *ſiſti*, præſentiam importat. *Quomodo ſe ſiſtere poteſt, qui adverſa valetudine impeditus eſt?* ergo ex Conc. Trid. confeſſio debet fieri Sacerdoti præſenti, ex inſtitutione Chriſti.

Confirm. infra illud ſpatium, quo advocatur Confeſſarius, poteſt ægrotus mutare propoſitum, & cum ipſe accedit, eſſe

actu

actu indispositus cum actuali affectu ad aliquod peccatum; atqui non potest absolutio impendi, nisi cognita recta dispositione pœnitentis: ergo in tali casu nequit absolvi.

21 Ob.1.Ex Conc. Carthag.4. *cap.* 16. & refertur 26.*q*.6.*can.* 15. ubi sic habetur. *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia &c.* Idem docet Leo Magnus *epist.* 89. *aliàs* 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, & refertur *de Pœnit. dist.* 1. *cap. multiplex id ipsum diffinivit*.

Resp. Ibi Conc.& Leonem Magnum loqui de reconciliatione publica facienda in facie Ecclesiæ, pro iis peccatoribus, qui erant in statu, & ordine pœnitentium; vel de admissione ad statum pœnitentium pro iis, qui nondum erant admissi: & de absolutione à censuris; non autem de sacramentali absolutione à peccatis, ut constat ex verbis, quæ in principio epistolæ prædictæ habentur. *Quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula non tacebo*. Undè licèt ibi ponantur duo: præsidium pœnitentiæ, & reconciliatio: per primum intelligitur publica satisfactio imposita à Sacerdote virtute clavium: per secundum, reconciliatio cum Ecclesia per ceremonialem absolutionem publicam. Et ita intelligi debere latè probat Alvar. *loc. cit.* afferens pro hac sententia Scot. Abul. Sot. Martinum, & Petrum de Ledesma, Canum &c.

Contra est. Licèt Leo Magnus fuerit interrogatus de peccatoribus, qui erant in statu, aut ordine pœnitentium, & indigebant peculiari reconciliatione cum Ecclesia; nihilominus, ea occasione sermonem extendit ad omnes peccatores differentes pœnitentiam usque ad mortem; nam hæc vox, Reconciliatio, in proprio sensu sumitur pro Sacramentali absolutione: ea namque sic utuntur sæpè S. Th. sacri Canones, & præcipuè Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. Ergo sic debet intelligi in epist. Leonis.

Tùm etiam, quia sic constat debere intelligi ex contextu epist. ubi sic habetur. *Si quis antequàm ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore*

pore non receperit, *consequi exutus carne non poterit*. Quæ verba non possunt intelligi de absolutione à censura, de qua constat dari posse post mortem, *cap. à nobis 2. de sent. excomunic.* Ergo de sacramentali absolutione.

Resp. ad primam instantiam, quòd licèt hæc vox, Reconciliatio, possit accipi, & sæpè accipiatur pro sacramentali absolutione: tamen etiàm aliquando sumitur pro absolutione ceremoniali in facie Ecclesiæ quando autem in Decr. Principum aliquod verbum est ambiguum, comune est Jurisperitorum axioma, interpretari debere per summam capitis, ad quod cœtera revocari debent: in summa autem, sivè in cap. Epist. Leonis explicat Summ. Pont. quid intendat tractare, nempè de pœnitentium statu, qui per quandam ceremonialem absolutionem, cum fuerint publici peccatores, constituebantur in ordine, & statu pœnitentium, & reconciliabantur cum Ecclesiæ. Unde omnia ibi contenta, & reconciliationis, & pœnitentiæ nomina in hoc sensu intelligi debent: quod etiàm constat ex Conc. Tolet. 12. *cap.* 2. ubi de eodem casu Leonis agitur.

Ad 2. Dico non esse sermonem de absolutione à censuris, neque de sacramentali; sed de admissione ad statum pœnitentiæ, & absolutione ceremoniali per publicam reconciliationem, per quæ reddebatur aptus ad susceptionem Eucharistiæ, & Unctionis, quæ omnia exutus carne suscipere non poterat.

Ob. 2. D. Th. *opusc.* 35. *de Sacram. Unctionis*, sic ait: *Si infirmus, qui petit Unctionem amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominùs ungat eum Sacerdos; quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi, ut extrà de Baptismo, cap. Majores*. Ergo per D. Th. potest iste talis absolvi.

Resp. 1. Illud opusculum à multis existimari non esse D. Th. Undè in impressione Rom. littera minuscula excusum est. Resp. 2. D. Th. loqui de absolutione generali à peccatis, vel de absolutione solemni in facie Ecclesiæ: quod patet ex eo, quòd S. Doctor oppositum docuit *in* 4. *dist.* 17. *&* 21. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 2. ubi docet ad confessionem requiri aliqualem peccatorum manifestationem, quia expectat judicium Sacerdotis; per quod videtur excludere confessionem generalem, per illud verbum, peccavi, vel signa generalia doloris, ut intendebat argumentum, cui respon-

ſpondet: quantò ergo potiùs negare debet hanc confeſſionem per hæc tantùm ſigna factam, & inſuper Sacerdoti abſenti: cum ipſe in abſentia Sacerdotis conſulat, laico potiùs confiteri.

23 Ex his, & ex novo Innoc. Decreto tale depromitur argumentum. Certum eſt confeſſionem eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ & indubitatum, adminùs confeſſionem illam moribundi eſſe dubiam confeſſionem, cum potiùs conſtet eſſe nullam, & prohibitam: ſed ex Decr. Innoc., non eſt licitum ſequi opinionem probabilem, relicta tutiore, ſaltèm in iis, quæ ſpectant ad conſtitutivum formale Sacramenti, cujuſmodi ſunt materia, & forma: & multò magis illicitum erit uti materia probabiliſſimè dubia, & damnata: ergo in hoc puncto, uti non poſſumus opinione affirmante, abſolvi poſſe moribundum in prædicto caſu. Major, quòad primam partem, conſtat ex Conc. Trid. quò ad ſecundam, rationibus jam adductis. Minor eſt evidens: & conſequ. infertur. Sub conditionem tamen abſolvi poſſe, cum ſit caſus neceſſitatis, & materia ſit dubia, probabile eſt.

24 Dubium ſecundum eſt. An ſit probabilis opinio aſſerens abſolvi poſſe moribundum omni ſenſu deſtitutum, qui nullo ſigno ſenſibili confeſſionem petit, nec ſigna doloris exhibuit: dum tamen piè, & catholicè vixerit.

Non abs re proponitur hoc dubium, cum in Univerſitate Vienn. Præſide P. Georgio TurKovich Soc. Jeſu publicè fuerit propugnata pars affirmativa, ut refert Caram. in Theol. fundament. n. 328. In eadem Univerſitate, alii ex eadem Soc. Profeſſores publicè eam dictarunt, ac defenderunt, inter quos P. Carolus Murſat: teſte eodem n. 1855. immò in praxim eam deduxiſſe quendam Patrem Soc. Lovanii, ut teſtis oculatus affirmat idem ibid. & de alio P. Soc. hac opinione Pragæ uſum fuiſſe, abſolvendo Dominum Balthaſſarem de Marradas, refert idem n. 1876. eam quoque docuit P. Petrus Marchant *to. 1. tract. 4. tit. 4. q. 3.* & alii profeſſores Franciſcani; quam maximoperè conatus eſt promovere Caram. & paucis ab hinc annis, pleroſque habuit patronos, ut videre eſt apud eundem Caram. ibid. Tamen.

25 Dicendum, nullatenus licere abſolvere moribundum in caſu poſito. Docetur à D. Th. ſuper caput 8. Joannis, ſic dicente: *Non eſt trahendum in conſuetudinem, ut aliquis exemplo Do-*

mini absque confessione, & pœnæ inflictione quemquam absolvat; quia Christus excellentiam habuit in Sacramento, & potuit conferre effectum sine Sacramento, quod nullus purus homo potest. Ex quibus duo deduco, primum, tale factum non fore Sacramentum: secundum, loqui de confessione formali, Uexpressa, non virtuali & implicita; quia hanc fecisse illos, quibus remissa sunt à Christo peccata, posset probari eisdem rationibus, quibus id probant Adversarii de moribundo. Hanc conclusionem docent omnes antiqui Theologi. Ghetius *in thesauro animæ compilato ex verbis D. Th. verb. Confessio num.* 26. Vinc. Baron. *p.* 1. *disp.* 1. *sect.* 4. *§.* 2. Cand. Alu. & alii innumeri qui, vel requirunt alicujus peccati manifestationem; vel saltem signa doloris cum ordine ad confessionem coram Sacerdote exhibita.

Colligitur etiam ex S. Augu. cujus verba referuntur *cap. quem pœnitet dist.* 1. Ubi dicitur: *repræsentet Deo vitam suam per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem, præcepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent se Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata.* Ecce qualem confessionem requirit.

Prob. ex dictis dub. præc. Sacramentum Pœnitentię exigit, tanquam materiam, partem essentialem, confessionem peccatorum, & dolorem, sed in illo moribundo nulla supponitur confessio, aut dolor, signis saltem exhibitus: ergo non adsunt essentialia requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ; atqui hæc sunt insupplebilia, quemadmodum sine materia in reliquis Sacramentis nequit proferri forma: ergo in eo casu nequit dari absolutio.

Respondebis ex doctrina Caram. quemcumque pium Catholicum vita catholica satis exprimere se velle confiteri; & per actiones vitæ catholicæ demostrare animum volendi ultimam absolutionem; si enim vellet impœnitens mori, non faceret illas actiones: ergo illæ actiones sunt totidem linguæ, quibus protestatur se velle confiteri, antequam moriatur. Insuper supponi potest quemlibet pium Catholicum recitare orationem Dominicalem, in qua petit à Deo remissionem peccatorum, sed remissio peccatorum ordinariè non habetur, nisi per sacramentalem confessionem: nec ille est censendus velle sibi miraculosè remitti peccata, sed medio ordinario à Christo instituto: ergo censetur petere confessionem.

Sed

Sed contra est 1. Quia, licèt illæ actiones catholicæ contineant virtualiter ex parte operis, seù interpretativè voluntatem confitendi sua peccata, & volendi ultimam absolutionem; tamen ex parte operantis nullum necessariò includunt propositum confitendi, ab hoc namque prescindere potest, & regulariter prescindit operans, nihil de confessione cogitans: pariter in illis verbis orationis Dominicalis, etiàmsi attentè illa proferat; non enim cogitat de modo, quo remittenda sint peccata, nec ad confessionem dirigit illa verba, atqui saltem actus pœnitentis virtualiter ex parte operantis requiruntur ad Sacramentum Pœnitentiæ: sicut ex parte ministri, licèt sufficiat intentio virtualis conficiendi Sacramentum, non tamen intentio interpretativa, ut docent comuniter DD. aliàs dormiens, proferens in somnis formam alicujus Sacramenti, præsente debita materia, illud conficeret: ergo illæ actiones non sunt materia, quæ requiritur pro Sacramento Pœnitentię.

26 Et certè, si ratio Caram. valeret, probare ex eadem ego possem, videntem aliquem mortaliter peccantem, teneri ad illum denunciandum Inquisitoribus contra hęreticam pravitatem, tanquàm Atheum: quod sua ratione, sic probo: nam qui lingua negaret Deum esse, esset Atheus: & pariter, qui aliquo nutu id exprimeret; atqui peccans mortaliter, illa actione peccaminosa, quę est altera lingua id exprimit: ergo &c. Prob. minor, nam sic peccans, illa actione, qua constituit suum ultimum finem in creatura, denegat Deo rationem ultimi finis; sed ille, qui non habet rationem ultimi finis non est Deus: ergo negat Deum esse.

Similiter, probare possem Turcam, qui visus est opera Misericordię recto fine, & propter Deum exercere, debere baptizari, etiam si baptismum non petierit: quia iste talis censetur virtualiter petiisse illis piis actionibus, quibus salutem ęternam quęrebat; ac proindè non aliquo modo miraculoso, sed ordinario à Christo instituto, & pręcipuè si supponamus mahometicum illum, nullam habuisse cognitionem fidei Christianę; ac proindè nullum actum positivum elicuerit nolendi baptismum: qui licèt non potuerit illas actiones ad baptismum ordinare; non est absimilis catholico, qui illa opera exercens, nihil cogitat de con-

fessione; in utroque enim deficit ordinatio ad Sacramentum ex parte operantis;& in utroque arguitivè ex parte operis potest deduci. Quàm ergo violenta est hæc consequentia, pariter & illa Caram.

27 Contra est 2. Admisso, quòd illæ actiones exprimant propositum confitendi, non tamen sunt confessio: atqui de necessitate Sacramenti Pœnitentię non est propositum confitendi; sed Confessio, ut constat ex Conc. Trid. suprà relato, & ex verbis D. Aug. ergo &c.

Neque dicas: illam esse confessionem virtualem, ad instar illius, qui coram Sacerdote exhibet signa doloris, & desiderium confitendi, qui censetur virtualiter confiteri.

Non, inquam, hoc dicas: quia materia Sacramentorum non debet esse virtualis, sed formalis: aliàs liceret consecrare farinam, quæ est virtualiter panis & uvam, quę est virtualiter vinum: similiter sufficeret tangere verticem baptizandi glacie, quæ est virtualiter aqua: & similibus materiis uti; non minùs enim est necessaria, & essentialis materia Sacramenti Pœnitentiæ confessio, quàm aqua pro Sacramento Baptismi, & panis pro Sacram. Eucharistiæ.

Nec est simile de illo, qui exhibet signa doloris coram Sacerdote in ordine ad confessionem; nam illa signa formaliter, & expresè, indicant dolorem formalem, & intentionem actualem confessionis, licèt non lingua, nutu expresso, qui linguæ æquivalet, sicut signa muti; & saltem æquivalent huic verbo, peccavi, qui enim vult medicum, ostendit infirmitatem habere; ac proindè, facit saltèm confessionem generalem, pro illo casu necessitatis sufficientem,ut sub conditione absolvatur: nec est solum propositum confitendi; sed actualis confessio, modo illi possibili. Aliud est ergo nutus exprimere formaliter confessionem, & aliud est facere aliquas actiones, in quibus virtualiter propositum confitendi continetur. Ex quo ruit præcipuum Adversariorum fundamentum, de quo iterùm insoluto argumento.

28 Dices: saltem poterit absolvi sub conditione; conditio namque tollit irreverentiam Sacramento, dum periculum nullitatis aufertur: & aliàs consulitur, quantùm fieri potest saluti animæ; sed quicquid potest licitè fieri debet à quolibet Sacerdote

ex

ex Charitate, & à Parocho ex Justitia fieri: ergo in tali casu debet quilibet Sacerdos ex Charitate, & Parochus ex Justitia, tali modo illum moribundum absolvere. Ita P.Carolus Musart.

Resp. Nec sub conditione debere absolvi: conditio enim adhibetur, quando habetur id, quod de jure requiritur, ut Sacramenti materia; sed probabiliter dubitatur: an sit verè talis, necnè; at in præsenti nulla habetur confessio, ut probavi, ac proindè illa forma conditionata non habet materiam supra quam cadat, & inaniter proferretur.

29 Objicies primò. Absolutio est actus Judicialis, ut constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 9. ergo, sicut in Judiciis forensibus, sic proportione servata, procedi potest in Sacramento Pœnit. at in Tribunalibus locum habet accusatio per famam, præsumpta, interpretativa, & moralis, ut constat: ergo pariter &c.

Resp. quòd; licèt Sacramentum Pœnit. institutum sit à Christo per modum Judicii; non tamen relictum est in ea amplitudine Judicii externi fori; aliàs licèt absolveretur absens, sicut Tribunalia sæpè observant; quod est ex Decr.Clem. VIII. dub. præc.relato damnatum:sed præscripta est ei peculiaris forma necessariò observanda: nempè, ut ore rei fiat accusatio; necessariò præcedat confessio sistatque se pœnitens Sacerdoti; uti vidimus dub.præc.

30 Ob.2.In casu posito adest aliqualis confessio: ergo habetur materia Sacramenti Pœnit. & consequenter ille moribundus est absolvendus.Consequentiæ inferuntur,Ant.prob.de viro probo,supponitur,urgente aliquo peccato, de ipso dolere, ac proponere confiteri: insuper,supponitur; hos actus aliquo signo externo, ut pectoris tunsione,manuum conjunctione, vel simili signo sensibili manifestare, & sic habentur actus necessarii ex parte Pœnitentis:& hoc ipsum est aliqualis confessio;nam,qui petit veniam,& vult confiteri, petit aliquo modo absolutionem; & consequenter in genere fatetur se habere aliquod peccatum: ergo adest aliqualis confessio, quam diximus saltem sufficere, ut absolvatur quis sub conditione, Secundò: præsente Sacerdote, loquitur pro eo vita probè acta, ipsum voluisse confiteri, non minùs, quàm si aliqui testarentur ipsum petiisse confessionem, & ostendisse signa doloris: ergo sicuti

potest absolvi ille, qui per testes petit confessionem, ita & iste.

Resp. Neg. ant. Ad primam probat. dico omnia illa esse tantùm præsumpta; non expressa: ad Sacramenta autem requiritur materia expressa; quæ si consistat in verbis, sufficit, ut signis exprimatur æquivalentibus, id significantibus formaliter, non virtualiter, & interpretativè: ut patet in matrimonio; ubi loco verborum exprimentium consensum, licèt admittantur signa; ea tamen, quæ expresè, & formaliter consensum significant, vel ex consuetudine regionis, vel ex circumstantiis consignificantibus: non tamen ea, quæ tantùm præsumptivè, & interpretativæ consensum indicant. Ad secundam dico, aliter loqui vitam probè actam; aliter testes: hi enim, faciunt fidem de expressa voluntate confitendi, certò ipsis nota: illa verò solùm testatur præsumptivè.

Contra instabis; ex Caram. Potest baptizari ex Conc. Aurasic. *cap.* 12. ille, qui habuit voluntatem recipiendi Baptismum, etiam si postmodum obmutescat, ac sensibus destituatur; quia ipsa status Cathecumeni professio est implicita Baptismi ante mortem suscipiendi petitio: similiter Novitii, qui sunt Religionis cathecumeni, si eos in repetinum morbum contingat incidere, ut sensibus destituantur; ad professionem solemnem admittuntur: ergo cum vita Catholica, & probè acta sit Cathecumeni, & novitii pro vita æterna status, potest dici implicita absolutionis ante mortem petitio: & consequenter poterit hic absolvi, sicut, & ille baptizari, vel fieri professus.

Resp. 1. Quòd de voluntate cathecumeni, & novitii perseverantium in illo statu, nec illum retractantium, constat non præsumptivè tantùm, sed formaliter, habere propositum suscipiendi Baptismum, & emittendi professionem: hæc enim voluntas exprimitur manifestè in utriusque status assumptione; & adminus esset virtualis voluntas ex parte operantis, non interpretativa, vel præsumpta: respectu Catholici verò non est, nisi præsumpta, & interpretativa. Ratio est, quia status cathecumeni, & novitii non retractatus, etiàm si alia quis committat peccata, non interrumpit intentionem Baptismi suscipiendi, vel professionem emittendi: status autem vitæ catholicæ,

cæ, etiam per infidelitatem non interruptus; poteſt per quodcumque peccatum ab intentione confitendi interrumpi, ac proindè non eſt determinatè de voluntate confitendi intentio, ipſius continuatio. Multi namque ſunt mali catholici, nihil de confeſſione cogitantes; & etiam boni ab hoc præſcindentes, de quibus per illa bona opera, non poteſt certò aliud præſumi; niſi non habere voluntatem contrariam.

Reſp. 2. Ad Baptiſmum, & profeſſionem ſufficere ex parte ſuſcipientis, vel emittentis, ſolum propoſitum: ad abſolutionem verò obtinendam non ſufficere propoſitum, præcisè confitendi, ſed requiri confeſſionem: & tunc ſolum ſufficit deſiderium confeſſionis in moribundo, quando ſignis externis expreſsè, & formaliter manifeſtatur; adeòut æquivaleat confeſſioni, ſaltem generali. Aliam ſolutionem mox adhibebo, loquens de Sacram. extremæ unctionis *n.*32.

Ex quibus patet, malè philoſophari Caram. redarguentem Henriq. Reginald. & alios, quia admittunt abſolvendum fore eum, qui ſignis externis abſolutionem ſacramentalem petierit: neutiquam verò eum, qui, nec aliquibus ſignis hanc voluntatem patefecerit; unde in Theol. fundament *n.* 1871. *illorum verba mihi videntur ſimilia iſtis; qui lingua materna petit abſolutionem, impetrare illam poterit: ergo debebit non abſolvi, qui eam petat latinè; pulchra conſequentia, quaſi lingua latina non ſit lingua.*

Progreditur deindè ad probandum caſum eſſe ſimilem; quia vita catholica conſiſtit in actibus externis, per quæ, quis poſtulat ultimam gratiam, & ſacramentalem abſolutionem; quod jam rejecimus in probationibus noſtræ concluſionis. Falsò autem ſillogizat: nam lingua vernacula, & latina idem exprimunt formaliter, quamvis diverſo idiomate: ac proindè utralibet petatur abſolutio, nil obſtat: qui autem, ſignis expreſsè id ſignificantibus abſolutionem expoſcit, illam formaliter, & expreſſè petit; qui verò per ſola ſigna generalia vitæ catholicæ, nempè audiens Miſſam, recitans Roſarium, &c. ſolummodò interpretativè, & præſumptivè: unde ejus argutiæ diſparitas innoteſcit.

31 Inſtabis. Eſt praxis recepta apud milites, ut abſolvantur, etiamſi nullum ſignum doloris dederint: ergo ſufficit interpreta-

tiva, & præsumpta voluntas confitendi. Patet consequ. quia in illis nequit reperiri, nisi præsumpta voluntas.

Si dicatur, milites ante conflictum petere absolutionem, si contingat, ita vulnerari, ut sensibus uti non possint: admissa gratis responsione, sic progreditur Caram.

Ideò miles sensibus destitutus absolvi potest; quia vult sic absolvi, si absque sensibus vitam agere contingat: atqui omnes volumus eodem modo absolvi; ergo, & absolvi possumus, aut debemus. Prob. minor; quia cum volumus reddere securam nostram salutem, volumus omnia media ponere, quæ sunt necessaria ad salutem, & in tali casu absolutio omninò necessaria est: ergo. Urgetur: ille potest absolvi, etiàm si careat sensu, qui dixerit: si eò venero, ut caream sensu; volo absolvi: at omnes id extrinsecè dicunt: ergo. Prob. minor. quoniam omnes actiones conversationis orthodoxæ, quæcumque illæ sint, sunt extrinsecæ protestationes, quibus homo asseverat se velle sanguine Christi frui, & salvari: ergo quibus protestatur extrinsecè se velle medium ponere unicum, quod est confessio; ergo nemo est, qui non significet extrinsecè, se velle confiteri, & absolvi ante mortem. Urget ampliùs adducens casum dub. præc. quem adducere non oportet; patet enim responsio ex supradictis ad 2. probat. secundi arg. n. 30.

Resp. quòd illa praxis absolutè est illicita; nisi sit absolutio quædam generalis, quæ hujusmodi moribundis militibus impenditur: potest tamen admitti in casu responsionis, aliquibus additis circumstantiis: videlicet, vel ut ab aggressoribus repentè coacti sint arma capere milites, vel Ducis repentino jussu, itaut confessionem præmittere nequiverint: & in tali casu, coram Sacerdotibus propriis absolutionem petierint, quæ æquivalet generali confessioni: & quia ille casus est periculi mortis, liceret illos absolvere, sicut plures in navi periclitantes. At quia periculum mortis in acie non est omnibus, & singulis determinatè comune, sed vagè singulis; non succurrit ratio, ut omnes ante conflictum, unica absolutione absolvantur, sicut in navi periclitantes: & quia, non sciuntur determinatè ii, quibus periculum imminet; ideò omnes petunt sub conditione periculi absolutionem; quæ conditio non debet excludere volunta-

tem

tem confitendi absolutè, si eò non pervenerint: sed excludit voluntatem confitendi generaliter, adeò ut si valeant, velint specialiter confiteri. Ac proindè absolvi poterunt, qui determinatè post modùm ad illud pervenerint discrimen, ut sensibus sint destituti, virtute illius expressæ confessionis, quamvis generalis, factæ coràm Sacerdote.

Ex quibus patet disparitas ad Caram. instantias, nam expressè, & formaliter constat de formali voluntate militum, ac de expressa generali confessione; non autem de reliquis: quia vita orthodoxa non est confessio, sed ad altiùs interpretativa,& præsumpta voluntas propositi confitendi; de qua non constat, nisi præsumptè: cum non sit certum: an illi cogitent de reddenda secura æterna salute, & multò minùs de mediis ad illam necessariis, & actiones conversationis orthodoxæ non sunt, nisi interpretativæ asseverationes, illos velle frui sanguine Christi &c. Fiunt namque sæpè ex quadam consuetudine, vel alio motivo.

Perpende autem differentiam inter volo absolutionem, prolatum à milite, & ab aliis, ex ipsiusmet Caram. verbis: nam militis verba, prima fronte, & absque ulla interpretatione hoc indicant, ex illis autem actionibus orthodoxis, nonnisi post tres aut duos discursus inferri potest illud volo: quod evidens signum est illud militum esse confessionem formalem: hoc verò, nonnisi interpretativam, & in alio contentam, ex quo ingenii acumine, & quasi per vim deducitur: quod autem opus est maximo conatu deduci, non prima facie pręferri, evidens est.

32 Ob. 3. Ad Sacramentum extremæ Unctionis suscipiendum etiam requiritur, ut suscipiens prudenter præsumatur dispositus per aliquem dolorem, si sit in peccato, & ut aliquo modo desideret, & petat sibi Sacramentum applicari: atqui extrema Unctio datur, & dari debet etiam sensibus destituto, qui catholicè vixerit;quia talis prudenter præsumitur dolere de peccatis, & velle sive adhiberi ante mortem omnia remedia à Christo instituta pro eo articulo: ergo hic similiter, qui catholicè vixit, in nostro casu, prudenter censebitur ritè dispositus per aliquem dolorem, & petere pro eo præsertim casu, sibi conferri Sacramentum Pœnit.Quod Sacramentum est magis institutum pro tali remedio ad salutem necessario, quàm extrema Unctio.

Con-

Confirmatur. Nam Clem. VIII. quendam cadentem à fabrica S. Petri, refertur, nullo signo doloris præstito, absolvisse. Et Greg. XV. dum esset Archiepiscopus Bononiensis in memoriali Confess. edito Bonon. anno 1623. non solùm approbat hanc sententiam, sed etiam vult deduci in praxim *cap. 1. de forma Pœnit. n.* 16. Ita etiam habetur in Sacerdot. Rom. ex doctrina Divi Antonini Ord. Prædic.

Resp. ad argumentum negando paritatem inter Sacramentum Pœnit. & extremæ Unctionis. Disparitas est, quia pro Sacramento extremę Unctionis dispositio recipientis, & desiderium non sunt de essentiali constitutivo ipsius Sacramenti, sed de requisitis ad fructuosè suscipiendum; cum aliàs Sacramentum habeat suam materiam, & formam, ex quibus validum consurgit: ac proindè possunt illa requisita pręsumi; quia non exponitur Sacramentum periculo nullitatis; sed si non adessent fructus non reciperetur Sacramenti.

At in Sacramento Pœnitentię dolor, & confessio, quę sunt dispositio recipientis, sunt etiàm materia Sacramenti; quę si absit, nullum conficitur Sacramentum; & materia non debet esse pręsumpta, sed formalis, & vera. Hęc est evidens disparitas.

Quòd si petas: si de tali sensibus destituto mihi revelaretur per Angelum habere internum dolorem, ac petere interiùs absolutionem, deberem nè illum absolvere?

Sic olim mihi quidam in publica disputatione objecit, intendens inferre, posse aliquem absolvi confessione non pręmissa: at respondeo, sicut tunc respondi; non debere absolvi. Ratio est, quia licèt Christus aliter potuerit instituere Sacramenta: supposita tamen præsenti institutione, cum instituerit ipsa in signis sensibilibus, materiamque Sacramentorum voluerit esse aliquid sensibile; cum in eo casu non esset ille dolor, ac confessio sensibilis, & hæc sint materia Sacramenti Pœnit. neutiquam possem super illam proferre formam: nisi speciali, & extraordinaria Christi dispensatione, qua pro tunc uteretur me, tanquam ministro suæ potestatis excellentiæ.

Ad Confirmationem. In primis dico, ibi adducta, non habere majorem auctoritatem, quàm puri Doctoris; unde non

de non posset deduci, nisi extrinseca probabilitas hujus opinionis.

Iterum dico factum Clem. VIII. à pluribus existimari fabulosum; & præcipuè à Card. de Lugo, qui fuit propè tempora ipsius Clem. & ut de hoc certior fieret, peculiarem fecit inquisitionem.

Id quod adducitur ex memoriali confess. & Sacerdotali Rom. si debet intelligi juxtà sensum D. Anton. qui ibi allegatur (nè solum quidèm pro hac opinione ex Dominicana reperies familia) intelligi debet de absolutione à censuris, vel generali; non de absolutione sacramentali, ut patet ex contextu, quem optimè ponderat Alvar. loco cit. in præc. dub. in responsione ad 15. si autem in Sacerdot. Rom. de absolutione sacramentali sit sermo, longè est à sensu S. Anton. nec habet majorem auctoritatem, quàm Doctoris, à quo compositum est. Quapropter, nec à Greg. XV. postmodùm Summo Pontifice, quod fuerat pro particulari Ecclesia permissum, fuit pro universali Ecclesia extensum.

PROPOSITIO II.

Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem minùs probabilem.

1 HÆc, & sequentes propositiones latam requirerent discussionem; at quia nonnisi breviter eas examinare, ut ad ulteriora progrediar, mihi permittitur, lectorem remitto ad Reverendissimum Julium Mercorum Mantuæ Inquisitorem *in libro de praxi opinionum*, Magistros Ludovicum Minutolo, Joannem Baptistam Gonet *in disertatione de opinione probabili*, & *in manuali tom. 3. tract. 3. cap.* 16. Vincentium Baronium in sua *Theologia morali, p.* 1. & Vincentium Contempson, *tom. 3. Theologiæ mentis, & cordis*, qui vendicat aliquos Thomistas ab Adversariis adductos *dissert. 6. de novello probabilitatum commento*; Qui omnes ex Ordine Prædicatorum, post Jussum Alexandri VII. Generali Magistro factum, ut suos adversus Juniorum laxas

xas opiniones juxtà S. Thomę doctrinam ad ſcribendum commoneret, fusè, ſubtiliter, & ſolidè hanc materiam pertractarunt. Pro hujus tamen impugnatione.

2 Pręmitto Doctores diſtinguere probabilitatem ex parte Juris, & ex parte facti, & materiam Judicii in civilem, & criminalem. Probabilior ex parte Juris eſt, quando Jura clariùs loquuntur pro ipſa, quàm pro contraria opinione, & habet plures, & graviores Doctores pro ſe: major verò probabilitas ex parte facti eſt, quando clariora ſunt inſtrumenta, & graviores teſtes, vel probabiliores conjecturę, quę meliùs factum probant, quàm oppoſita. Hoc pręmiſſo.

3 Dico. 1. Pręd icta damnata propoſitio, ſi loquatur de minori probabilitate ex parte facti, in materia civili, comuni DD. opinioni adverſatur; ut refert Bardi *diſcept.* 4. *de conſcientia probabili*, *cap.* 27. *num.* 2. quam etiam ſequitur Tambur. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 36. §. 4. *n.* 5. Minutolo *p.* 2. *brevis notitiæ ar. primo concluſ.* 6. & conſentit etiam Diana *p.* 1. *tract.* 13. *reſol.* 3. qui tamen in dubiis Juris tenet oppoſitum.

Prob. ratione: quia, Judicis officium eſt ferre ſententiam juxtà merita cauſę, ac proindè in favorem illius partis, pro qua ſunt majora merita cauſę; immò ex legibus, & pacto inito cum bono publico debet ferre ſententiam pro meliùs probante cauſam ſuam; ſed majora merita cauſę ſunt, & meliùs probat cauſam ſuam ille, qui adducit efficaciores probationes ex parte facti, ac proindè pro quo ſtat opinio probabilior ergo &c.

4 Dico 2. Si pręd icta Propoſitio loquatur de minori probabilitate ex parte Juris, etiam eſt falſa. Hæc concluſio eſt contra Dianam *loco cit.* Sancium *in ſelectis diſp.* 44. *num.* 50. & alios: eam tamen docent Sotus *lib.* 3. *de juſt. & Jure q.* 6. *ar.* 5. *ad* 4. Valent., Malderus, Tannerus, Sanch. Layman, Villalobos, Filliuc. & Portel. citati à Diana, quibus adde Minutolum, *loco cit.* Tambur. *loco cit. num.* 7. & alios ab ipſo citatos, eſtque ſine dubio de mente S. Thomæ. Breſſerus fuſè probat ex utroque Jure, & rationibus, *lib.* 3. *de conſcientia cap.* 14. *num.* 140.

Prob. ex S. Th. 2. 2. *q.* 60. *ar.* 2. ubi habet. *Ad hoc, ut judicium ſit actus Juſtitiæ, tria requiruntur. Primò, ut procedat ex inclina-*

clinatione Justitiæ. Secundò ut procedat ex authoritate. Tertiò, quòd proferatur secundum rectam rationem Prudentiæ, & tunc deest hæc tertia conditio, quando deest certitudo rationis, putà, cum aliquis judicat de his, quæ sunt dubia. Sed in casu, quo judicaret juxtà minùs probabilem opinionem, deesset prima, & tertia conditio: ergo tunc illud judicium non esset actus Justitiæ, & consequenter illicitè ageret Judex, qui Justitiæ minister est. Minor prob. quò ad primam; quia relinquere opinionem probabiliorem, & sequi minùs probabilem, vel oritur ex affectu ad Personam, pro qua stat opinio minus probabilis; vel ex aversione ad illum, pro quo stat opinio probabilior; vel à proprio libito, & aliquo commodo, nam non potest determinari ab aliqua ratione, cum sint minoris efficaciæ illæ rationes minùs probabilis opinionis; sed hæc omnia sunt contra Justitiam, & inclinationem ejus, ergo &c. Probatur minor, nam primum est acceptio Personarum; secundum est contra æquitatem, quæ omnem passionem excludit, ultimum, scilicèt proprium commodum, cum sit interesse, est contra Judicis officium: si verò sit libitum, est contrà inclinationem Justitiæ: quia Justitia inclinat ad tribuendum unicuique, quod suum est; & quando deest certitudo, cujus res sit, probabilius est spectare ad eum pro quo est probabilior opinio; & cum probabilitas succedat loco certitudinis, quando hæc haberi nequit, certius est ad eum spectare; ergo illam tribuere alteri, pro quo est opinio minùs probabilis, est auferre rem ab eo, cui certiùs debetur, & consequenter habet majus jus ad illam: nam uterque habet jus ad rem ratione probabilitatis: ergo ille, pro quo stat opinio probabilior, habet majus jus ad illam. Hoc autem, quis non videt esse iniquum, & irrationabile?

Confirmatur hæc pars. Ad hoc, ut Judex sequatur opinionem minùs probabilem, vel convincitur à ratione; vel ducitur alio motivo; non primum; quia ratio opinionis minùs probabilis habet minorem vim convincendi, quàm ratio probabilioris: ergo si illa convinceret, magis convinceret oppositum: si secundum: ergo irrationabiliter agit, eò quòd ad minùs rationem relinqueret, & rationem relinquere, irrationabile est, & esset de numero illorum, quos proverbiare sole-

solemus : sit pro ratione voluntas: quod in omnium sensu est malum.

Prob. quò ad tertiam conditionem, scilicèt, quòd deest recta ratio Prudentiæ, quia judicat de his, quæ sunt dubia: quando pro utraque parte sunt rationes æquè probabiles, tunc Intellectus est dubius: ergo multò magis est dubius de opinione minus probabili: cum pro opposita parte sint rationes probabiliores, quæ urgent. Conseq. sequitur; quia si æqua probabilitas oppositi reddit dubiam aliquam opinionem, multò magis major probabilitas oppositi: ergo judicando secundùm opinionem minùs probabilem, judicaret de re dubia.

5 Nec valet dicere; in tali casu dubium esse *speculativum*, quod Judex potest deponere in praxi, dum alteri parti adhæret.

1 Non, inquam, valet: quia judicium speculativum semper Inducit judicium practicum, ut patet hoc exemplo. Probabilius est, & juri magis consentaneum, testamentum factum sine hac, vel illa solemnitate esse invalidum: sed huic testamento deest talis, vel talis solemnitas: ergo est invalidum. Hæc est consequentia judicii practici: posita enim majori, per legitimam consequentiam deducitur conclusio pro casu particulari, quæ est judicium practicum rationis. Quomodo poterit relinquere hoc dictamen rationis dictantis esse invalidum, & proferre sententiam, quòd sit validum? An fortè, quia ex alio discursu inferret contrariam? Sic: probabile est, & aliqua jura id videntur disponere non esse de substantia, & validitate testamenti talem solemnitatem: ergo probabile est tale testamentum esse validum. Sed quis non videt hanc consequentiam esse dubiam practicè, sicuti dubia est præmissa, ex qua infertur, cum ejus opposita sit firmior?

At dices discurrere tunc ex alio principio. Ita: non convincor evidenter in neutra opinione: licèt una sit altera probabilior: at hoc stante, licitè possum sequi quamlibet opinionem probabilem: ergo possum juxtà hanc minùs probabilem judicare. Sed quis non videt minorem illius discursus esse maximè dubiam, & consequenter etiam conclusionem practicam ex illa deductam?

Et ac-

Et accipiam illam minorem ante damnationem (nam nunc jam est falsa) ne videamur uti eo, quod impugnare debemus, In tali casu sic deberet discurrere Judex, & si hunc discursum omitteret, non sequeretur Prudentię regulas, quę omnia pro, & contra examinanda dictant. Me posse sequi opinionem minùs probabilem aliqui asserunt; alii tamen negant: posse sequi opinionem probabiliorem omnes concedunt; nam Doctores oppositi, non dicunt debere sequi opinionem minùs probabilem, sed posse, & etiam posse probabiliorem: attamen alii dicunt, debere sequi probabiliorem: ergo sequendo probabiliorem juxta omnium sensum benè facio, & nullum est periculum malè faciendi: sequendo verò minùs probabilem, in aliquorum sententia malè facio. Sed Prudentia dictat potiùs eligendum id, quod à nemine reprobatur, & omnium sensu est rectum, quàm id quod non omnium sensu probatur, & censura dignum est: ergo Prudentia dictat me judicare secundùm opinionem probabiliorem. Hic est discursus rationis practicæ, & à Prudentia dictatus, cujus contrarium Judex si fecerit, non solùm erit dubius speculativè, sed practicè, & contra regulas Prudentiæ faciet; vel si hunc discursum omittet facere, deerit recta ratio Prudentiæ, quæ est tertia conditio à S. Thoma requisita, & consequenter illud Judicium non erit actus Justitiæ, sicuti deberet esse.

6 Hìc nota, quòd probabilior opinio Juris in praxi est illa, quæ magis diuturna consuetudine in aliquo Regno recepta est; licèt contraria habeat in jure comuni solidiora fundamenta. Ratio est: quia consuetudo habet vim Legis, & Jura municipalia magis, quàm comunia servari debent in unoquoque Regno: illa autem quæ diuturna consuetudine recepta est, cum non possit præsumi ex ignorantia Juris comunis invaluisse, quando in nullo casu contrarium factum est; debet præsumi abrogatum Jus comune per Jus municipale.

Hinc sequitur, quando æqualiter in materia civili, probabiles sunt opiniones, & factum nulli litigantium favet, debere Judicem consulere supremum Tribunal, in quo ob majorem caussarum discussionem; major supponitur Juris peritia: vel si illud adire non potest, debet res inter litigantes dividi: vel si

sit in-

ſit individua, debet Judex componere partes. Si verò factum alteri magis favet, vel alter eſt in poſſeſſione, debet judicare in favorem poſſidentis: cum in dubiis melior ſit conditio poſſidentis. Similiter, ſi alter litigantium eſt perſona privilegiata, ut pupillus, vidua, peregrinus, loca pia, cauſa Dotis, Matrimonii, libertatis, exiſtente æquali probabilitate, tenetur Judex ferre ſententiam in favorem cauſæ privilegiatæ, vel perſonæ privilegiatæ: quia Lex, quam ſervare tenentur Judices, decrevit, ut in pari caſu his faverent, ita Tambur. *loc. cit. n.* 4. vide *cap. fin. de ſentent. & re judicata*. Maſcard. *de probat. v. opinio n.* 14. *concluſ.* 1143. 10.

Excipiendum tamen eſt, ſi Judex non ſit ordinarius, ſed arbiter, & eligatur à collitigantibus ſub conditione, quòd debeat juxta ſuam opinionem, & non juxta aliorum judicare; tunc enim non poterit alienam opinionem ſequi, ut docet Diana *loc. cit.* ex Monteſino *in p. 2. tom. 1. diſp.* 29. *q.* 5. *n.* 213. Quòd ſi arbiter utramque opinionem probabiliter ſuſtineat; non poterit juxta alteram judicare, ut vult Diana: quia non judicaret juxtà proprium judicium adęquatè; cum judicaret etiam contra proprium judicium inadęquatè: ſed debet ſequi regulam ſupra traditam de Judice ordinario, verſante æquali opinionum probabilitate, cum in ſimili caſu reperiatur.

7 Probatur. 2. Concluſio. Ex prædicta opinione ſequeretur, ferè nunquam Judicem injuſtè judicare: quia vix dabitur caſus, in quo alter collitigans non habeat aliquam probabilitatem; dato namque, quòd una pars non eſt evidens; ut ſæpè accidit in materia contingenti; ſed in linea probabili, contraria ſemper eſt probabilis, ut docet Caramuel *in Hercule logico part.* 3. *art.* 3. ſed hoc eſt contra omnium ſenſum, qui ſæpè de Judice judicante juxtà rationem minùs fortem conqueruntur injuſtè egiſſe: ergo prędicta opinio eſt contra communem ſenſum.

Conf. ex illo principio lumine naturali cognito. Quod tibi non vis, alteri nè feceris; ſed Judex ſi litigaret, nollet ſibi in contrarium ferri ſententiam; ſi probabiliores haberet pro ſua parte rationes, & jura magis ei faverent: unde comuniter non alia cauſa adduci ſolet Injuſtitię, vel Juſtitię Judicis, niſi quia

favit

favit habenti minorem, vel majorem rationem: ergo nec ipſe debet alteri hoc facere, nempè judicare in favorem habentis pro ſe opinionem minùs probabilem, & contra habentem opinionem probabiliorem.

Confirmatur iterum. Quia data prędicta opinione fruſtraneus eſſet labor Advocatorum in allegandis rationibus, Juribus, & Doctoribus pro parte, quam patrocinantur; quod certè non faciunt, niſi ad oſtendendam majorem probabilitatem, ſed vel totus eorum conatus eſſe deberet in probanda evidentia ſuæ cauſæ, ut excludant alteram à linea probabili; quod nunquam, aut vix aliquando probare poterunt, vel in probando eſſe Jura, & Doctores pro utraque parte, & expectare à libertate Judicis, quam maluerit eligere. Fruſtaneum quoque eſſet allegare deciſiones pro eadem materia factas; quia ſicuti ille voluit eligere hanc partem, ita iſte poteſt, in ſententia, quam impugnamus, eligere aliam, quamvis ſit minùs probabilis: ſed hæc ſunt abſurda, & contra ordinariam, & comunem praxim: ergo &c.

8 Dico tertiò. Si ſermo ſit de cauſis criminalibus; & probabilitas ſit ex parte Juris: ſi non poteſt Judex adire ſupremum Tribunal, debet judicare juxta probabiliorem opinionem. Patet ex rationibus jam allatis; in hoc enim non habet aliquid peculiare materia criminalis. Si verò eſt æquè probabilis opinio Juris; debet Judex ſequi opinionem favorabilem reo: quia in dubiis ſtandum eſt pro reo: dicitur enim *de Reg. Juris in* 6. *reg.* 11. *Cum ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori*; non ſunt autem jura obſcura quando probabiliùs ſunt pro Actore; quia in his materiis, in quibus nequit haberi evidentia, major probabilitas ſuccedit loco certitudinis, & claritatis.

Et licèt aliquando poſſit contingere, ut probabilius ſit falſum in ſe: tamen quòad nos eſt verius, cum non habeamus aliud medium cognoſcendi veritatem. Undè non admittendum cum Tambur. *n.* 10. debere Judicem parvifacere probabiliores rationes circa Jus contra Reum.

6 Dico 4. Sin in cauſis criminalibus probabilitas verſetur circa factum; etiàm ſi ſint probabiliores rationes contra Reum; debet Iudex judicare in favorem Rei. Ita communiter Doctores;

nec in tali casu judicaret juxtà opinionem minus probabilem; sed juxtà certam dispositionem Juris, quod statuit, ad hoc, ut Reus condamnetur, non solùm probabiliter, sed certò debere esse convictum: sancitur enim probationes contra Reum debere esse luce meridiana clariores. Et ratio est: quia unusquisque præsumitur probus, nisi evidenter constet oppositum; ut docuit Abbas *in c. Ad nostras de probationibus & in cap. Forus de verb. significatione* idem docuit Menoch. *lib.* 1. *de Præsumpt. q.* 90. *n.* 12. *& lib.* 1. *q.* 50. *n.* 21.

10 Hinc sequitur 1. Confessarium, vel Parochum, qui est Judex animarum teneri consulere pœnitentibus in praxi probabiliorem opinionem: tum quia, tenetur vitare graves remorsus, qui possunt oriri ex opinionibus minùs probabilibus; Undè Clem. V. *in Conc. Vienn.* dixit: *In dubiis tutiorem partem esse eligendam ad tollendos graves remorsus à mentibus sinceris* ubi adverte, ly, *sinceris* ut contradistinctum à scrupulosis.

11 Sequitur 2. Medicum in curandis infirmis teneri uti medicamentis, quę probabiliùs cognoscit posse infirmis prodesse; & abstinere ab illis, quæ probabiliùs existimat afferre nocumentum: quia debet, quantùm potest, cavere à periculo nocendi: & magis noceret ipse, qui nocet saluti, & vitæ quod præstantius bonum est rebus exterioribus; quàm Judex in materia civili, qui tantùm bonis exterioribus nocet. Tùm etiam, quia si ipse Medicus esset infirmus, potiùs vellet sibi applicari medicamenta, quę probabiliùs afferunt sanitatem, quàm illa, quæ probabiliùs nocere possunt; licèt probabiliter existimentur prodesse: primum principium autem est Juris naturæ, quod tibi non vis, alteri nè feceris.

PRO-

PROPOSITIO III.

Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.

1 PRæmitto 1. tanquam certum, voluntatem agentem contra conſcientiam erroneam ſemper peccare, dum eam non deponit. Ita expreſſè S. Th. *quodlib.* 9. *ar.* 5. ubi ait: *error, quo creditur eſſe mortale, quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale*, & rationem aſſignat idem S. Doct. 1. 2. *q.* 19. *ar.* 5. dicens: *In bonum non fertur voluntas, niſi ſecundum, quod à ratione proponitur, unde ſi à ratione proponatur ut malum, voluntas fertur in hoc, ut malum, non quia illud ſit malum ſecundùm ſe; ſed quia eſt malum per accidens, ex apprehenſionè rationis*. Et idem habetur *can.Omnes* 28. *q.* 1. ubi dicitur: *omnes quod contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam*. Idem expreſsè docet Ambroſius, vel Ambroſiaſter ſuper illa verba Apoſtoli: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, & D. Bernardus *lib. de præcep. & diſpenſ. cap.* 14.

2 Præmitto 2. Non licere operari ex conſcientia practicè dubitante de bonitate, vel malitia actus, ut docet S. Th. *quodlib.* 8 *ar.* 3. dicens: *Ille, qui in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, ſi manente dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit; & ſic procul dubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem*: ubi etiam rationem aſſignat. Idemque ait Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract. ult. reſp.* 13. *dub. ult.*

3 Præmitto 3. Eum, qui poſt adhibitam ſufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem in rebus moralibus, & ſolùm ei occurrit opinio probabilis, nec alia probabilior apparet, licitè operari. Ita cum S. Th. *quodlib.* 8. *art.* 13. in argumento, *ſed contra*, omnes Theologi; licèt contrarium ſentiat Fagnanus ſuper caput: *Nè innitaris*. Verba S. Th. ſunt hæc: *Si aliquis adhibet diligentiam inquirens, an habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquod, quod ipſum moveat ad hoc, quod ſit illicitum, videtur quod ſine peccato plures poſſit habere præbendas*. Ratione conſtat;

ſtat; quia Deus non exigit ab homine, pluſquam ejus conditio habeat; ſed conditio hominis non poteſt omnium rerum claram, & certam notitiam habere, nec ad hoc poteſt obligari: ergo ad hoc, ut licitè operetur, ſufficit opinio probabilis, quando facta ſufficienti diligentia, alia probabilior non apparet.

4 Præmitto 4. Falſum eſſe, quòd ſi quis in materia morali uteretur opinione probabili; vel quia alia probabilior non apparet poſt ſufficientem diligentiam; vel quia eligit in conflictu duarum probabiliorem; ſi in re hæc diſcordaret à lege æterna, etiam ſi ipſe invincibiliter ignoraret, peccare mortaliter. Pro cujus claritate.

5 Suppono 1. *ex tract. de vitiis, & peccatis*, quem præſenti anno Diſcipulis dicto; ignorantiam invincibilem, ſi dari poteſt, excuſare à peccato, ut cum Magiſtro ſent. *in* 2. *diſt.* 22. & cum S. Th. *p.*2.*q.*76.*art.*3. docent omnes Scholaſtici contra Janſenium *lib.* 2. *de ſtatu naturæ lapſæ cap.* 2. & ſequentibus, ubi docet ignorantiam juris naturalis non excuſare à peccato; licèt excuſet ignorantia juris poſitivi. Contra quem SS. PP. Auctoritates, & rationes adducit ſapientiſſimus Gonet, tàm in clypeo, quam in manuali Theologiæ Thomiſticę. Ratio fundamentalis eſt; quia illa actio facta cum ignorantia invincibili de ejus malitia, eſt involuntariè mala; ergo non poteſt eſſe peccatum.

Antec. conſtat ex verbis S. Th. n. 1. allatis; quibus ſic probatur; voluntas non fertur in objectum, niſi, ut propoſitum ab Intellectu; undè eo modo in ipſum fertur, quomodo proponitur ab ipſo: ergo ſi non proponitur ut malum, hoc modo in ipſum fertur voluntas: ergo illa actio eſt involuntariè mala. Tùm etiam, quia, voluntarium debet eſſe à principio intrinſeco cum cognitione finis, ſed tunc deeſt cognitio malitiæ: ergo non eſt voluntariè mala. Nec poteſt dici mala in cauſa, quia ſupponimus ignorantiam jam eſſe invincibilem. Conſequentia probatur, quia de ratione peccati eſt, quòd ſit voluntarium, ut docet S. Th. *p.*2. *q.*74. *art.* 1. & aliis locis. D. Aug. pluribus etiam locis. Conſtat etiam ex eo, quòd Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII. damnarunt illam propoſitionem Baii dicentis. *Ad rationem definitionẽ peccati non pertinet voluntarium.* Et ratione etiam conſtat, quia peccatum debet eſſe actus liber, non eſſet autem actus liber niſi eſſet

volun-

voluntarius. Undè à prędictis Pontificibus damnata eſt alia propoſitio Michaelis Baii, dicentis: *homo peccat damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit:* ergo &c.

6 Suppono 2. quòd licèt dari non poſſit ignorantia invincibilis primorum principiorum, vel præceptorum, quæ per evidentem conſequentiam inferuntur ex ipſis facili diſcurſu, ut ſunt præcepta Decalogi, attamen dari poſſe, ignorantiã invincibilem eorum, quæ valdè remota ſunt, & per longum diſcurſum ex principiis Juris naturalis deducuntur; ut ſunt illa, quæ adhuc inter Theologos controvertuntur; an aliqui contractus particulares ſint illiciti, & uſurarii, & ſimiles. Ratio eſt; quia, aliqui rudis ingenii non poſſunt pervenire ad ea, quæ difficili diſcurſu Doctores acquirunt; nec eos interdum poſſunt conſulere: imò ab ipſiſmet interdum ignorantur. Adde quòd ex oppoſita ſententia ſequerentur duo abſurda, quæ adducit Gonet *in manuali tract.*6.*tom.*4. *cap.* 354. Primum eſt, quòd aliquis neceſſariò peccaret; ſit exemplum.

Eſt infirmus in extrema conſtitutus neceſſitate ob indigentiam, ego non habeo, unde illi ſubveniam, cum habeam meæ ſuſtentationi neceſſaria; nec alius modus ſuppetit, niſi ab alio accipiendo furtivè quantùm illi neceſſarium eſt: hoc ſtante occurrit mihi opinio, me ex Charitate erga proximum teneri ad furandum, cum ille infirmus per ſeipſum nequeat id facere, taliter quòd, hoc prętermittere non poſſim ſine peccato; nec facta diligenti inquiſitione, aliud in contrarium mihi occurrit: ponamus quòd non ſit alius, niſi ille, qui ſolùm habet neceſſaria ſtatui, & ab hoc debeam accipere, & hoc facere in re ſit malum, & diſſonum Juri naturali; in tali caſu quocumque me verterem, neceſſariò peccarem: peccarem, inquam, furando; quia in re diſcordat à regula, ut docent contrarii: peccarem non furando; quia conſcientia mihi dictat teneri ad id faciendum; & non faciens, contra conſcientiam operarer: ergo ſequitur mihi dura, & inevitabilis peccandi neceſſitas, contra illud axioma: *Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt* quod D. Augu. *lib. de duabus animabus cap.* 11. lumine naturali notum exiſtimat. Secundum abſurdum eſt; quia plerùmque eſſet fortunæ, & non voluntatis, quòd homines peccent; quia fortunæ adſcribitur, quòd

id ſit, vel non ſit in ſe conforme Juri naturali, dum ignoratur, quod eſt abſurdum; cum cauſa peccati ſit ſola voluntas operans difformiter ad regulas moris.

7 Ex his ſuppoſitis, evidenter deducitur falſitas illius dicti recenſiti. Nam poteſt dari ignorantia invincibilis Juris naturalis, & hæc excuſat à peccato; ſed ſequens opinionem probabilem poſt ſufficientem diligentiam, nihil in contrarium apparente; vel in concurſu duarum eligens probabiliorem, haberet ignorantiam invincibilem de pravitate actus: ergo etiam ſi id in ſe eſſet diſſonum Juri naturali, non peccaret. Minor quò ad primam partem conſtat; quia omnem adhibuit diligentiam: quò ad ſecundam etiam; quia non poteſt plùs facere, qui ſequitur probabiliorem.

8 Hoc tamen ſecundum limitandum puto: ſi ex utraque parte extent duo præcepta; ut in exemplo adducto; vel ſi nulla ſit certitudo exiſtentiæ præcepti, & probabilius ſit ipſum non eſſe; in quo caſu nullo pacto videtur obligandus ad faciendum id, de quo dubitatur an ſit præceptum: ut eſt in caſu, an teneamur poſt peccatum ſtatim conteri, aut confiteri, ubi controverſia eſt de præcepti exiſtentia, & probabilius eſt, & communius ipſum non eſſe; vel in caſu, quo major probabilitas favet præcepto. Si verò certò conſtet de exiſtentia præcepti, nec cum alio præcepto concurrat, & ſolùm dubitetur, an hæc ſit cauſa legitimè excuſans à pręcepti obſervantia; ob ſolam probabilitatem, etiam ſi ſit major, niſi ſit certitudo, ad minùs moralis: ut ſi ſit de communi conſenſu Doctorum, vel alio capite, non poſſet quis adhærere opinioni probabiliori relaxanti pręceptum; ſed peccaret; jam enim in tali caſu non eſſet ignorantia invincibilis, cum potuerit tutiorem ſequi. Tùm etiam, quia certum non eſt poſtponendum incerto; certum autem eſt inſtare præceptum, incertum, an excuſer ab illo; cum probabilitas non cauſet certitudinem: ergo &c. Tùm etiam, quia non ageret prudenter in hoc caſu ſequendo opinionem probabiliorem, relicta tutiore; quod poteſt colligi ex illo diſcurſu, *propoſ. præc.* allato pro Judice, n. 5. in fine.

9 Igitur ſenſus prędictę Propoſitionis damnatæ eſt, quando quis operatur innixus opinioni tenuiter probabili, vel intrinſecè, ſcili-

scilicet, ob rationes parvi ponderis; vel extrinsecè ob auctoritatem paucorum; omittendo examen de opposita opinione, & diligentem inquisitionem veritatis; nonnisi enim imprudenter ageret, ut patet ex supradictis: non enim faceret quantùm in se est; unde non ex ignorantia invincibili operaretur: nec illa tenuis probabilitas sufficeret ad tollendam dubitationem de opposito: unde parùm distaret ab operante cum conscientia practicè dubitante. Vel intelligenda est, quando illa opinio tenuiter probabilis, est in concursu alterius probabilioris, imprudenter enim tunc quis juxtà eam operaretur; ut mox dicemus. Eam in terminis positis docuit Pasqual.*dec.*20.Bræsserus, Franc.de Amico, Bardi apud Tambur. *in Decal. lib.*1.*c.*3. §.3.*n.*3. qui eam ita approbat, ut sit ei ratio ad probandum omnia antedicta in eodem numero. Preter hos, plures alii probabilistę id asserunt; licèt non sub eisdem terminis; & alii aliquas limitationes subjiciant quos videre potes apud Dianam *p.p. tract.* 13.*resol.* 1. qui audet asserere hanc sententiam communiter amplexatos esse Theologos. Pro resolutione tamen.

10 Dicendum est: nullatenùs licet sequi opinionem probabilem tenuiter; non facta sufficienti diligentia de opposito; nec in concursu duarum opinionum licitum est sequi minùs probabilem; sed debemus sequi probabiliorem. Ita omnes antiqui Theologi, & Canonistæ; (contraria enim à 60. ferè annis incępit) amplectitur ab antiquis SS. PP. & eam à tempore Apostolorum deductam probat Minutolo. S. Th. Scotus *in* 3. *dist.* 25.*q.* 1.*num.* 8. dicens: *Cum habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta, illam probabiliorem eligeret*, & loquitur in materia morali, ut patet ex verbis præcedentibus S. Antoninus *p.p. tit.* 3. §. 10. *regul.* 4. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. *in* 3. probat. 1. conclus. *Sylv. v. Dubium q.* 2. Conradus *de contract. tract.* 7. *q.* 110. *conclus.* 1. Sotus, & alii antiqui numero viginti citati à Mercoro. Pręter hos sunt illi quinque Ord. Prędic. *propos. præc.* citati & Anton.Perez citatus à Diana, & Comitolus.

Item ex Societate Jesu Bellarm. Michael Elizarda, & Candidatus Philaletus, seù Andreas Blancus; licèt ipsum impugnet ex eadem societ. Bardi: ex Canonistis verò novissimè hanc sen-

tentiam eruditè docuit Fagn. referens pro ea plures celebres Canoniſtas; quibus addendus eſt Joannes Cabaſſutius Congreg. Oratorii Presbyter. citatus à Gonet in manuali loco cit.

In primis poſſet probari eiſdem rationibus quibus probata eſt præcedens, & innumeris auctoritatibus S Script. SS. PP. & Sac.Can. quas expendit Minut. *in add.* ſcribens contra Caramuelis Apologema; & Gonet locis cit. & pluribus rationibus ab eiſdem adductis, cum ſolus Fagnanus 26. rationes afferat; unica ego contentus ero ad probandam ſecundam partem concluſionis (nam prima jam patet ex dictis) ſub hac forma.

11 Recta regula operationum moralium eſt conformitas rectæ rationi, quæ eſt principium operationis unde diſſonantia rationi rectę, quę eſt participatio legis æternę, eſt id, in quo conſiſtit malitia peccati: ſed quotieſcumque aliquis minùs probabili adhæret opinioni, relicta probabiliore, relinquit rectam rationem: ergo peccat. Major patet. Minor probatur; primò: probabilior opinio infert ex præmiſſis efficacibus, licèt inevidentibus, & per legitimam conſequentiam actum eſſe faciendum; & in concurſu alterius ſyllogiſmi ex debilibus præmiſſis deducti; convincunt Intellectum illæ efficaciores, & illæ debiles non poſſunt Intellectum diſtrahere, nè illis efficacibus rationibus aſſentiatur; quin efficaciores prævalent, nè aſſentiatur minùs efficacibus; ac proindè ſentit, ita eſſe faciendum: ergo ſi defacto probabiliorem relinquit, & minùs probabili adhęret, relinquit dictamen rationis rectæ, & operatur contra id, quod revera ſentit, quod eſt operari contra conſcientiam.

Secundò, quia ſaltem adhærendo minùs probabili opinioni; quòd actus ſit licitus, ille efficaciores rationes probabilioris opinionis nequeunt ad minùs cauſare dubium de oppoſito, & illum relinquere in mala fide de honeſtate illius actus: ergo tunc operaretur mala fide, & conſequenter peccaret. Prob. conſeq: hæc, 1. ex Apoſt. dicente: *quod non eſt ex fide peccatum eſt*: ideſt, ut exponunt plures SS.PP. quod non eſt juxtà conſcientiam. 2. Quia ut ſuprà probavi, & communiter DD. aſſerunt, qui dubitat, an actus ſit illicitus; etiam ſi hoc dubium proveniat ex conſcientia ſcrupuloſa, aut erronea, dummodò non ſit leve dubium, ſi ſtante illo dubio, non omittit patrare illum actum, peccaret: ergo multò

multò magis peccat, quando haberet dubium ortum ex ratione probabiliori, quæ causat majus dubium, quam scrupulum.

Tertiò. In casu posito, ad relinquendam probabiliorem, & sequendam minùs probabilem, non poteſt moveri voluntas à ratione; nec Intellectus poteſt ei practicè hoc proponere à rationibus ductus; cum ex illis non convincatur, ut eliciat hoc judicium practicum, hoc eſt faciendum; cum potiùs deberet convinci ab efficacioribus rationibus opinionis probabilioris: ergo Intellectus practicus tunc, vel diſcurrit ex principiis deductis ab utili, vel commodo, vel delectatione, quam percipit ex minùs probabili: non enim poteſt diſcurrere ex hoc principio, quia magis accedit ad veritatem, vel quia eſt remotior à periculo peccandi, & honeſtior; cum hęc conveniant probabiliori, non verò minus probabili: ergo procedit contra rectam rationem dictantem proponendum eſſe honeſtum utili, & delectabili; dùm ipſe pluris facit utile, & delectabile, quàm id, de quo probabiliùs conſtat eſſe honeſtum, quàm oppoſitum. Nec opinio probabilis verſatur circa bonum, vel melius, ſed circa licitum, vel illicitum, bonitatem, vel malitiam actus; undè non poteſt dici, quòd tunc minùs benè faceret, non verò malè.

12 Confirm. Ex prędicta opinione ſequeretur 1. fruſtrà laborare Doctores ad probandas opiniones, ut eas probabiliores reddant, in materia morali; quod etiàm ipſi Adverſarii facere conantur; cum pronunciant ex probabilibus rationibus has conſequentias: ergo non eſt licitum: ergo hoc non poteſt fieri: ergo ad hoc tenetur; cum etiam oppoſitum ſit licitum, & poſſit fieri; & ad illud determinatè non teneatur in ipſorum ſententia; dum poteſt oppoſitum quiſque facere, & licitè, etiam ſi ſit minùs probabile. 2. Fruſtraneum eſſe recurſum ad libros, ad Doctores, ad Conſultores pro dirigendis conſcientiis; nam, vel res eſt evidens, & conſultatione non indiget, vel dubia, & merè probabilis, ut frequenter accidit in moralibus: nam exceptis paucis quę per evidentem conſequentiam ex primis principiis inferuntur, materia moralis talis eſt, cum ſit circa contingentia, ut non ſit ei conveniens certitudo, ut ait S. Th. *in lib.* 1. *Ethic. cap.* 1. & ex alio capite, ut dixi ſupra ex Caramuele; data una opinione merè pro-

probabili; etiam opposita est probabilis: ergo posset quælibet indifferenter eligi; indifferenter consuli; quod etiam nec consultos fecisse arbitror adversarios ipsos. Hoc innuit Fagnanus loco cit. ubi habet. *Nullum est dubium, quin omnis regula morum possit everti ex libertate opinandi, non modò in præceptis humanis, sed etiam in Divinis, & naturalibus, dùm de ipsis interdùm non occurrant rationes demonstrativæ. Undè his temporibus eò res perducta est, ut nullus ferè sit articulus in moralibus, in quo non sit varietas, vel contrarietas opinionum; adeò ut in solo opere, non ita pridem impresso resolutionum moralium Antonini Dianæ numerentur in unum collectæ quæstiones suprà ter mille cum opinionibus, & Auctoribus pro utraque parte plerumque affirmantibus, aut ambas esse probabiles, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem; in quibus ferè omnibus agitur de peccato mortali: &c.* & Crispinus à Borgia *in selectis moralibus q.9.* relatus à Gonet in manuali *loc. cit. In rebus moralibus vix datur casus in quo non sint duæ opiniones contradictoriæ, & probabiles. Et hoc punctum ita ad punctum reduxit Caramuel, ut vix sit aliquod præceptum Ecclesiasticum, quod eludi non possit, si ejus doctrinæ, quam probabilem putat adhæreamus: Nam duas opiniones contradictorias sequi quemlibet posse probabile esse contendit. Ex quo fit, ut nemo teneri videatur præcepto jejunandi, audiendi sacrum, recitandi horas canonicas, & alia hujusmodi.*

13 Argumenta contrariæ sententiæ apud Gonet, Minutolo, cæterosque recentiores recensitos Thomistas fœliciter expugnata videantur. Adducam solùm illud Caramuelis, quod ipse putat demonstrationem; & est hoc: Vel possum sequi opinionem probabilem, vel teneor sequi probabiliorem: si primum habeo intentum, si secundum; ergo possum sequi opinionem minùs probabilem. Probat hanc consequentiam quia, probabilior est opinio asserens me posse sequi opinionem minùs probabilem quàm illa, quæ asserit debere sequi probabiliorem: ergò &c.

Hujus Auctoris ingenium argutum, & subtile semper sum demiratus. Si in opinionum delectu solidiora quæsiisset, eum veneraretur Orbis universus.

Ad argumentum resp. negando hoc ultimum assumptum, quod

quod ipse non probat, sed supponit. Et certè, si loquatur de probabilitate extrinseca, falsum est, ut patet ex numero Doctorum pro nostra; quorum unus sufficit pro mille, cum sint Doctores classici, pietate, & sapientia pares, cujusmodi sunt S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, Cajet. & alii, & SS. PP. auctoritas atque sacrorum Canonum nostræ favet, ut videre est apud Minutolo *in addit. q.* 1. *art.* 11. si verò loquatur de probabilitate intrinseca, ad trutinam revocentur rationes pro nostra, præcipuè à Gonet adductæ, & non solùm efficacissimas, verùm etiàm plerasque evidentes, aut methaphysicè, aut moraliter experiemur. At ad prçscriptionem recurrit Caramuel, & quia communiter amplectebatur. Sed eo tempore, quo hæc scripsit Caramuel, nondùm 40. annis obtinuerat, & nunquam fuit in pacifica, ut ipse ait, possessione; ex quo enim exorta est, semper habuit validos impugnatores, ut patet ex recentioribus pro nostra allatis. Restitere plures Parochi, Doctores, Episcopi, plures Universitates, præcipuè Pictaviensis, plures Ordines regulares in suis constitutionibus hoc sancientes, ut Ordo Sanctissimę Trinitatis, Ordo prçclarus Theatinorum, Ordo Prędicatorum, aliique, ut videre est apud Gonet *in dissert. de opin prob.*

Auctoritates verò Scripturę, & pleręque rationes, quas adducit Caramuel in Apologemate contra Fagnanum, non impugnant nostram sententiam; sed illam à nobis relatam n. 4. quę est Jansenii; quam confundunt cum nostra, ut etiam aliqui fecerunt in Gallia, qui tamen liber damnatus est à Sorbonensi, & Parisiensi Universitate, & à pluribus Gallię Episcopis in synodalibus epistolis, teste Gonet & à fęl. rec. Alexandro VII. 1659. die 26. Augusti, sicut etiam Apologia Caram. prohibita, & damnata fuit anno 1664. die 15. Januarii ab Eminentissimis Cardinalibus Sacrç Congr. Indicis Prçfectis.

14 Demùm advertere debent omnes ad casum relatum à Minutolo, Mercoro, & Gonet, quem tradunt Auctores maximę auctoritatis, cujusmodi est Dion. Cartusianus, Malvenda, Spondanus, & Thomas Cantipatranus Ord. Pręd. vir integerrimę fidei, & singularis pietatis. Referunt hi, Philippum quendam Parisiensem Cancellarium apparuisse Guillelmo Episcopo

ſcopo oranti, & dixiſſe ei ſe eſſe damnatum, & inter cæteras cauſas hanc aſſignavit, quia noluit cedere opinioni de pluralitate Beneficiorum, contra probabiliorem, quę ei conſulebatur & in morte dixit, ſe velle experiri, an eſſet damnabile ſequi opinionem probabilem.

15 Petes, quid debeat facere, conſultus, vel confeſſarius, verſante opinione æquè probabili, quam debet conſulenti in praxi proponere ſequendam?

Hoc dubium à me reſolutum fuit, dùm Caſtriveterani Lector Theologię moralis exiſterem, *in tract. de reſtit.* unde eadem hìc tranſcribam.

Reſpondeo juxta dicta anno præterito, dum loquerer de opinione probabili, impugnando propoſitiones à Sanctiſſimo damnatas (vix ad aliquos pervenerant in Sicilia, cum hoc pręſtiti.) Certum eſſe, conſuli debere tutiorem faventem pręcepto; ut patet ex illa regula. In dubiis tutior pars eſt eligenda; licèt autem opinio probabilis differat à dubio: anceps tamen, & dubius remanet Intellectus in conflictu duarum opinionum æquè probabilium, quamnam eligere debeat, cum non magis determinari poſſit à pondere rationum: rationum, inquam, unius, quàm alterius; hoc enim importat æqualis probabilitas: ſi enim magis à rationibus unius convinceretur, probabilior ſibi eſſet. Et præter rationes ibi adductas, & loca Scripturæ videnda apud Gonet; maximè conſonat illud Pſ. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*; ideſt, quantùm ſcimus, & poſſumus: non facimus autem quantùm ſcimus, & poſſumus, cum ob ſolam probabilem opinionem in concurſu æquè probabilis magis faventis præcepto, actus contrarius præcepto admittitur, vel actus præceptus omittitur; nulla impotentia, vel phyſica, vel morali excuſante: verùm pro majori claritate in praxi, ſequentem regulam ſubjungo.

In primis, præter alias circumſtantias, quę pro caſu particulari occurrere poſſunt, quę determinationem potiùs ad unam partem, quàm ad aliam expoſcunt; habere debet reſpectum prudens Confeſſarius ad perſonas, quę conſilium petunt: ſi enim ille, qui conſilium petit eſt conſcientię nimis ſcrupuloſę, anxię, & timidę, & variis in ſuis actionibus angitur dubiis, caſu quo

utra-

utraque opinio est æquè probabilis, debet ipsi consuli laxior potiùs, quàm tutior favens pręcepto. Sit exemplum: est aliquis nimis scrupulosus in recitatione Horarum Canonicarum, ad singula verba hæret, sæpè replicat, semper dubitat, an rectè illa protulerit: huic potest consuli opinio laxior verè probabilis, scilicet, quòd sufficiat recta prolatio moraliter, non physicè. Hujus ratio est, quia, Charitas exigit, ut sublevetur ille proximus, cui si consulitur rigorosior, præbetur occasio, propter conscientiam scrupulosam, labendi in plura peccata: & dum scrupuli augentur, à pluribus bonis operibus exercendis retrahitur, & impeditur, dum totum tempus in recitatione officii consumet, humor melancholicus crescens, eum in animę, & corporis salute damnificat, & in dementiam sępè inducere potest: ex alia parte, illa opinione laxiori, non tàm làxè utetur, ut non attendat ad rectam prolationem, sed rigorem illum forsan temperabit, ex quo non relaxatur pręceptum nec Divino cultui aliquid detrahitur, & aliàs sublevandæ illius miseriæ consulitur.

Si verò ille, qui petit consilium, est nimis laxæ conscientiæ ut si negligens circa lectionem horarum, soleat verba dimidiata proferre, parùm sit attentus &c. isti consulenda est opinio severior ęquè probabilis. Ratio est quia, iste talis laxitati pronus, opinione laxa magis debito utetur, & ex illa sumet paulatim ampliorem negligentię occasionem, unde ipsi ob tale periculum non debet consuli laxior opinio, sed severior, ut saltem ab illa incuria, & negligentia aliquatenus abstineat, & non ad majorem declinet.

16 Sed quid facere deberet Confessarius, vel Consultus in materia ęquè probabili pro utraque parte, sed tamen pręvidet ex tutiori favente præcepto, consulenti parari viam ad plura peccata, quia scilicet illi non est se conformaturus: ut petens consilium, an contractus sit licitus necnè, vel de validitate matrimonii, dummodò utramque sit ęquè probabile sed tamen pręvidetur, si consulatur pars negativa, non fore, ut abstineat ab illo contractu, nec à concubitu cum uxore. Quam debet in tali casu consulere opinionem?

Petrus

Petrus Marchant Ord. S.Francisci, quem olim legi licèt aliàs à me in magno pretio habitus, respondet, quòd, vel debet tacere, vel illi consulere opinionem laxiorem, nè illum exponat periculo peccandi.

Mihi tamen primum placet, si commodè servari potest, aliudque non obstet; vel ipsum remittendo ad Doctiores, vel ad Parochos, vel ad libros, si est talis capacitatis.

Secundùm verò placere non potest 1. Propter authoritatem Clem. V. in Conc. Vienn. asserentis in dubiis tutiorem partem esse eligendam. 2. Quia sic essent melioris conditionis viri parùm timoratæ conscientiæ, quàm viri probi: liceret enim illis sine peccato, quod istis non consuleretur, & consequenter non liceret. 3. Quia, isti tales accedentes ad petendum consilium, de quibus prævidetur, quod si datur consilium juxta eorum inclinationem, sunt accepturi, non verò si contra eorum inclinationem, non tàm quærunt consilium, quàm suæ cupiditatis fautores, ac patronos: unde consulere id, quod eorum genio arridet, non tàm est dare consilium, quàm eorum cupiditati favere, eorumque concupiscentias fovere. 4. Quia ex hoc sequeretur, semper in praxi consulendas esse opiniones laxiores; quia cum in istis amplectendis semper magis propendat hominum natura corrupta, semper ad malum prona ab adolescentia sua, semper esset minus periculum peccandi sicque coincideret cùm illo dicto Caram. *opiniones benigniores semper esse tutiores*. 5. Quia iste Auctor teneretur concedere, debere consuli laxiorem, etiam in concursu probabilioris; per ipsum namque potest quisque sequi minùs probabilem, & in tali casu, supposito, quod laxior sit minùs probabilis esset minùs periculosa, quia secundùm ipsam faciliùs operaretur consilium petens: ergo deberet consuli: quod parùm distare videtur à propositione jam damnata.

Hactenus ibi, quantùm ad præsentem spectat materiam: in quibus verò casibus stante æquali probabilitate debeat in favorem possidentis judicari, dictum est ibi; & forsan tractatus ille in lucem prodibit.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

1 INfidelitas duplex est, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 10. *ar.* 1. alia dicitur Infidelitas negativa, quæ consistit in pura negatione fidei, scilicet, in non habere fidem, in eo, qui nunquam aliquid audivit de fide; & hæc non est culpa, sed potiùs pœna dicit enim Apost. ad Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* & Joann. 15. Dominus dicit: *si non venissem, & loquutus eis non fuissem peccatum non haberent.* Super quem locum S. Aug. *tract.* 89. *in Joan. tom.* 9. dicit, quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum.

Alia dicitur Infidelitas positiva seu contraria, & est illa, qua quis repugnat rebus fidei auditis, vel auditui fidei: secundùm illud Isajæ 54. *Domine quis credidit auditui nostro?* & hæc Infidelitas est peccatum: ut probat S. Th. loco cit. in arg. *sed contra*. Virtuti contrariatur vitium, sed fides est Virtus, & ipsi contrariatur Infidelitas: ergo Infidelitas est peccatum. Et Joann. 16. dicitur de Spiritu Sancto: *cum autem venerit, &c. arguet mundum de peccato, de peccato quidem, quia non crediderunt in me.*

2 Hæc propositio sequitur ex præcedenti, & illam inferebat Basanomenus Lutheranus arguens contra P. Valerianum Magnum Cappucinum, ut refert Caramuel in Theologia fundament. qui videtur tacitè illationem approbasse ibi, & est intelligenda de Infidelitate positiva, eam tenent expresè Diana, uterque Sanc. Erardus, Billius. Excobar. Sed sicut consectariè ad præcedentem eam inferunt Adversarii: ita ex dictis contra præc. ejus impugnatio colligitur: nàm si non licet sequi opinionem minùs probabilem in materia morum; ità multò magis in materia Fidei: Fides enim, quæ dirigit circa finem; majorem securitatem exigit, quàm morales operationes, quæ sunt

circa

circa media; cum à cognitione finis dependeat tota operandi regula. Immò, ut rectè discurrit Bann. 2. 2. *q.* 10. etiamsi in materia morum liceret sequi opinionem minùs probabilem; non tamen in materia Fidei; quia operationes nostræ cum honestatem proximè participent à rationis conformitate; rectè agit, qui huic se conformat, licèt in re, ab illa regula ęterna discordet: attamen in materia Fidei requiritur conformitas in re cum fine; & vera Fides ad salutem, non verò opinata, cum sit necessaria necessitate medii, ut infrà dicemus, ergo imprudenter ageret, qui sciens rem certam sibi necessariam esse, nec prodesse existimatam; non adhibet omnem diligentiam, ut certitudinem assequatur, sed potiùs quiescit in eo, quod minùs ad certitudinem accedit; cujusmodi est opinio minùs probabilis. Tum etiam quia si hæc admitteretur opinio, sequeretur nullum esse culpabiliter Infidelem; quia nemo est, qui non habeat pro sua secta rationes probabiles; consequens est falsum, aliàs etiam Judæi, culpabiles immeritò dicerentur à Christo, quia etiam pro se probabiles rationes habebant ex Scriptura, licèt malè intellecta, arguentes ipsum non esse Messiam. Est etiam contra S. Th. qui loc. cit. ad Infidelitatem positivam, & culpabilem, ait sufficere, quòd quis repugnet auditui Fidei. Vide Minut. *in addit. art.* 4. & 7. & infrà in Appendice latiùs redibit sermo.

Circa præceptum Charitatis in Deum sunt tres Propositiones damnatæ: quas hìc simul apponemus, & impugnabimus.

PROPOSITO IV.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

PRO-

PROPOSITIO VI.

Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

PROPOSITIO VII.

Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

1 VAria tempora à variis Doctoribus, assignantur pro quando obliget Charitatis præceptum: aliqui, quorum opinio damnata est à fœl. rec. Alexandro VII. asseruerunt; nullo unquàm vitæ suæ tempore hominem teneri elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium, quam docuit Tambur. *lib. 2. explicat. Decal. cap. 1. §. 2. n. 9. &* 10. quæ in re coincidit cum hac 7. propositione; quam docuit idem Tambur. *lib. cit. cap. 3. §. 2. n.* 2. & Azor. licet non sub his verbis, *tom. 1. lib. 9. cap.* 4. Quòd autem in re coincidant hæ propositiones, quantùm ad id, quod pertinet ad Charitatem, patet, quia in illa priori non negatur absolutè, non teneri elicere actum Charitatis, sed ex vi pręcepti Charitatis; sed si tunc solum obligaret quando tenemur justificari, non obligaret ex vi pręcepti Charitatis, sed ex vi pręcepti alterius virtutis; ut ipsemet Tambur. concedit de Fide *loco priùs cit. & loco posteriùs cit.* ibi se referens, ait, idem dicendum esse de Charitate.

Alii assignant 1. Finem vitę. 2. Initium usus rationis. 3. Totam vitam inde terminatè sumptam, ut saltem semel in ea ametur: ut asseritur prop. 5. 4. Omnes dies festivos, in quibus debemus Deo specialiter vacare. 5. Tempus, quo adultus suscipit Baptismum. 6. Tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. 7. Quando suscipitur martyrium. 8. Quando magnum à Deo accipitur beneficium. 9. Quando auditur aliquis contra Deũ blasphemans.

10. Quando, quis gravi urgetur tentatione, præsertim odii Dei, nec aliter possit superari tentatio, nisi actum Charitatis erga Deum eliciendo. Nos igitur ad damnatas jam impugnandas accedentes, quodnam sit tempus, quo probabiliùs obligat, explicabimus; & à 7 posteriori loco posita incipiendo.

2 Dico primò. Falsum est, & contra rationem Charitatis, tunc solùm obligare, quando tenemur justificari, nec habemus aliam viam, qua justificari possumus.

Prob. 1. Contra rationem Charitatis est obligare non per se, sed per aliud, & ut medium in defectu alterius medii; sed hæc Propositio docet præceptum Charitatis tunc solùm obligare, quando tenemur justificari, quod est non obligare per se, sed ut medium ad justificationem, & quando non habemus aliam viam qua justificari possumus, quod est esse medium solùm in defectu alterius medii: ergo falsa est, & destruens rationem Charitatis. Prob. major. de ratione Charitatis est, ut sit finis aliarum Virtutum, & præceptorum; ut dicit Apost. 1. *ad Timot.* 1. & S. T. id probat 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. quia finis spiritualis vitæ est: ut homo uniatur Deo, quod fit per Charitatem; ut dicitur 1. Ioann. 4. *Qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Unde omnes aliæ virtutes ordinantur ad ipsam, ut optimè ibid. explicat Sanctus Doctor: sed de ratione finis est, quòd sit per se intentus, quia finis propter se appetitur, ac proindè non ut medium: ergo contra rationem Charitatis est non obligare per se, sed per aliud.

Ubi adverte, me non negare aliquando assumi posse, ut medium ad justificationem, immò & aliquando assumi debere, quando instat præceptum justificationis: nec alia suppetit via: sed id, quod negatur, est id, quod asseritur in prędicta Propositione, quòd, scilicet, solùm adhoc deserviat, & propter hoc tantùm obligationem inducat: hęc enim exclusiva tollit à Charitate veram rationem essendi propter se, & ob quam præcipitur. Quòd autem aliquando ipsa possit, vel debeat assumi ut medium, per accidens ei convenit, dummodò ei non negetur pręcipua ejus ratio, ut scilicèt, sit finis, & per se intenta; per se autem ei conveniret esse medium, & non finis, si solùm illud munus deserviendi, & obligandi pro justificatione, haberet; quod est contra ejus rationem.

3 De-

3 Dices: finis præcepti non cadit sub præcepto; sed Charitas est finis pręcepti, ut dicit Apost. ergo non cadit sub præcepto.

Resp. Ex doctrina S. Th. ibid. ad 1. disting. majorem. Finis pręcepti non cadit sub præcepto aliarum Virtutum, quarum est finis conc. sub pręcepto speciali, & peculiari nego. Nam in pręceptis, quæ dantur de aliis Virtutibus, licèt ordinentur ad Charitatem; non cadit sub præcepto Charitas, itaut si sine Charitate impleantur illa præcepta, peccatum contrà Charitatem committatur: sed cadit sub præcepto sibi peculiari: quod habetur Deuter. 5. 6. 10. *Diliges Dominum Deum tuum &c.* & Matt. 22. & Luc. 10. Marc. 12. & epist. 1. Joann. 4. dicitur: *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat fratrem suum.*

4 Prob. 2. Ex inconvenientibus: nam ex ipsa sequeretur pręceptum Charitatis non obligare Justos, qui nunquam peccaverunt: immò, nec etiam injustos toto tempore vitę; quia potest esse, quòd quoties peccator debet justificari, numquam ei desit alia via, ut justificari possit, scilicèt, Sacramentum Pœnitentię; & consequenter toto tempore vitæ, nunquam pręcepto Charitatis obstringeretur, quod coincidit cum illa, quam damnavit Academia Lovaniensis ad requisitionem Episcopi Gandavensis, qua asserebatur, *In rigore loquendo videtur, quòd homo non teneatur unquam per totam vitam suam elicere actum amoris Dei.* Undè licèt appareat minùs laxa, quàm duę pręcedentes, est tamen laxior illis: & hinc apparet, quantùm fuerit Azorii inadvertentia, ut fuerit scrupulosus in admittenda opinione relata in quinta Propositione, & deindè laxiorem docuerit. Quòd si dicat frequenter contingere hanc necessitatem justificationis: hoc licèt sit verum, in iis, qui administrare debent Sacramenta, non tamen in omnibus: & hoc etiam per accidens est; & potest nunquàm hæc necessitas contingere; minùs autem laxa est illa, quę semel saltem admittit per se obligare.

5 Dico 2. Falsum est semel tantùm obligare in vita; pręcipuè loquendo de vita diuturna post usum rationis: & maximè si dicatur obligare in fine vitę tantùm.

Prob. Prima pars; quoniam, ut docet S. Th. *p. 2. q. 89. art. 2.* & communiter omnes Thomistæ, præcipuè Carmelitæ Salmant. Joan. à S. Th. Gonet. &c. tenetur puer in instanti morali usus

rationis elicere actum dilectionis Dei: quod licèt impugnent plures Neoterici, efficacissimis, nè dicam evidentibus rationibus à Thomistis propugnatur: videtur autem valdè dissonum, ut sequentibus rationibus constabit, nunquàm ampliùs toto vitæ decursu ad id teneri: & si diuturna vita non sit, saltèm ad id tenebitur in fine vitę, ut plures docent; & quia passim hoc asseritur de actu Contritionis, qui saltem concomitanter est cum actu Charitatis: ergo quilibet adminùs bis teneretur actum Charitatis elicere:

Prob. secunda Pars. Præceptum diligendi Deum est maximum, & primum mandatum, ex quo universa lex pendet, & Prophetæ. Quod non solùm verificatur propter dignitatem ipsius; sed etiam, quia est primum absolutè; nam ut dicit S. Th. 2. 2. *q.* 44. *art.* 1. in quolibet genere id, quod est per se, potiùs est eo, quod est per aliud; sed indignum videtur maximum præceptum semel tantùm in vita obligare, cum cætera pręcepta pluries obligent: ergo dicendum est pluries, quàm semel obligare.

Quò ad tertiam partem, scilicèt, si semel dicatur in fine vitæ; improbatur à Dominico Soto his verbis lib. 2. de Just. & Jure q. 3. art. 10. *Si dixeris satis esse semel in vita, idque in articulo mortis, præceptum dilectionis Dei implere, profectò longè à natura hujus præcepti aberras: cum enim præceptum hoc cæterorum omnium sit præambulum, & ut ait Paulus, finis (nam finis præcepti est Charitas) ridiculum esset dicere, quòd liceat transigere totam vitam antequàm nos obliget.*

6 Dico 3. Præceptum Charitatis minùs, quàm singulis quinquenniis obligat.

Probatur. Cœtera præcepta minoris dignitatis, & præstantię, & quæ ordinatur ad Charitatem, tanquam ad finem frequentiùs obligant: ergo multò magis Pręceptum Charitatis, quod est cœteris pręstantius, frequentiùs debet obligare, quàm singulis quinquenniis.

Confirmatur. Præceptum sumendi Eucharistiam obligat semel in anno: ergo saltem, ita obligabit præceptum Charitatis. Probatur consequentia; quia hoc pręceptum correspondet Virtuti Charitatis, cum hoc sit Sacramentum Amoris, ut passim loquuntur SS. PP. & sit institutum, ut maximè uniamur Deo, quod fit per vinculum Charitatis; unde ad augendam Charitatem

tatem ordinatur: ergo multò magis saltem semel in anno debet obligare præceptum Charitatis.

Quod si dicas. Obligare præceptum sumendi Eucharistiam semel in anno ex pręcepto Ecclesiæ; hoc autem non habetur de dilectione Dei.

Contra est; quia pręceptum sumendi Eucharistiam est Divinum, sed quia non fuit tempus à Christo determinatum, Ecclesia solùm taxavit, & determinavit tempus, ut, scilicet, hoc fiat in Paschate; ut dicemus infrà propositione 55. ex S. Th. & colligitur ex *cap. Omnis utriusque sexus*.

Confirmatur ampliùs (& roboratur doctrina Scoti) nam satis probabilis est doctrina Scoti *in 3. dist.* 27. *q.* 3. hoc præceptum obligare singulis Dominicis diebus; & licèt omnes recentiores existiment, nulla efficaci ratione probari: attamen ego existimo efficaciter probari posse, saltem, si non pro determinato die Dominico, pro aliquo cujuslibet hebdomadę die: nam Virtus Religionis obligat ad aliquem cultum Deo exhibendum pro aliquo die cujuslibet hebdomadæ: ergo multò magis pręceptum Charitatis erga Deum. Probatur consequentia. Id quod est propter se, seu finis, magis debet quęri, quàm id, quod est propter aliud, seu medium; sicut sanitas, quę est finis ægroti magis, & sępius quęritur ab ægroto, quàm medicina: sed Charitas est per se intenta, & finis aliarum Virtutum, & Virtus Religionis, & cultus Divinus est medium ad illam ordinatum, cum ordinetur ad uniendum hominem cum Deo, ut probat S. Th. loco cit. ergo magis debet quæri, & frequentiùs actus Charitatis debet exerceri, magisque ejus præceptum obligare, quàm præceptum colendi festa: & consequenter, si illud obligat pro cujuslibet hebdomadæ die, potiori jure istud. Eò, vel magis, quia Deus à nobis multò magis exigit cultum internum, quàm externum.

Quòd si dicas ex Tambur. Ideò illud obligare pro qualibet hebdomada, quia expresse præcipitur, non autem istud: illa autem, quę non habent tempus determinatum, non obligant per se, sed per accidens, ex vi aliorum pręceptorum. Ità colligitur ex ejus doctrina *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. §. 1. *num.* 9.

Sed contra est 1. Quia ex hoc sequeretur, nunquàm obliga-

re: nam etiam alia tempora aſſignata à variis Doctoribus, non reperiuntur expreſsè præcepta; & ſic in iis non obligaret, neque poſt quinquennium, quod concedit Tambur.cum Azorio: tempus, quo tenemur juſtificari, aſſignatum ab ipſo, prætérquamquòd jam refutatum eſt; etiam non eſſet reſpectu omnium, & contingere poteſt, ut nunquam reperiatur talis neceſſitas; vel ſaltem reſpectu Juſtorum. Et ſic non omnes obligaret hoc præceptum; & ſaltem reſpectu aliquorum eſſet ſupervacaneum hoc maximum, & primum mandatum. 2. Quia licèt non ſit expreſsè tempus determinatum: tamen certum eſt ipſum aliquando obligare: ergo ex natura ipſius Virtutis, & à paritate aliorum convenientiſſimè poteſt deduci tempus, quoties obliget; hoc enim non eſt novum præceptum inducere, ſed tempus pręcepti indagare. 3. Quia hoc modo in pluribus aliis caſibus procedunt non ignobiles Doctores; alii aſſignantes tempus Sacerdoti, quando teneatur, & quoties in anno celebrare, alii aſſignantes tempus, quo obligat præceptum Contritionis. Ita etiam antiqui Patres ante determinationem Eccleſię de confeſſionis, & communionis annuæ determinatione: ergo non eſt cur hìc pariter philoſophari non poſſimus, & licèt hoc non demonſtrativè probetur, ſatis congruenter oſtenditur, quod in his materiis, piis fidelium animis ſatis deberet eſſet.

7 Vel ſi hæc nimis rigida videatur opinio, dicerem cum Soto, obligare quando aliquod ſpeciale, & inſigne beneficium à Deo accipimus: limitando tamen, ut nomine beneficii, non intelligatur temporale; ſed ſpirituale, & generale, univerſo generi humano exhibitum: ut quando recoluntur myſteria pręcipua noſtræ Redemptionis: videlicet, Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſdem Aſcenſionis in Cœlum, Pentecoſtes, Corporis Chriſti; in quibus maxima beneficia nobis collata recoluntur. Et contra hunc modum dicendi, ſic explicatum, non militat ratio, quam contra Sotum adducunt Adverſarii; ſcilicet, quòd ſi beneficium ad aliquem actum impellit, ſatis eſt, ſi fit gratiarum actio; & non oportere, ut ſit actus dilectionis: nam hæc recenſita beneficia, non tàm ſunt Divinæ largitatis beneficia, quàm Divini Amoris expreſſa teſtimonia; ut Sacra Scriptura, & PP. paſſim loquuntur, & Divinæ Cha-

næ Charitatis opera: ergo ipsis debetur non minùs gratiarũactio, quàm actus dilectionis. Probatur conseq. quia sicuti beneficiis correspondet gratiarum actio: ita amori correspondere debet amor; amor enim amore compensatur, in commune proloquium transit. Igitur, non nisi beneficiis ingrati, & Divini amoris immemoris est illa vox: *Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquenniis, per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.*

Hæc tamen temporis præfixio, probabiliter, & quidem fortiter à me suasa sustinetur; tempus enim determinare præceptorum observantiæ, non tàm meum, quàm Ecclesiæ munus est: nec enim in re tanti momenti, mea tàm perexigua sufficit auctoritas.

PROPOSITIO VII.

Comedere, & bibere ob solam voluptatem usque ad satietatem, nullum est peccatum, dummodò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

1 HAnc Propositionem docuit Escobar. *tract.2. examin.2. num.* 102. citans pro ea Joann. Sanc. eam tamen impugnavit, ac rejecit S.Th. 2.2. *q.*148. *art.*1. & 2. unde patet, quàm veridicum sit illud Innocentii VI. de doctrina Sancti Doctoris encomium, quod alter hodie feliciter Ecclesiam regens Innocentius, verè Sanctissimus, moribus, & vita Innocẽs, illud facto commendat; plurimo, quo pollet zelo hanc S.Th. doctrinæ adversam Propositionem, tanquàm de veritate suspectam damnans: hujus igitur damnationi obsequens, illiusque vestigiis inhærens.

2 Dico: Falsam esse Propositionem prædictam. Et primò, quidem falsa est ex eo capite, quo asserit opus illud factum ob solam voluptatem nullum esse peccatum. Quod patet ex hoc, quia in homine ratione prædito, à ratione debent regulari ejus actus, & non à sensuali delectatione; unde ipsę delectationes non sunt finis, à quibus homo debet moveri, sed medium ad actiones honestas; unde ad facilitandas actiones honestas inseruit natura provida actionibus delectationem; quapropter solius bruti est delectationem sensualem per se primò appetere, ut ait Aug.

de peccato orig. cap.4. *Tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris.* Ubi Sanctus Doctor asserit esse vitium hominis, quod est natura brutorum, sed prædicta Propositio asserit, ipsam voluptatem sensualem posse per se appeti, dum ait, nullum esse peccatum; ac proindè actum illum non regulatum à ratione, sed à sensuali delectatione, non esse malum: hominem non altiorem finem quærentem, quàm brutum, in actibus suis, relicto rationis ductu, vel prætermisso, evadentem in operando similem jumentis insipientibus, nec plusquàm brutalem vitam agentem: pervertentem ordinem rerum utendo mediis, tanquam fine, in quo peccatum consistit, dicente Augustino *in lib.* 83. *quæst. cap.* 30. *tom.* 4. *Omnis humana perversitas est uti fruendis, & frui utendis.* Licitè agere. Quod quàm sit humanæ naturæ rationali, & supra bruta usque ad Angelicam naturam evectæ, indignum, nonnisi, qui brutalitate ducuntur, percipere nequeunt.

Hinc S. Th. qui benè dignitatem humanæ naturæ præ brutis agnovit. 1. 2. *q.* 4. *ar.* 2. *ad* 2. hoc statuit discrimen inter homines & bruta; dicens. *Apprehensio sensitiva non attingit ad communem rationem boni, sed ad aliquod bonum particulare, quod est delectabile: & ideò secundùm appetitum sensitivum, qui est in animalibus, operationes quæruntur propter delectationem; sed Intellectus apprehendit universalem rationem boni, ad cujus consequutionem sequitur delectatio; unde principaliùs intendit bonum, quàm delectationem, & indè est quòd Divinus Intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes.* Observa ergo, quantùm sit contra instituta Auctoris naturæ operationes ad delectationem ordinare, cum potiùs è converso, propter operationes ab ipso institutæ sint delectationes, ut, scilicet, faciliùs actiones honestæ, vel individui, vel speciei conservationi necessariæ, delectationibus affectæ, ab homine peragerentur.

3 Prob. 2. ratione ejusdem S. Th. 2. 2. *q. cit. ar.* 1. in corpore. Quod contrariatur Virtuti est peccatum. Virtuti enim morali non opponitur nisi vitium; sed comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, opponitur virtuti Temperantiæ quæ est virtus moralis: ergo est peccatum. Probo minorem, ex communi sententia assignante quatuor virtutes morales, seu

com-

communi vocabulo, Cardinales, inter quas est Temperantia, & quòd ei opponatur comedere, & bibere ob solam voluptatem, probatur ex S. Th. 2. 2. *q.* 141. *ar* 6. in corpore. Temperantia consistit in hoc, quòd ponat regulam delectationibus, & in ea imponenda utatur mensura necessitatis, itaut tantùm delectabilibus utatur, quantùm necessitas hujus vitę requirit; sed comedere, & bibere, &c. ob solam voluptatem, non mensuratur à necessitate; sed est contra regulas necessitatis, & non est medium ad necessitatem ducens, sed usurpatur tanquam finis: ergo opponitur Virtuti Morali Temperantię.

4 Hìc tantisper hęrere mihi fas sit. Miror quidem homines doctos, intellectu perspicaci pręditos, ac professione Deo mancipatos, minùs, quàm Gentiles in hac materia moderatos fuisse; & docuisse, quod ab eorum praxi longè fuisse arbitror. Seneca namque *lib. de vita beata c.* 10 quendam Epicureum redarguens, sic ait. *Tu voluptatem complecteris, ego compesco; tu voluptate frueris, ego utor*; cui occinit quoddam memorabile dictum nobilis cujusdam Siculi, crapulonem ita exprobrantis: *ego comedo, ut vivam, tu vivis, ut comedas.* Ubi adverte differentiam inter frui, & uti: frui enim pertinet ad eum, qui voluptatem habet pro fine: uti verò, ad illum, qui eam assumit, ut medium. Unde idem Ethnicus *epist.* 88. sic inquit. *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit*: tam egregiè Ethnicus loquutus est, ut S. P. Aug. hoc ipsum à scripturis, tàm veteris, quàm novi testamenti doceri asserat, dicit enim lib. de moribus Ecclesię cap. 21. tom. 1. *Habet vir temperatus in rebus hujus vitæ regulam utroque testamento firmatam, ut eorum nil diligat, nil* (nota) *per se appetendum putet, sed ad vitę hujus, atque officiorum necessitatem, quantùm satis est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu*, & S. Th. *ar.* 6 *cit.* sic concludit. *Temperantia accipit necessitatem hujus vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet, tantùm eis utatur, quantùm necessitas hujus vitæ requirit.*

5 Prob. tertiò. Certum est Gulam secundùm se esse peccatum, immò vitium capitale, sed non esset secundùm se peccatum, si solùm, quia obest valetudini, malum esset comedere, & bibere, quia in tali casu, non esset peccatum gulæ secundùm se, sed

quia

quia reducitur ad homicidium; ergo abſque eo, quòd obſit valetudini eſt peccatum. Remanet ergo videndum, in quo conſiſtat peccatum gulæ, & quidem ſi dicatur in edendis cibis vetitis; ſic non eſſet peccatum ſecundùm ſe; ſed ratione inobedientiæ: ergo eſt ſecundùm ſe peccatum, ratione immoderatæ ſumptionis ciborum; ſed nulla major immoderatio, quàm comedere, & bibere ob ſolam voluptatem; nam reliquæ immoderationes gulę ſolùm excedunt limites neceſſitatis: hęc autem pervertit; cum voluptate utatur, tanquàm fine, qui tamen deberet conſtitui in neceſſitate, ut patet ex ſupradictis: ergo eſt peccatum gulæ. Vide infrà in Appendice.

6 Remaneret inquirendum, quandònam gula ſit peccatum veniale, quando verò mortale ex genere ſuo, abſque aliquo adjuncto, cui reſpondendum breviter, (nè fines mei inſtituti excedam) cum S. Th. *q.* 148 *cit. ar.* 2. quòd tunc eſt peccatum veniale, quando eſt inordinatus appetitus, & concupiſcentia cibi, taliter quòd, ita concupiſcatur, ut non avertat hominem à fine debito, ſed tantùm ſit inordinatus quo ad media: ut ſcilicet, inordinatè appetantur delectationes cibi, & non ſint commenſuratæ fini debito: tunc autem eſt peccatum mortale, quando ita inordinatè appetuntur hujuſmodi cibi delectationes, ut avertant hominem à fine debito, & in eis ſiſtat homo, tanquam in fine; in quo ſenſu deguloſis dixit Apoſt. *quorum Deus venter eſt*. Quomodo autem cognoſcendum eſt, an aliquis in delectationibus cibi conſtituat ſuum ultimum finem, ſubjungitur à S. Th cognoſci poſſe ex hoc, quòd aliquis taliter gulæ inhæreat, ut Deum contemnat, ejus præcepta non curet, & ſit paratus, propter ſuæ gulę ſatisfaciendum, contra Dei legem facere. Non quòd in hoc formaliter peccatum mortale gulę conſiſtat; ſed quia ex hoc tanquàm à ſigno cognoſci poteſt inordinatus affectus, & inhærentia gulę, tanquàm fini. Quando verò non ita adhęret gulæ, ut ſit paratus contra legem Dei facere, imò potiùs è contra, licet nimis inordinatè cibos appetat; tamen ipſe tunc dicitur eſſe inordinatus circa media, quia, ſcilicet, ſine debita menſura, & proportione ad finem, utitur mediis, ſpecies verò gulę hoc verſu continentur.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

Tres

Tres pertinent ad ipsum cibum: lautè, pertinet ad substantiam, & pretiositatem cibi; studiosè, pertinet ad qualitatem; ut, scilicet, sint nimis diligenter, & accuratè præparati: nimis, pertinet ad quantitatem, ut, scilicet, sit superfluitas: reliquę verò duæ ad sumptionem cibi spectant; præproperè, significat præventionem debiti temporis; ardenter, verò, significat inordinatum modum edendi, quadam nempè ingluvie, & ardore nimis solicito, & inordinato.

PROPOSITIO IX.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

1 HAnc Propositionem docuit Joan. Sanc. *disp.* 23. *num.* 25. at eisdem rationibus, qua pręcedens improbatur: delectationes namque non debent esse finis creaturæ rationalis, sed medium ad actiones honestas, & necessarias pro individui, vel speciei conservatione. Nec minùs opponitur Temperantiæ venereorum usus, unde ab ea secundùm mensuram necessitatis cohiberi, & regulari debeat, si est inordinatus; quàm cibi, & potus immoderata sumptio ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 141. *art.* 4. & Philosophus 3. *Ethic. cap.* 10. ait: *Temperantia propriè est circa concupiscentias, & delectationes tactus*; Undè ut docet ibidem Sanctus Doctor *q.* 143. *art.* 1. castitas, & pudicitia, quæ pertinent ad venereorum moderationem, sunt species Temperantię, sicut abstinentia, & sobrietas, quæ cibi, & potus moderantur inordinatum usum. Igitur eædem rationes pro utraque pugnant.

2 Addo solùm hìc SS. PP. auctoritates, quibus prædicta Propositio adversatur, & primò se offert S. Aug. *lib. de bono conjugali cap.* 6. ubi ait: *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam.* Et *cap.* 7. inquit; *reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem est culpa venialis.* Item docet

S. Greg.

S.Greg. *lib.* 12. *Mor. cap.* 17. *vel* 20. ubi ait: *tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur,* & expressiùs *lib. de cura Pastorali p.* 3. *admonit.* 28. Idem docuit S. Th. *in* 4. *dist.* 31. *q.* 2. *art.* 2. in corpore, ubi inquit: *Duobus solùm modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet, causa prolis procreandæ, & debiti reddendi, aliàs semper ibi est peccatum, ad minùs veniale.*

3 Ex his tamen non sequitur usum conjugii cum gravida, vel decrepita semper esse peccatum veniale, quia absolutè non est impossibile superfœtari, nec decrepitam concipere, licèt sit rarum. Unde etiàm in his casibus possunt habere conjuges intentionem procreandi prolem, per accidens enim est, quòd non sequatur. Insuper ad hoc sufficit quòd absolutè non ducantur motivo voluptatis, ut à peccato excusentur; quantùm est ex vi damnationis pręsentis Propositionis.

PROPOSITIO X.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROPOSITIO XI.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

1 AMbæ istæ Propositiones in idem coincidunt; nam id, quod una docet de positivo, quæ est secunda in ordine, alia de negativo; & secunda infertùr ex prima, ideoque simul impugnandas apposui.

Primo autem loco est examinanda quędam propositio Tambur. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. *num.* 1. quam tribuit S.Th. ut appareat differentia inter ipsius, & D. Th. doctrinam. Tambur. itaque sic ait. *Sicuti autem certum est nos obligari ad proximum diligendum, juxta illud Matt.* 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, ita mihi certum videtur,* (vide, quam certitudinem sibi arrogat)

non

non adesse obligationem eum diligendi per aliquem actum internum, expressè tendentem in ipsum proximum. Ita D. Th.. 2. 2. q.26.ar. 8. in corp. *Suar.* de Charit. d.1. sect.4.n.4. *Coninch.* de Charit. d. 24. dub. 4. *satis enim, superque est si ames Deum, ejusque voluntatem velis exequi; ut sic enim jam involvitur amor proximi, qui est de Dei voluntate.* Hactenus Tamb. S. Th. verò non *q.*26. ut citatur à Tambur. ibi enim nihil de hoc agit, ut videre potes; sed *q.* 25 · *ar.* 8. loquens de dilectione inimici, sic ait. *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantùm ad naturam, sed in universali, & sic dilectio inimicorum est de necessitate Charitatis, ut, scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos suos non excludat. Tertiò potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, & istud non est de necessitate Charitatis absolutè; quia, nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate Charitatis, quia hoc est impossibile. Est tamen de necessitate Charitatis secundùm præparationem animi, ut scilicet, homo habeat animum paratum ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret,* hæc S. Th.

Ponderentur quæso, & conferantur hæc verba. Primò namque Tambur. ait, non adesse obligationem diligendi proximum per aliquem actum internum; S. Th. verò admittit actum internum dùm dicit; *Et sic dilectio inimicorum est de necessitate Charitatis*; quia scilicet, est proximus; dilectio autem est actus internus; ad differentiam beneficentiæ. Quòd si dicas Tambur. non non negare actum internum, sed solùm, hunc actum non debere expressè tendere in proximum, fateor quidem hunc sensum verbis ejus aptari; sed contrarium hujus docuit S. Th. tùm verbis citatis, tum alibi; *eadem q. art.* 1. & *q.* 44. *art.* 3. nam S. Th. ait: *diligens Deum, & proximum*. Ecce actum dilectionis expressè tendentem ad proximum; non involutum in dilectione Dei, ut vult Tambur. sed distinctum, quod expressiùs dixit *q.* 44. *art.* 3. *Convenienter de Charitate duo præcepta sufficiunt: unum quidem, quo inducimur ad Deum diligendum, sicut finem: aliud autem, quo inducimur ad diligendum proximum propter Deum, sicut propter finem* & *art.* 1. *q.* 25. *cit.* supponit distinctionem actus amoris Dei ab actu amoris proximi, & solùm determinat non distin-

distingui specie, sed procedere ab eodem habitu Charitatis. Id ergo, quod asserit S. Th. est, supposita dilectione proximi expresse tendente in proximum, sed in communi, & in universali, non teneri diligere quemlibet hominem in singulari, actu expresse terminato ad singulos homines, vel ad hunc determinatè; nisi in præparatione animi, & quando necessitas occurrit: cujus rationem assignat Eminentiss. Cajet. Quia præcepta affirmativa, cujusmodi est illud dilectionis proximi, quantùm est ex Iure naturę, non obligant, nisi in articulo necessitatis. Hęc autem doctrina longè abest ab illa Tambur. qui negat actum directè tendentem in proximum in communi, & solùm admittit actum implicitum, seù virtualem contentum in actu dilectionis Dei, ejusque voluntatem exequendi, ut patet ex ejus verbis.

2 Pro explicatione igitur 10. Propos. Est sciendum: quòd actus interni possunt esse in duplici differentia; vel enim sunt actus formales, & expliciti; ut sunt illi, qui directè tendunt ad aliquod objectum; ut cum quis vult audire sacrum, & similes: alii dicuntur actus virtuales, seu impliciti, qui quidem non ejiciuntur à voluntate in seipsis, sed virtualiter continentur in alio actu à voluntate elicito, ut cum quis tempore, quo instat pręceptum audiendi sacrum, voluntariè, & advertenter, vacat ludo, virtualiter, & implicitè censetur elicere actum nolendi audire sacrum: vel qui habet intentionem formalem celebrandi, virtualiter, habet etiam intentionem consecrandi.

Hæc igitur Propositio negat proximum debere diligi actu interno, & formali: in quo potest esse dubium, an damnetur, quia negat actum internum: an quia amisso actu interno, negat illum debere esse formalem, sed sufficere virtualem, itaut hoc secundum qui assereret, incurreret pœnas, & censuras in Brevi contentas. Ad quod resp. etiam comprehendi in prædicta Propositione damnatum; itaut conjunctim sumatur actus internus, & formalis. Quod patet ex eo, quia si damnaretur negans actum internum omninò, non oportuisset, addere, *& formalem*. Tum etiam quia, dùm damnatur negans actum formalem, & supponamus, actum formalem negantem, admit-

mittere actum virtualem, non ideò damnatur, quia omnem actum internum negat, sed quia admisso actu aliquo interno, negat illum debere esse formalem. Undè patet opinionem relatam Tambur. esse damnatam; & si, ut ipse citat, idem sentiant Suar. & Coninch.

3 Præmitto quoque ex eodem D. Th. loco postremò cit. Quòd ratio diligendi proximum ex Charitate est Deus; Deus enim est, quem debemus in proximo diligere; unde hoc debemus in proximo diligere; ut sit in Deo: Charitas namque fundatur super communicatione Beatitudinis, ex quo deindè cœtera pietatis opera, quæ debemus proximo impendere, sive spiritualia, sive corporalia, originantur, undè, ut ex Charitate sint, ad ipsum Deum debent ordinari: & illa signa externa, non sunt immediatè actus Charitatis, sed beneficentiæ, qui tamen procedunt ex interiori actu dilectionis, & ad ipsum consequuntur, ut docuit idem Sanctus Doctor 2. 2. *q.* 31. *ar.* 1. His præmissis.

4 Dico 1. Si prædictæ Propositiones excludant omnem actum internum tàm formalem, quàm virtualem, sunt manifestè falsæ.

Prob. 1. Ablato omni actu interno dilectionis, frustraneum remanet præceptum Charitatis erga proximum, quod pluries, tàm in veteri, quàm in novo testamento repetitur: ergo prædictæ Propositiones, ut sacris litteris adversæ, sunt rejiciendæ, Prob. ant. quia illi actus externi consequuntur ad actum interiorem dilectionis; ergo ablato actu interiori dilectionis, illi non sunt actus Charitatis, sed merè civiles, quales etiam in Ethnicis reperiuntur: aliàs etiam actus interni excluduntur: ergo frustraneum remaneret pręceptum Charitatis erga proximum. Tum etiam quia id, quod in prædicto præcepto injungitur, est dilectio, quæ consistit in optione boni spiritualis, & salutis æternæ, quæ est actus internus; ergo ablato omni actu interno, tollitur pręcipuus, & potior actus, qui præcipitur: ergo remaneret frustraneum.

Quòd si dicas cum Tambur. non esse frustraneum: Quia impleretur per hoc, quòd quis abstineat ab actu odii erga proximum, & per opera externa benevolentię.

Contra

Contra eſt. Quia, licèt impleatur per abſtinentiam ab actu odii, quò ad pręceptum negativum incluſum in affirmativo, non tamen impleretur, quò ad ipſum pręceptum affirmativum quod eſt principalius: ſicut non ſatis impleretur pręceptum affirmativum honorandi parentes, per hoc quòd non dehonorentur; niſi etiam ea, quę ad poſitivum honorem ſpectant pręſtentur. Et certè ad quid deſervirent pręcepta affirmativa? ut quid non omnia ſunt negativa, ſi nihil affirmativi faciendo, per hoc, quòd non fit oppoſitum eorum, implentur? Quare ad implendum præceptum Charitatis erga Deum non ſufficit abſtinere ab odio Dei? Pręterquamquòd, licèt in pręcepto affirmativo includatur virtualiter negativum; tamen Scriptura, ut clariùs exprimeret, quid erga proximum debeamus; non contenta eo, quod dixit Levit. 19 *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo*: quod eſt negativum, expreſsè adjecit poſitivum, dicens: *Diliges proximnm tuum ſicut teipſum*, ex quo patet, ut quid diſtinctum pręcipi dilectionem, & abſtinere ab odio proximi.

Quod autem dicitur de operibus externis benevolentię, jam dictum eſt non ſufficere, nec eſſe actus Charitatis; niſi ex interiori dilectione procedant.

5 Prob. 2. concluſio. Illi actus externi, non procedentes ab interiori dilectione, vel ſunt ficti, & ſimulati, & ſic potiùs ſunt iniqui, quàm actus Charitatis contra id, quod dicitur 1. Joann. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*, & contra id quod dicit Apoſt. ad Rom. 12. *Dilectio ſine ſimulatione*, vel ab aliquo actu interiori procedunt: & ſic, vel ille actus, à quo procedunt eſt dilectio, & ſic habetur actus internus dilectionis; vel alterius Virtutis, & ſic non erunt actus Charitatis, ſed illius Virtutis à qua procedunt: cum actus exterior non differat ſpecie ab actu interiori, à quo procedit, & ſic per ipſos non impletur præceptum Charitatis. Quis enim diceret per actum Temperantiæ impleri præceptum Fortitudinis vel Juſtitiæ?

Præt. *Levit.* 19. *&* *Matth.* 22. non ſolùm dilectio proximi præcipitur, ſed modus, ut ſcilicet, inſtar noſtri diligamus, ſed nos metipſos actu interno ex Charitate diligimus, nempe ſalutem

lutem æternam nobis optando: ergo ita, & proximum diligere debemus ei consociationem in æterna Beatitudine optando.

6 Dico 2. Exclusio actus interni formalis, etsi virtualis inclusus in actu dilectionis Dei admittatur, non est admittenda.

Prob. 1. ex S. Th. (ut clariùs pateat ejus doctrinę veritas.) Clarissimè namque hoc docet 2. 2. *q.*44. *cit. art.*1. & præcipuè ad 1. ubi sic ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd licèt Charitas sit una Virtus, habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium, sicut ad finem: præcepta autem dantur de actibus virtutum, & ideò oportuit esse plura præcepta Charitatis*: quid clarius? Nam unus actus formalis alium virtualem involvens non sunt duo actus; nec potest dici unum ordinari ad alium: nec duo præcepta requirit. Ex qua doctrina.

Prob. 2. ratione. Si ad dilectionem proximi non requiratur actus formalis expresse tendens in ipsum, sed sufficeret actus virtualis implicitè involutus in dilectione Dei, non essent necessaria duo precepta Charitatis, alterum de dilectione Dei, alterumvè de dilectione proximi; sed hoc est contra S. Scripturam; nam *Levit.* separatim ponuntur duo pręcepta; & *Matt.*22. postquàm ambo recensentur, subditur: *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ*, & 1. Jo. 4. habetur: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat fratrem suum*. Ergo ad dilectionem proximi requiritur actus formalis. Prob. sequela; quoniam per illud unicum prçceptum habetur actus virtualis involutus in observantia ipsius; & consequenter satis, superque esset solum, aliudque addere, dum nil aliud pręcipit, nisi actum illum virtualem involutum, supervacaneum esset, & redundans; idem enim bis prçciperetur: nec pręcepta sunt de meliori bono, sed de simpliciter, & necessario.

Quòd si dicas addi præceptum dilectionis proximi, ut innotescat non esse odio habendum. Pręterquàm quòd hoc jam explosum est: etiam hoc ipsum virtualiter in dilectione Dei, & proposito voluntatem ejus exequendi continetur.

PROPOSITIO XII.

Vix in sæcularibus invenies, etiam Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

1 HAnc Propositionem aliqui forsan deduxerunt ex malè intellecta doctrina S. Th. 2.2. *q*.32.*art*.5.*&* 6. ubi art.5. docet tunc obligare præceptum eleemosynę, quando occurrit extrema necessitas ejus, cui debetur, & superfluitas ex parte ejus, qui debet dare. Malè autem intellexerunt doctrinam S. D. quia existimant utrumque simul requiri ad hoc, ut obliget pręceptum eleemosynę, quod est contra ejus intentionem, ut in speciali tract. de eleemosyna probat Eminent. Cajet. & advertit in Comment. super hunc art. & constat ex modo loquendi D. Th. nam ipse ponit illa duo, non ut requisita conjunctim ad pręceptum eleemosynę, sed ut utrumque illorum seorsim ab alio, inducat obligationem dandi eleemosynam; vel scilicèt extrema, vel quasi extrema necessitas; & in tali casu tenetur quisque subvenire proximo, non de superfluo statui, sed etiam de necessariis statui, si sint superflua personę, ut docet S. Doctor *in art*.6. ubi inquit: *Tertiò, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ; his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videtur, ut majori necessitati subveniret*. Ubi, ut observat Cajet. illa particula, *laudabiliter*, non sumitur, ut distinguitur à debito ex præcepto, sed ut contra distinguitur à, *vituperabiliter*. Constat ex eodem S. D. ordinem esse in Charitate: & necessariò servari debere; itaut ob bonum commune sit in præcepto bonum proprium postponere; contrarium autem doceret hìc, si ly, *laudabiliter*, sumeretur, prout opponitur debito ex præcepto.

Vel quando quis habet superfluum statui; & tunc tenetur de superfluo dare eleemosynam, non solùm in extrema, vel quasi extrema necessitate; sed etiam in gravi, quando ei occurrunt

circum-

circumstantiæ personæ indigentis, loci, & temporis hujusmodi eleemosynam faciendi. Quænam autem sit gravis, quænam verò extrema necessitas, explicabitur infrà Propositione 36.n.1.

2 Ex quibus patet falsitas illius secundæ partis Propositionis, in qua dicitur. *Quando tenetur tantùm ex superfluo statui*. Supponit namque ex hoc tantùm capite oriri obligationem largiendi eleemosynam ex parte dantis, etiàm quando ex parte accipientis, adest extrema necessitas. Quod quidèm falsum esse constat ex illo Matt. 25. ubi Dominus noster minatur, & infligit pœnam æternam pro omissione eleemosynę: & cum hoc generaliter dicat, non debet restringi, ut loquatur solùm habentibus superfluum statui; sed pœna æterna non infligitur, nisi pro peccato mortali: ergo pręceptum eleemosynę obligat sub mortali etiam eos, qui non habent superfluum statui, saltem pro extrema proximi necessitate, quod etiam videtur innui 1. Joan.3.ubi dicitur; *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò Charitas Dei manet in illo?*

Et ratione falsitas hujus suppositionis probatur. Quia recta ratio, & ordo Charitatis requirere videtur, ut plùs amemus nosmetipsos, quàm proximum in pari causa; ut si mihi non superest vestis, & ille sit nudus, non tenear dare vestem illi: attamen in notabili disparitate, si id quod est mihi necessarium ad decentiam status, proximo sit omninò necessarium ad sustentationem personę, deberet illius necessitas meę commoditati pręferri; sicut pro salute spirituali proximi, debeo corpus proprium postponere, quia est minoris conditionis. Undè S. Ambr. *lib. de offic.* & refertur *cap. Pasce*; *dist.* 86. ait *Pasce fame morientem, si non paveris, occidisti.* Ergo in casu extremæ necessitatis, debet quisque privari iis, quæ pertinent ad convenientiam sui status, & dare eleemosynam extremè indigenti, quando non adest in promptu, qui ei subveniat; & consequenter non solùm tenetur de superfluo statui.

3 Deindè falsa etiam est illa Propositionis pars, qua dicitur: *Vix in sæcularibus invenies, etiam Regibus, superfluum statui*: nam superfluum statui non est id, quod ad nihilum deservit, aut deservire potest: semper enim excogitari possunt casus, in quibus deservire possit; & semper numerus famulorum, & vani-

tas vestium, & plura alia possunt ad majorem ornatum, & decentiam status, applicari: superfluum enim status, ut docet S. Th. *art.* 5. *cit. ad* 3. est id, quod secundùm statum præsentem non est necessarium, ut probabiliter existimari potest. Nec oportet, quòd considerentur omnes casus, qui possunt contingere in futurum, vetuit enim Dominus *Matt.* 6. cogitare in crastinum: sed debet judicari superfluum, secundum ea, quę probabiliter, & ut in pluribus occurrunt: de hujusmodi autem superfluis multi habent, cum annuos redditus, ultrà id, quod decenti statui suæ familię, est necessarium, & pro occurrentibus probabilibus necessitatibus, habeant: ex qua S. Th. doctrina etiam colligitur superfluum statui esse id, quod ad meliorandum statum pertineret; ut etiam docet Lorca 2. 2. *sect.* 3. *d.* 39. *memb.* 1. *n.* 7. & alii contra Granado, & alios.

4 Præceptum igitur Eleemosynę in primis pro extrema necessitate cognita proximi, quando alius non est in promptu, qui ei subveniat, obligat quoscumque habentes necessitati personę superflua, etiam si sint necessaria statui; ut patet ex jam dictis. Secundò obligat etiam de necessariis personæ sustentationi, ad subveniendum necessitati Reipublicæ, & bono communi; natura dictante partem cum sui detrimento bono totius incumbere. Tertiò obligat habentes superfluum statui pro quandocumque occurrunt indigentes gravi laborantes necessitate. Quod expresè docuit Angelicus *art.* 5. cit. in fine corporis dicens: *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto.* Et deindè ut quid distinctum subdit: *Et dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*, patet etiam ex illo Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam.* Quod optimè probasse videtur S. Basilius serm. ad divites avaros super illud Luc. 12. *Destruam horrea mea.* Ubi eleganter sic ait: *Si fateris ea divinitùs tibi provenisse (scilicèt temporalia bona) an injustus est Deus inæqualitèr res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat? Nisi, ut tu bonæ dispensationis merita consequaris: ille patientiæ braviis decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas, discalceati calceus, qui penes te marcescit, indigentis argentum, quod possides humatum. Quocircà, tot injuriaris, quot dare valens es*: Idem docet S. Ambr. *in serm.* 81. *to.* 3. ut testatur S. Th. *l. c. ad* 2. & habetur in *Decr. dist.* 47.

cap.

cap. sicut ii, Sed quia unus non sufficit ad subveniendum omnibus indigentibus relinquitur arbitrio prudentis, & juxtà Charitatis ordinem, & majoris necessitatis, superfluorum distributio. Undè vides quàm immeritò hanc obligationem negent aliqui cit. à Tambur. *lib.* 5. *cap.* 1. §. 1. *num.* 15. inter quos immeritò ponit Bonac. nam oppositum docet, & nobiscum sentit.

Quartò obligat præceptum eleemosinæ habentes superfluum statui ad subveniendum iis, quibus necessaria statui desunt: & quandoque existentibus in communi necessitate: ut docet Azor. *p.* 2. *lib.* 12. *cap.* 7. esse communem opinionem tàm Theologorum quàm Summistarum. Vide Doctores relatos à Bonac. *de legibus disp.* 3. *q.* 4. *punc.* 6. *n.* 8. Addit tamen Azor. quòd si hæc indigentia sit levis, sub levi obligat; si autem sit gravis sub lethali obligat. Vid. Capisucch. latè differentem *controv.* 29. & 30.

PROPOSITIO XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectum appetere, & desiderare; non quidèm ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

1 HÆc Propositio in terminis asseritur à Castrop. *tom.* 1. *trac.* 6. *d.* 4. *de Charitate p.* 1. *n.* 11. quam probabilem censet Tambur. T adducit verba Bonac. quibus videtur opinionem prædictam docere: quàmvis ipse, licèt subdubitando dixerit, quòd non videtur culpa vacare. Ita *lib.* 5. *cap.* 1. §. 3. *à n.* 31. *& infrà*, pro qua enucleanda.

Præmitto ex S. Th. 2. 2. *q.* 36. *art.* 2. Tristitiam quatrupliciter posse contingere: uno modo, quando aliquis dolet de bono alterius, in quantùm ex eo timetur aliquod nocumentum, vel sibi ipsi, vel aliis viris probis & hæc species tristitiæ est timor: alia est tristitia, qua quis dolet de bono alterius, non quia ille habet; sed quia ipse illo caret; & hæc est æmulatio: altera

eſt, qua quis dolet de proſperitate indigni; & iſta dicitur indignatio, quam Ariſtòteles appellat Nemeſim. 2. *Rhetor. cap.* 9. quarta denique ſpecies eſt Invidia, qua quis triſtatur de bono æqualis, vel ſimilis; in quantum ejus proſperitas exiſtimatur diminutiva proprię excellentiæ; non quia tollat aliquid; ſed quia excedendo, mutatur relatio ſimilitudinis, in relationem excedentis, & exceſſi: & ſic non quia nocumentum infert, diminuit, ſed per proprium augmentum, de quo videndus eſt Cajet. *loc. cit. art.* 1. ſubtiliſſimè ſuo more diſſerens. Hæ autem ſpecies triſtitię ſunt modificatę ex parte objecti; ſi enim triſtitia ſit de bono proximi, ut bonum ejus eſt, ad odium pertinet; quia ejuſdem moris eſt velle alicui malum, & dolere de bono oppoſito: velle autem malum abſolutè alicui, ad odium pertinet.

2 Enumeratæ autem triſtitię ſpecies, ita ſe habent circa malitiam, vel bonitatem moralem; Prima enim ſpecies poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato: ſine peccato quidem, ut ait S. Gregor. 22. *Moralit. cap.* 11. ſic inquiens: *Evenire plerumque ſolet, ut non omiſſa Charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſus ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet, cum, & ruente eo, quoſdam benè erigi, credimus, & proficiente illo, pleroſque injuſtè opprimi formidamus*. Cui addendum eſt ex Caiet. quòd adhoc, ut licitè quis triſtetur de bono alterius, putà potentia, vel divitiis, &c. debet eſſe clara malorum ſequela; ſi autem ambiguum ſit, an aliquis potentia, vel divitiis abutetur in alterius damnum; quamvis licitè, quis timeat, & caveat; non tamen licitè triſtatur abſolutè de illius potentia, vel divitiis. Poteſt autem eſſe cum peccato: quando quis triſtatur de bono alterius ſibi juſtè, vel ſaltem non injuſtè nocivo; quia hujuſmodi timor non debet in tantum progredi, ut nolit bonum alterius; ſed ſat eſt, quòd licitè timeat malum proprium. Regula autem generalis eſt, tunc eſſe licitum triſtari de bono alicujus, quando ſi ipſe haberet poteſtatem, licitè privaret illo bono, vel vita, ſi eſt publicus latro, & homicida, Reipublicæ perturbator, & bono communi valdè noxius, vel potentia, aut divitiis; ſi adeo in perniciem bonorum utitur, & injuſtè; ut ab habente poteſtatem, illis licitè privaretur: ſi autem licitè illo bono privari nequit, nec licitè de eo triſtari poſſumus. Ratio eſt: quia actus interior, & exterior ipſe corref-

respondens eadem ratione est bonus, vel malus: unde in casu, quo actus exterior esset licitus, vel illicitus, eadem ratione actus interior tristitiæ: unde concludit Cajet. hujusmodi timoris effectum, scilicèt tristitiam de bono alterius, ut nocivo, indigere fræno rectę rationis conferentis qualitatem mali suę causę, & præponentis prępononenda, ut tristitia de bono ex sancta, seu recta detestatione mali, excusanda sit.

3 Secunda species quę est Zelus, si sit circa bona honesta, est laudabilis, ut dicit Apost. 1. Cor. 12. *Æmulamini charismata meliora*. Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, & sine peccato: putà si recta ratione reguletur, vel non; ut scilicèt bonum temporale congruum sibi quis æmuletur, non ambitiosè supra se extollens se; ut si plebejus tristaretur, quia non est Rex: & indignus, quia non est Prælatus &c.

Tertia species, quę est Indignatio, mala est, & prohibita in Sacra Scriptura dicitur enim Ps. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem* & Ps. 22. *Pœnè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns*. Ratio est, quia prosperitas indigni non habet rationem mali culpę, nec mali pœnę; sed est ibi ratio boni Misericordiæ, & Providentię Divinæ, sic temporalia distribuentis; ac proindè non habet, undè licitè sit objectum tristitiæ, quod est malum: undè Aug. super *Ps* 36. ad illud verbum *desine ab ira &c.* ait: *Indè irasci, & dedignari, est contra Deum murmurare* videatur Cajet. *loc. cit.* & Eminentiss. Capisucchius, *controv.* 10. §. 5.

Quarta species, quę est Invidia, semper est mala, ut dicit Arist. 2. *Rhetor. cap.* 11. quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi, æqualis, & similis. Immò ex genere suo est peccatum mortale, ut probat S. Th. *loc. cit. art.* 3. quia Invidia ex genere suo contrariatur Charitati: quia utriusq; objectum est bonum proximi: quòd contrario motu prosequuntur, Charitas gaudendo, Invidia de eo tristando: undè patet improbabilem esse opinionem Tambur. *loc. cit.* asserentis Invidiam, ex genere suo, non esse peccatum mortale à *n.* 35. *usque ad* 42.

4 Eodem modo philosophandum est de gaudio de malo proximi, scilicèt quadrifariam dividi, & posse esse bonum, vel malum, secundùm regulas supradictas: quia ejusdem moris est tristari

de bono, & gaudere de malo. Nunc autem videndum eſt, ad quam ſpeciem pertinet triſtitia, & gaudium, de quibus eſt ſermo in prędicta Propoſitione, ut à fundamentis eam, non ſuperficie tenùs evellamus. Et quidem certum eſt ad odium non ſpectare, quia non eſt triſtitia de bono proximi, vel gaudium de ejus malo; ut abſolutè malum, vel bonum ejus eſt; cum addatur, non quidèm ex diſplicentia perſonę, ſed ob aliquod temporale emolumentum: ſimiliter nec ad invidiam, quia non ideò triſtatur, quia eſt diminutivum proprię excellentiæ, eo modo, quo pertinet ad Invidiam, quia eſt triſtitia de bono: ut eſt nocivum, quia tollit aliquod: unde potiùs pertinet reductivè ad timorem; dolet enim de illo bono, in quantùm eſt ſibi nocivum, licèt non poſitivè damnum inferendo, ſed negativè, in quantùm privat, & impedit bonum aliquod, ſcilicet temporale emolumentum; & ſimiliter gaudium ob bonum inde ſequutum: unde.

5 Dico. Triſtari de vita naturali alicujus, & de illius morte naturali gaudere, ob aliquod temporale emolumentum: etiam adhibita moderatione, ut non fiat ex diſplicentia perſonæ, vel ut ſiſtat in mero actu interno; & ſimiliter deſiderium, ſemper eſt cum peccato mortali, ſi ex deliberatione procedat.

Probatur 1. Triſtitia de vita naturali proximi, vel gaudium de ejus morte, quia inde ei reſultat aliquod temporale emolumentum, putà hæreditas, Beneficium, Prę latura, vel ceſſatio ab onere, & penſione, hiſque ſimilia; non eſt de aliquo bono ſibi injuſtè, vel non juſtè, nocivo; nec poſſe licitè ob hoc ab habente poteſtatem vita privari: ergo non poteſt eſſe ſine peccato mortali. Antecedens ſupponimus, quia eſt ſolùm ob aliquod temporale emolumentum, ſolùm proveniens impeditivè ex ejus vita, quod autem ille vivat nullam alteri injuſtitiam, vel non juſtitiam infert. Conſequentia ſequitur ex dictis *n*.2. Nec differentia aſſignata à Tambur. quia actus externus ſumit ſpeciem ab opere externo, actus verò inefficax à motivo, prodeſt: quia actus internus, etiam ſi ſit inefficax, ſumit ſpeciem ab eodem, à quo actus externus ei correſpondens: & ratio ulteriùs eſt, quia ab objecto, ſeu fine volito, non à motivo, propter quod volumus, omnes actus voluntatis, præter intentionem finis, ſumunt ſpeciem, ut cum S. Th. p. 2. ſentit ſanior Theologorum pars:

ergo

ergo, cum in pręsenti objectum tristitiæ sit bonum proximi, & gaudii sit malum ejus: sicut, & desiderium; ab hoc sumunt specificationem actus illi, non à motivo, ut docet Tambur. & consequenter illę moderationes, ut non sit ex displicentia personę, & ut sistat in mero actu interno, & inefficaci, non removent peccatum mortale, licèt removeant peccatum odii.

6 Dices si hęc ratio esset vera, sequeretur etiam tristitiam de potentia, & divitiis alicujus, vel etiam de vita publici latronis, vel similis, esse peccatum mortale, quod est contra S. Th. Greg. & ipsum Caiet. admittentes in his casibus posse esse sine peccato. Seq. probatur, quia objectum, seu finis volitus, in his casibus, est malum proximi, licèt motivum sit bonum.

Respondeo negando seq. & ad probat. dico, quòd objectum in illis casibus est bonum: nam justè infligi possunt illa mala, sivè privatio potentię, & divitiarum: sivè mors malefactoribus debita; bonum autem est punitio malefactorum, ut etiam ipse Tambur. agnovit, & rectè loquutus est n. 29. malum namque pœnæ est bonum Reipublicę, & saluti spirituali proximi, quo à malo culpæ prohibetur: unde observa, quòd actus exterior correspondens tristitię, desiderio inefficaci, & gaudio, non est mors, vel privatio potentiæ &c. ut inferenda ab optante, seu tristante, sed ab habente potestatem: si enim vellet ipse illa mala inferre, esset actus efficax, & ad externum opus tendens: in quo jam concedit Tambur. sumere speciem ab opere externo, ei correspondente; ita nos dicimus illum actum desiderii, tristitię, & gaudii sumere speciem ab actu externo, ei correspondente; qui quidem non est actus inferendus à tristante, seu optante, nisi ipsemet habeat publicam potestatem, sed ab habente potestatē inferēdus; seù ut à Deo, quem loco Ministri, & Judicis optamus: unde si justè illud malum esset inferēdum, ita ut licitè posset fieri ab optante, si haberet potestatem: licitè quoque actus tristitię, gaudii, vel desiderii elicitur, quia opus externum, à quo specificatur, & actus exterior ipsi correspondens, licitus est: secùs verò si injustè inferrentur illa mala, etiam ab habente potestatem, cujusmodi est in casu Propositionis, quam impugnamus: unde patet regulam à Caiet. traditam, & S. Th. ac Greg. doctrinam, optimè, solidè que subsistere: & illa ratio Castropalai exclusa remanet,

net, nempè quòd in casu posito desiderium, & gaudium, non tàm est de malo proximi, quàm de bono indè sequuturo; quia, ut dixi, primarium objectum, & finis operis, est malum proximi, licèt motivum, seu finis operantis sit bonum proprium; vid. in Append.

7 Hinc patet inconsequentia laborasse Castropal.& deceptione: dum probare nititur suam phantasiam ex verbis Eman.Sà; immò audet dicere, idem ab illo doceri: dùm subdit: *Sic docere videtur Emanuel Sà, ubi absolutè dicit te posse Proximo optare malum corporale, ad salutem animæ; & mortem, ob Reipublicæ bonum, & honestum, & hosti tibi alioquin valdè nocituro mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum: item de morte ejus gaudere ob bonum inde sequutum*. Hæc inquam à Sà dicta vera sunt si rectè intelligantur, quia in istis casibus servatur regula à nobis tradita ex Cajet. nec sunt ejusdem rationis cum casu adducto à Castropal. quæ tamen ipse confundit ob illius regulæ incuriam.

Falsa quoque veris comminiscitur Bonac. eodem motivo ductus: quia scilicet actus inefficax sumit speciem à motivo: unde *lib. de leg. disp.* 3. *q.* 4. *punc. ult. n.* 7. infert primò sequentia, dicens: *Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicujus tristatur, aut gaudet de illius infirmitate, eo quòd ille ex recta corporis valetudine, peccandi occasionem arripiat. Idem dicendum est de eo, qui tristatur, dignitates indignis conferri, aut qui mortem hæresiarchis concupiscit, ne reliquos execranda Hæresis peste inficiant. Ita Tolet. &c.* Quæ quidem consentanea sunt præcedenti doctrinæ; tamen deindè falsa docuit paulò post inquiens. *Ita dicendum videtur de matre, quæ mortem filiarum optat, eo quòd ob deformitatem, aut inopiam, nequeat eas juxtà animi sui desiderium nuptui tradere, Ita Azor. &c.* Falsa, inquam, & regulæ traditæ dissona: immò sibimet contradicentia, ut rectè observavit Tambur. *loco cit.* nam suam regulam non servavit *disp.* 4. *q. unica punc.* 3. *n.* 3. cum dixit: *Secundò sequitur illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis exoptat: Ex. Gr. cupiendo illis mortem, ut quam primùm in hæreditatem succedat.* Cum tamen ipse putet, loco antea cit. id licere, si fiat ex bono motivo.

8 Pro-

8 Probatur ſecundò Concluſio. Vita Proximi innocentis (nam malefactoris, ut talis, non, quando meretur mortem in pœnam, dummodo non ſit ex pravo affectu ad perſonam) eſt diligenda præcepto Charitatis erga proximum; ſed dilectio opponitur triſtitiæ, cum ex ea oriatur gaudium: ergo triſtitia de vita proximi Innocentis opponitur Charitati; ſed operari contra Charitatem eſt peccatum mortale; cum vita animę ſit ex Charitate, ſecundùm illud 1. Joan. 13. *Nos ſcimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres*: ergo triſtari de vita alicujus Innocentis, ſicut eſt ille, de quo loquimur in pręſenti, non poteſt eſſe ſine peccato mortali.

Similiter diſcurrendum eſt de gaudio mortis naturalis illius: nam mors eſt malum ejus, contra Charitatem verò eſt gaudere de malo proximi, ut ait Apoſtolus: *Charitas lætatur in bono, triſtatur in malo*. Pariterque dicendum eſt de actu deſiderii, quamquàm inefficacis: actus enim deſiderii ulteriùs progreditur; quàm gaudium, vel triſtitia. Nec illa limitatio, quòd non ſit ex diſplicentia perſonę, habet locum, ut hęc reddat licita, ut vidimus.

Præterea (magis exploditur prędicta limitatio) dato quòd motivum bonum excuſaret à peccato mortali; tamen debet ſervari ordo Charitatis, ut ſcilicet, pręponantur pręponenda, ut ait Cajet. unde minus bonum noſtrum pręferri debet majori bono proximi; ut diximus in pręc. Propoſ. de Eleemoſyna, ut ſcilicet debeat quiſque privari eo, quod pertinet ad ſui ſtatus decentiam, ut extremę neceſſitati proximi ſubveniat, ut etiam adverſarii concedunt, ſed in caſu pręſenti non ſervaretur hìc debitus ordo Charitatis, cum vita proximi potiorem locum obtineat quocumque emolumento temporali, & tamen hoc illi pręferatur; ergo illud motivum non excuſat triſtitiam, gaudium, & deſiderium, à peccato mortali.

9 Ex his ſequitur contra Tambur. *loco cit. n.* 34. illicitè quempiam ſibi ipſi mortem optare ad ęrumnas vitę hujus evitandas, quia non ſervatur debitus ordo, nam majus malum eſt mors, quę eſt ultimum terribilium, quàm ęrumnę vitę pręſentis, & etiam propter alias rationes ſuperiùs allatas. Unde non audiendus eſt Tambur. qui loco citat. irridet quoſdam Idiotas,

Idiotas, qui tanquam de mortali se accusant sibi mortem optasse, ut incommoda vitę hujus effugiant: quapropter invehitur in Confessarios, quia non docent de opposito rudes, liberando eos ab ignorantia, ob quam detinentur conscientia erronea; cum potiùs ex hoc, quod ipse dicit, hujusmodi esse non paucos, nec in uno loco tantùm, puto eum hujusmodi reperisse, sicut, & ego reperi, argumentum sumere debebat ad probandum hoc esse malum, cum sit communis animi conceptio, & de qua non sunt edocti, sed lumine naturali imbuti.

Similiter patet falsitas eorum, quæ loco cit. refert Castropal. ex Joanne Sanc. sic dicens: *Consentit Joann. Sanc. qui sic inquit: licitum est optare tibi, vel proximo mortem, ob vitandam molestiam, infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito inflictam, & alia hujus generis, dummodò desideres, ut à Deo infligenda, non ab homine injustè, vel à Dæmone.*

Ex quibus omnibus colligere potes, qui casus sint similes damnatæ Propositioni, quique absimiles, ut scias, ad quos extendenda sit præsentis Propositionis damnatio; ad quos verò non.

PROPOSITIO XIV.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

1 HÆc Propositio non est à præc. diversa, nisi solùm materialiter, est enim casus singularis, sub illa universali contentus, & revera Tambur. loc. cit. ea utitur tamquàm exemplo, quam denique resolvit, approbando doctrinam Castr. relatam in præc. Propositione. Tres autem status affert prædictæ Propositionis; quorum primus est; si quis exciperet cum gaudio effectum sequutum, nempè hæreditatem, vel carentiam molestiæ; quod licitum est; non enim esset gaudium de malo alterius, sed de proprio bono. Secundus est, si poneretur

ſub conditione, hoc modo: ſi moreretur meus Pater, ego hæreditate potirer; quo caſu dicit, licitum eſſe, quia gauderet non Patris morte, ſed hæreditate. Ego autem puto circa hanc conditionalem, non poſſe verſari actus voluntatis, ſed Intellectus; ſolùmque actus voluntatis verſari poſſe circa aliquos actus conſequentes ad ſuppoſitionem conditionis purificatæ, ex. gr. Si haberem alas, volarem; ſupra hanc connexionem non cadit actus voluntatis, niſi cupiendo purificationem conditionis, ut volem; vel ſupponendo conditionem purificatam, optarem facere hoc, vel illuc; ire illuc, vel alìò, &c. & ratio eſt; quia inter antecedens, & conſequens conditionalis, eſt neceſſaria connexio, conſequenter non ſubditur actui libero; ſed ſolùm actus liber poteſt ferri ad antecedens; vel ad conſequens; vel ad aliqua conſequentia ad conditionalem. Loquutus ſum autem de conditionali neceſſaria, in toto hoc diſcurſu; quia neceſſariæ ſunt conditionales adductæ à Tambur. licèt non neceſſitate orta ex intrinſecis rei, ſed legali, vel morali; quæ tamen afferunt infallibilitatem conſequentiæ, cujuſmodi eſſet iſta, ſi eſſem Epiſcopus poſſem Chriſma conficere; quarum connexio ſaltem eſt independens ab actu libero, quod ſufficit ad intentum: igitur vel voluntas in illa conditionali: *ſi Pater meus moreretur, potirer hæreditate*, fertur ad antecedens, quod eſt mors Patris, vel ad conſequens, quod eſt effectus ſequutus: primum eſt pravum; etiam ſi non ob malum Patris appetatur; ut ex ſuperiùs dictis patet; ſecundum verò licitum, & coincidit cum primo ſtatu Propoſitionis. Tertius ſtatus eſt propoſitionis abſolutæ; ut ſi quis ſine aliqua conditionali cuperet mortem Patris, & hoc ſignificatur in hac Propoſitione, cum dicitur, *Licitum eſt abſoluto deſiderio*, ſumitur enim abſolutum, ut condiſtinctum à conditionato jam explicato; & damnatur hæc Propoſitio in hoc ſenſu.

2 Non eſt autem opus eam impugnare, remanet enim profligata ex dictis in præc. à fortiori: nam ſi non licet deſiderare mortem alterius ob aliquod temporale emolumentum; multò minùs licebit cupere mortem Patris: quia ex parte objecti, nempè Patris, involvitur alia malitia, cum præter præceptum Charitatis quo tenemur quemcumque proximum diligere, teneamur ex pietate, & quarto Decalogi pręcepto honorare Paren-

tes.

tes. Et certè quis, naturali dictante lumine, non abhorret à tali homine, qui divitias præfert vitæ Parentis? Quis non horret in filio, hujusmodi desiderium? Quis talem non execratur impietatem? Non damnat ingratitudinem?

PROPOSITIO XV.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate consequutas.

1 HÆc est præcedentibus abominabilior, ac intolerabilior; nam procedit ex eodem affectu Avaritiæ, cum præferantur divitiæ vitæ parentis, & insuper mors tàm amara, & inopinata, ut à cœteris lacrymas extorquere valeat, à filio gaudium obtinebit, qui mortem intulit suis manibus Patri?

Porrò ex præcedentibus ipsam inferri, non est mirum, si namque est licitum (ut illi malè docuerunt) desiderare mortem Patris, licitum quoque erit de ipsa gaudere; impletio enim desiderii affert gaudium, & si desiderium est licitum, licitum quoque erit gaudium de eodem objecto, & ex eodem fine: nec vitiari potest ex illo capite, quia fuit à filio illata mors; nam sine ejus culpa, ab hac enim excusatur, propter ebrietatem: unde hæc sequitur ex prçcedenti à Tambur. & Castropal. admissa, licèt ab ipsis expresse non doceatur. Hinc evidentiùs patet falsitas præcedentis, quæ tàm horribile monstrum parit.

2 Restat igitur prçcedentibus rationibus expugnata, sicut ex præcedentibus Propositionibus est deducta. Solùm addo aliud inconveniens, quod ex ipsa sequeretur, nempè posse filium gaudere de homicidio Parentis, voluntariè ab alio perpetrato quia in eo non haberet culpam, sicut in parricidio à se in ebrietate perpetrato: & quamvis alterius culpa intercedat, objectum tamen sui gaudii non esset illius culpa, sed effectus sequutus, de quo licitè lætari quis potest, ut ait Tambur. videlicet mors sequuta, ex motivo hæreditatis adeptç: sed ab his

viscera

viſcera abhorrent humana: ergo & ab eo, unde ſequitur. Vereor quidem referre, quod alii non erubuerunt docere.

PROPOSITIO XVI.

Fides non cenſetur cadere ſub præcepto ſpeciali, & ſecundum ſe.

1 PRæmitto 1. Fidem à D. Paulo *ad hebr.* 11. ſic definiri: *Eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, quam eſſe veram definitionem Fidei probat, & explicat S. Th. 2.2. *q.* 4. *ar.* 1. unde erroneum reputatur à Mag. Bannes id quod ait Eraſmus, ibi Apoſtolum non de Fide, qua credimus, ſed de quadam fiducia loqui: cum hoc adverſetur omnibus Doctoribus, SS. PP. perpetuoque Eccleſiæ conſenſui; ut patet in Conc. Arauxic. 2. *cap.* 25. & in Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & 8. *in decr. de juſtificatione*, idemque conſtat ex contextu Apoſtoli. Valdè temerarium quoque reputatur ab eodem aliud Eraſmi dictum, aſſerentis: ibi Apoſtolum, non definiiſſe Fidem, ſed celebraſſe encomium illius, cum hoc ſit contra omnes Scholaſticos, & plures ex SS. PP. De hac igitur Fide, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, ſcilicet inchoatio eorum, quæ intueri ſperamus in æterna Beatitudine, ut contradiſtinguitur à Fide communiter ſumpta operoſiùs eſt agendum, cum ſit initium, & fundamentum vitæ ſupernaturalis, & omnium virtutum: & licèt, ut dubiorum ſeries expoſcere videbitur, ordinem Propoſitionum prætermittam, non tamen aliquam omittam.

2 Præmitto 2. Pro intelligentia verborum prædictæ Propoſitionis, ly *ſpeciale*, ſumi poſſe dupliciter; uno modo prout opponitur communi, ut ſi præciperetur alicui adhibere omnia media neceſſaria ad ſalutem; in hoc præcepto includeretur præceptum Fidei, quæ eſt unum ex mediis neceſſariis, non tamen eſſet præceptum ſpeciale ipſius, ſed commune, ipſamque comprehenderet, tanquam quid particulare contentum ſub communi, ratione medii neceſſarii ad ſalutem.

Si ali-

Si aliquis hoc modo negaret præceptum ſpeciale Fidei, ſi aliundè hoc falſum non eſſet, nihil derogaret dignitati Fidei, ejuſque neceſſitati, non minùs enim eſſet præcepta, ac ſi ſpecialiter eſſet præceptum de ipſa: quemadmodum ex hoc, quòd in communi pręcipitur feſtorum ſanctificatio, non minùs eſt præceptum, ex.gr. Feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac ſi ſpecialiter hujus feſti obſervantia præciperetur.

Alio modo, ly *ſpeciale*, ſumi poteſt, prout opponitur ad ly *per aliud*; itaut ſenſus ſit: aliquid eſſe ſpeciale, ideſt ratione ſui, & non ratione alterius: non eſſe verò ſpeciale, idem, ac non ratione ſui, ſed ratione alterius, quia ſcilicet cum alio connectitur: & hoc eſſe poteſt dupliciter; vel enim aliquid per ſe, & inſeparabiliter connectitur cum alio, vel ſeparabiliter, & per accidens: ſi primo modo cum alio connectitur, quamvis ſecundùm ſe non ſit præceptum; tamen ſemper erit in pręcepto, quia ſemper cum eo, quod eſt per ſe pręceptum, connectitur: ſi verò ſecundo modo, quandoque poteſt cadere ſub pręcepto; quandoque verò non: allata autem Propoſitio videtur facere ſenſum, prout ly, *ſpeciale*, opponitur ad ly, *per aliud*, non autem ad ly, *commune*, additur enim, *& ſecundùm ſe*, taliter quòd ſenſus eſſet: de Fide non datur aliquod pręceptum directè ipſam pręcipiens, & ſecluſa connexione, quam habet cum alio, putà cum Charitate, vel alio hujuſmodi, itaut etiam excludat pręceptum generale, comprehendens ſub ſe Fidem directè, tanquam per ſe contentam ſub illo.

3 Rurſus, ly, *ſecundùm ſe*, bifariàm ſumi poteſt; vel prout opponitur ad ly, *propter aliud*, & ſic illud eſt ſecundùm ſe tale, quod non ordinatur ad aliud: vel prout opponitur ad ly, *cum alio*, & ſic illud eſt ſecundùm ſe tale, quòd eſt tale ſine conjunctione cum alio. In priori ſenſu idem eſſet dicere. Fides non eſt pręcepta ſecundùm ſe; ac dicere, quòd ordinatur ad aliud, quod eſt verum, cum Fides ſit medium ad juſtificationem, & glorificationem: attamen hunc ſenſum non facit pręfata Propoſitio, propter conjunctionem cum pręcedenti particula, *ſpeciali*, cum qua facit eundem ſenſum; itaut ſequens ſit major explicatio prioris, eſſe enim propter aliud, non excludit pręceptum ſpeciale. Remanet ergo, ut ſenſus pręfatę Propoſitionis

nis sit excludere præceptum speciale, prout opponitur ad ly *per aliud;* & secundùm se, prout dicit exclusionem conjunctionis cum alio, v. gr. ratione præcepti Charitatis, vel alterius præcepti, non ratione sui.

4 Præmitto tertiò; quòd nomine Fidei potest intelligi tam habitus, quàm actus; pro utroque enim indiscriminatim, tàm in S. Scriptura, quàm apud SS. PP. & Scholasticos sæpè sumitur: unde prædicta Propositio de utroque posset accipi, vel pro altero; & item nomine præcepti, sub quo cadit Fides, vel intelligitur de præcepto, quo tàm habitus, quàm actus in se præcipitur, videlicèt dari præceptum de ipsa Fide, ratione sui, & directè pręcipiens ipsam Fidem: & hoc puto neminem Catholicorum negasse. Alio modo, ut intelligatur de tempore, quo est in præcepto elicere actum Fidei; itaut supposita Fide, negent adesse pręceptum speciale, obligans aliquando ad eliciendum actum Fidei ratione sui, sed aliquando obligari ad eliciendum actum Fidei ratione alterius præcepti obligantis ad actum alicujus Virtutis, ad quem exigitur conjunctio actus Fidei; & sic Fides, idest actus fidei, non caderet, pro aliquo tempore eliciendus, sub præcepto speciali, & secundùm se, sed ratione alterius præcepti, & ratione conjunctionis cum alio; in quo sensu pariter dixerunt de Charitate, tunc solùm obligare, quando tenemur justificari &c. in hoc sensu docuit eam Tambur. *lib. 2. Decal. cap. 1. §. 1. n.* 9. sic dicens. *Puto per se, & directè nunquàm obligari fideles ad credenda prædicta mysteria, nec implicitè, nec explicitè, ex vi necessitatis præcepti Fidei: sæpissimè verò obligari per accidens, ex vi aliorum præceptorum.* Ut autem nullum ex prædictis falsis sensibus, quos habere potest præfata Propositio, inexpugnatum relinquamus, singulos sigillatim impugnabimus; pro quo.

5 Dico 1. Etiam si ly, *speciale*, sumatur prout opponitur ad ly, *commune*, si sermo sit de præcepto, quo ipse habitus, vel ejus actus præcipitur, falsa est prædicta Propositio asserens Fidem non cadere sub pręcepto speciali, & secundùm se.

Prob. ex pluribus locis S. Scripturæ: Nam specialiter, & expresse de Fide loquens Apost. *ad Hebr.* 11. ait: *Sine Fide impossibile est placere Deo*, quę verba satis indicant pręceptum ipsius Fidei, ubi sermo est de actu, ut patet ex contextu: nam ex eo,

quod *Joan.* 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, & Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* & Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*: colligunt omnes Doctores dari pręcepta de Baptismo, Eucharistia, & Pænitentia; ergo ex eodem modo loquendi, quo utitur Apost. apertè colligitur præceptum speciale Fidei, prout generali opponitur, & communi cum loquatur expressè de ipsa Fide.

6 Dico 2. Si ly, *speciale*, & *secundùm se*, sumatur prout opponitur ad ly, *per aliud*, etiam falsa est prędicta Propositio: itaut verum sit dari præceptum de ipsa Fide, & ejus actum secundùm se, non ratione alterius, vel conjunctionis cum alio.

Prob. 1. ex adducto testimonio D. Pauli, ubi de Fidei secundùm se, & non ex conjunctione cum alio, ait: *Sine Fide* &c. Ex quibus verbis, ut vidimus, colligitur præceptum Fidei: ergo speciale, non ratione alterius. Item idem Apost. *ad Hebr.* 11. ait: *Accedentem ad Deum oportet credere*. Item *Joann.* 14. expressè dedit Christus præceptum speciale Fidei, dicens: *Creditis in Deum, & in me credite*. Item *Eccl.* 2. dicitur: *Qui timetis Dominum, credite illi*, ubi, ut constat, sermo est tàm de actu, quàm de habitu Fidei specialiter, & secundùm se, non ratione alterius: ergo Fides secundùm se, & non ex conjunctione cum alio cadit sub præcepto.

7 Dico 3. Si præceptum sumatur, ut respicit tempus, pro quo est obligatio eliciendi actum Fidei, sic specialiter, & secundùm se obligat; non solùm ratione alterius.

Probatur primò. Nam certum est, ut constat ex supradictis, dari præceptum eliciendi actum Fidei; & Tambur. fatetur, dùm solùm negat inveniri tempus determinatum, pro quo obligat; sed hoc præceptum esset otiosum, si nunquàm per se obligaret, sed solùm ratione alterius; ergo dicendum est aliquando secundùm se, & absque conjunctione cum alio obligare. Prob. minor, quia si solùm teneremur elicere actum Fidei ratione actuum aliarum Virtutum, qui sine eo non possunt esse, obligatio nõ proveniret à pręcepto Fidei, sed ab aliis pręceptis, quibus connectitur; & sic otiosum, & frustraneum esset pręceptum hoc eliciendi actum Fidei. Neque ratio Tambur. quia scilicet non reperitur tem-

tempus determinatum, pro quo obliget, est sufficiens ad inferendum, nunquàm per se obligare hoc præceptum, ut probavimus loquendo de præcepto Charitatis, supra Prop. 7. n.6.

Prob. 2. Quod est necessarium necessitate medii ad salutem, si est actus liber, & in potestate nostra, est etiam necessarium necessitate præcepti; sed Fides, & actus ejus, secundùm se, & ex sua speciali ratione est necessaria necessitate medii ad salutem: ergo ex se, & ex sua speciali ratione cadit sub præcepto: sed actus necessarii necessitate medii ad finem, sunt tamdiu necessarii usque quò acquiratur finis: ergo præceptum de eliciendo actu Fidei secundùm se, & specialiter obligat pro toto tempore vitæ; tunc enim acquiritur finis: ergo non solùm obligat ratione alterius; quod esset nunquàm obligare hoc præceptum, ut probavimus. Major docetur communiter à Theologis, & patet ex eo, quia ad prudentem Legislatorem spectat dare præcepta de mediis necessariis ad finem. Minor apertè videtur insinuata Marci ultimo, ubi Christus ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur:* ubi & necessitas Fidei ad salutem ponitur, & exclusio à salute æterna in non credente, cujus majus signum haberi non potest de necessitate medii. Minor subsumpta constat ex differentia medii permanentis, & transeuntis; medium enim permanens semel necesse est apponi, quia semel appositum perseverat, & operatur, & hujusmodi est Baptismus, qui semel receptus sufficit, quia imprimit characterem indelebilem: actus autem nostri, cujusmodi sunt actus Fidei, sunt transeuntes, & ideò toto tempore vitæ, quo durat eorum necessitas; oportet durare præceptum ad eos obligans, specialiter, & secundùm se, non ratione alterius, sicuti specialiter, & secundùm se sunt media.

Ut autem clariùs percipiatur, quando obligat, sequentem Propositionem oportet examinare.

PROPOSITIO XVII.

Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

1 PRædictam rationem prosequendo, probamus non sufficere actum Fidei semel in vita elicere: ubi in primis adverte, quòd Tambur. ait loc. cit. n. 8. sufficere semel in vita actum Fidei elicere, loquendo de necessitate medii; nam loquendo de necessitate præcepti, præcisè, docet id, quod retulimus prop. pręc. de necessitate autem medii agemus infrà prop. 22. coroll. 2. n. 14. hìc autem solùm agemus de necessitate pręcepti, licèt hęc ex illa colligi debeat.

2 Sic ergo prosequendo prędictam rationem, pręsentem Propositionem improbamus. De ratione medii ad aliquem finem necessarii, si est res transiens, oportet, ut pluries repetatur usque ad assecutionem finis: & de medio necessario ad finem oportet dari pręceptum; imò potiùs implicitè datur præceptum ad naturam ipsius consequens, sed Fides, non solùm pro habitu, cujusmodi est res permanens, sed etiam pro actu est necessaria necessitate medii, non solùm ad primam Gratiam, sed etiàm ad vitam æternam consequendam; ut patet ex verbis rel. Marci ult. ubi sermo est de actu: ergo de actu Fidei datur pręceptum ut pluries repetatur. Major quò ad primam partem patet exemplis, tùm in naturalibus, tùm in moralibus: in naturalibus quidem: quia namque cibus est necessarius ad sustentandam vitam, & est res transiens, non sufficit semel cibum sumere: ex quo etiam patet secunda pars: nam quia ita necessarius est, pręceptum sumptionis involvitur in ejus necessitate: patet etiam in moralibus: nam Baptismus licèt sit necessarius necessitate medii ad salutem, tamen quia est permanens in suo effectu, nempè charactere; non est repetendus; quam rationem affert tertio loco S.Th. 3 *p. q.*66.*art.*9. & adducit Aug. ad probandum Sacramentum Baptismi non debere reiterari, è converso verò Sacramentum Pœnitentiæ est reiterabile, immò pręceptum Divinum multoties urget ad illud reiterandũ, ut dicemus Propos. 59.

ergo

ergo similiter dicendum est de quocumque necessario necessitate medii; dum urget eadem ratio.

Quòd si dicas in casibus adductis, ideò replicari debere illa media, quia nova necessitas urget, non præcisè, quia sunt aliquid transiens; quod non evenit in casu nostro, cum semel illa credere sufficiat.

Annuo quidem adęquatam rationem illam esse; at nego ita non evenire in casu nostro: nàm ut infrà Prop. 22. examinabo, pluries actus Fidei repetere necesse est, & etiam quia cum Fides sit directiva circa finem, & intentio finis interrumpatur aliquotiès, ut iterum assumatur iter gratia finis, oportet ad finem iterum respicere, quod fit per repetitionem actuum Fidei; in quo sensu videtur dixisse Apost. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, per Fidem enim ambulamus*; longa enim hæc peregrinatio, & sæpè interrupta, à prima intentione, & cognitione finis, continuò nequit regulari; sicut non semel navigationis tabulam, quæ dirigit nautam, ut ad ignotum perveniat portum, respicere oportet, sed sæpè, & frequenter, nè aberret à fine: unde ex parte Fidei, sic loquitur Guilielmus Parisiensis lib. de moribus cap. 1. *Ego sum stella Cardinalis, navigantibus per mare mundi hujus, Portum ostendens, & Patriam.*

3 Sed quia hucusque de necessitate medii simul, & præcepti sermonem fecimus, meritò quęris, an necessitate pręcepti tantùm aliquando teneamur actum Fidei elicere? Ad hoc varia tempora assignantes, respondent Doctores; sed quia plura illorum sunt in ordine ad aliud; solùm assignabimus tempus, quo per se obligat: & primò assignatur communiter pueris pervenientibus ad usum rationis, si sint inter fideles nutriti, & Fidei mysteriis imbuti, ipsum usus rationis initium, quemadmodum ex doctrina S. Th. tenentur se convertere in Deum: similiter tenetur adultus quamprimùm ei sufficienter proponantur mysteria Fidei, si anteà ea invincibiliter ignorabat: aliàs ex infideli negativè evadet infidelis positivè; & hoc est necessarium non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii; & in hoc omnes Doctores conveniunt.

Scotus, & Aragon. asserunt omnibus diebus Festis: sed mihi videtur illis diebus Festis, quibus celebrantur mysteria Fidei:

nam si pręcepta positiva obligant pro loco, & tempore, quodnam congruentius tempus assignari potest? Tùm quia approximato potentię objecto, si est necessaria, necessariò fertur in illud, nisi debilitas potentiæ obstet; si verò est libera, liberè, nisi voluntatis efficacia, & affectus desit: cum ergo his temporibus proponatur objectum Fidei menti fidelis, si non prorumpit in actum, vel in modicam voluntatis erga Fidem affectionem, vel in torporem referri debet, quod quàm longè sit à pręparatione animi, ad quam tenemur, apertè constat: quinam quęso, dùm de sua professione audit loquentes, tacet? Quinam oblata sui officii occasione non excitatur? Quem nisi infirmum oblatus cibus esurientem non allicit? Solus ergo fidelis, oblata Fidei, quam profitetur, materia, torpescet? Oblata festivitatis memoria, dormiet tanquam potens crapulatus à vino? Oblato suavissimo cibo, non properabit? Nonnisi infirmam Fidem suadere mihi possum.

PROPOSITIO XXIII.

Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.

UT sciamus citò quinam actus Fidei sit in pręcepto, oportuit, (quamvis ordinem aliqualiter immutemus) statim hanc Propositionem ad examen vocare, qua disseremus, quęnam Fides sit necessaria ad justificationem; pro quo.

1 Pręmitto primò, duplex necessarium à Theologis distingui, aliud dicitur necessarium necessitate medii, aliud necessitate pręcepti; necessarium necessitate medii est illud, sine quo finis nullo modo obtineri potest, etiam si inculpabiliter illud non apponatur, cujusmodi est Baptismus respectu infantis, sivè invincibiliter ignoretur, cujusmodi est Fides respectu invincibiliter eam ignorantis: necessarium verò necessitate pręcepti, est illud, quod ad finem obtinendum requiritur, sed impotentia, vel ignorantia invincibilis, quę excusant ab impletione pręcepti, non impediunt consequutionem finis, pręcepto inculpabiliter non impleto.

2 Pre-

2 Præmitto secundò: circa necessitatem Fidei fuisse plures errores: Pelagiani namque ajebant, cognitionem supernaturalem esse quidem utilem, minimè necessariam; de quo vide D. Aug. *lib. 1. de gratia Christi cap.* 14. *& lib. 2. cap.* 26. Manichęi verò pollicebantur demonstrationem omnium rerum, quas docebant; unde necessitatem Fidei explodebant: quem errorem deindè sequutus est Petrus Abailardus, contra quem scribit D. Bern. quem deindè suscitavit Raymundus Lullius: qui error videtur derivatus à Gentilibus qui promittebant suis sequacibus fœlicitatem, absque ulla cognitione supernaturali. Fuerunt etiam Semipelagiani, qui licèt necessitatem Fidei ponerent; tamen initium Fidei esse ex nobis asserebant, taliter quòd sine auxilio Gratiæ credere possemus, licèt aliqui eorum internam illustrationem, & excitationem admiserint, ut constat ex D. Aug. *lib. de bono persever. cap.* 17. ex D. Hylar. *Epist. ad Aug.* unde Innoc. X. fœl. rec. damnavit hanc Propositionem: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei.*

3 Fuit etiam quorundam Catholicorum opinio, asserentium, requiri ex parte voluntatis auxilium supernaturale ad justificationem, in quo differebant à Pelagio: attamen ex parte Intellectus sufficere habitum infusum Fidei super naturalis, simul cum Charitate, sine actu Fidei supernaturalis; & hoc omni tempore sufficere ~~homini ad~~ justificationem, cui non est vel prædicatum Euangelium, vel annunciatum aliquod supernaturale. Hanc sententiam, quamvis sequutus fuerit Magister Soto *lib. 2. de natura, & gratia cap.* 11. in impressione facta Venetiis, postea tamen illam retractavit, ut patet in impressione facta Salmant. in fine quarti sent.

Deindè Andreas Vega *lib. 6. in Trid. cap.* 17. *&* 20. asseruit, quòd licèt omni tempore fuerit præceptum de Fide supernaturali, nunquàm tamen fuisse necessariam necessitate medii, sine quo nullus consequatur salutem: sed etiam modò, qui laboraret ignorantia invincibili Fidei Christianæ, poterit justificari, & salvari absque actu Fidei supernaturalis; sed sufficere naturalem cognitionem, quam de Deo habemus per creaturas. Hæc opinio differt à Pelagio: quia Vega requirit ad justifica-

tionem auxilium ſupernaturale, quo homo eliciat actum Charitatis, qui in voto, & implicitè continet Fidem, quo (præſuppoſita illa naturali cognitione de Deo) juſtificaretur. Secundò differt ab illo, quia Pelagius in omnibus negabat neceſſitatem Fidei: Vega in iis tantùm, qui ignorantia invincibili myſteriorum Fidei laborarent; verùm, quantùm ad iſtos, cum Pelagio convenit: & etiam quantùm ad excluſionem auxilii ex parte Intellectus ad credendum. Cum hac coincidit opinio, quam conatus eſt promovere P. Joann. Martinez de Ripalda, de qua vide de Lugo.

Eſt denique alia opinio modò damnata, aſſerens, ſufficere ad juſtificationem Fidem latè dictam, ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo. Hæc differt à præcedenti, quantùm ad hoc, quòd illa cognitio naturalis poſita à Vega ex nullo capite poteſt eſſe ſupernaturalis, ſcilicèt neque ex parte objecti, cum cognitio naturalis non poſſit pertingere ad objectum ſupernaturale, cum ſit lumen ordinis inferioris, & myſteria ſupernaturalia Fidei ſint indemonſtrabilia, ut docet S. Th. 2.2. *q.* 1. *art.* 5. *in calce corporis*, & ibidem proſequitur Bann. cæterique Comm. D. T. & oppoſitum attinet ad hæreſim Manichæorum, & cæterorum quos n. 2. retulimus: Item neque ex parte modi, quia habetur per lumen naturale Intellectus: cæterùm hæc poſterior poteſt eſſe ſupernaturalis quātùm ad objectum, quia fide acquiſita, vel humana, poteſt quis ferri ad objectum ſupernaturale, ut patet in hæretico, qui reſpectu articulorum, quos non negat, habet fidem acquiſitam, quæ tamen terminatur ad objectum ſupernaturale: hæc tamen quò ad modum eſſet naturalis, quia innititur teſtimonio creaturarum, non Divinæ revelationi. Quantùm verò ad auxilium requiſitum tàm ex parte voluntatis, quàm ex parte Intellectus convenit cum Pelagio; quia ad eliciendum actum fidei humanæ, ſeu ex motivo humano, non requiritur auxilium ſupernaturale; his præmiſſis.

4 Dico. Tàm opinionem Vegæ, quàm præfatam, S. Scripturæ teſtimoniis, & rationibus Theologicis convinci eſſe falſas. Fortè opinio Vegæ continetur in hac Propoſitione damnata, illis verbis, *ſimilivè motivo*, quod eſt ratio naturalis ex creaturis deſumpta: & expreſsè deſumpta eſt ex P. Joan. Martinez cit.

Prob.

Prob. 1. Discursu, quo utitur S. Th. *p.p. q.* 1. *art.* 1. Necessarium est, ut agens liberum, ad hoc, ut eliciat aliquos actus in ordine ad finem, ipsum pręcognoscat: sed ad hoc ut homo justificetur (sermo est de adultis) debet per Vegam elicere actum Charitatis: ergo oportet ut præcognoscat Deum, qui est finis actus Charitatis: sed Deus, ut est finis actus Charitatis, nequit cognosci cognitione naturali, sed lumine Fidei, seu cognitione ab ipsomet Deo revelata: ergo ad justificationem hominis requiritur Fides propriè dicta, seu cognitio per Divinam revelationem. Major patet, tùm ex ratione actus liberi, qui cum sit voluntarius, debet esse à principio intrinseco cum cognitione finis, quæ est communis definitio voluntarii; tùm ex communi proloquio ab Arist. desumpto: nil volitum, quin præcognitum; tùm ex differentia agentis liberi, & agentis secundùm naturam. Minor docetur à Vega, & à nemine Catholicorum negabitur; & consequentia sequitur. Minor subsumpta probatur, & primò quò ad primam partem, quæ militat contra Vegam. Deus est finis actus Charitatis, ut Auctor supernaturalis, ut bonum supernaturale, idem namque est objectum Charitatis in via, & in Patria, licèt diverso lumine cognitum, unde ait Apostol. *Charitas numquàm excidit*; & insuper hæc est differentia inter actum Charitatis, & dilectionis Dei naturalis: sed Deus, ut Auctor supernaturalis, non potest cognosci cognitione naturali, quę habetur lumine naturali Intellectus, ut dicitur. Is. 64. *Oculus nõ vidit, Deus absque te quæ præparasti expectãtibus* vel *diligentibus te*, & etiã ratione patet, quia lumen naturale nõ potest extendi ultrà limites veri cognoscibilis ordinis naturalis, cum requiratur proportio inter potentiam, & objectum, & nè extendatur extra sphæram suę activitatis: ergo Deus, ut est finis actus charitatis, nequit cognosci naturali lumine. Totum hunc discursum compẽdiavit Ap. ad Rom. 10. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?*

Nec sufficit cognosci Deum, ut Auctorem naturæ, ut possit diligi, ut Auctor supernaturalis; nam sic actus voluntatis ferretur in objectum incognitum, quia ex ratione, qua in ipsum fertur, & formaliter, est incognitum; & sic non esset cum cognitione finis formalis: undè illa cognitio Dei, ut Auctoris naturæ, perindè est, ac si non esset: aliam namque rationem diligeret, aliam

verò

verò cognoſceret. Inſuper: de ratione agentis liberi non ſolùm eſt cognoſcere ipſum finem materialiter, nempè rem, quę eſt finis, hoc enim etiam brutis competit: ſed cognoſcere ipſum finem formaliter, ſcilicet ut habet rationem finis, & dicit ordinem ad media: ſed Deus; ut finis actus Charitatis, eſt Auctor ſupernaturalis, & aſſequibilis per media ſupernaturalia: ergo oportet præcognoſci ſaltem ipſum eſſe finem ſupernaturalem, quod nequit cognoſci lumine naturali.

Prob. deindè quò ad ſecundam partem minor ſubſumpta, & directè impugnatur Propoſitio damnata; ſcilicet hujuſmodi cognitionem debere eſſe per Divinam revelationem, & conſequenter non ſufficere, ut ſit ex teſtimonio creaturarum. Nam ad hoc ut Voluntas actu efficaci exeat in actum Charitatis, diligendo ſuper omnia Deum, ut finem ſupernaturalem, debet ipſum certò cognitum pręſupponere; ut finem ſupernaturalem, ſicut nec ſperare poteſt Beatitudinem ſupernaturalem, niſi certò conſtet illam dari; ſed hæc certitudo non poteſt haberi, niſi per Divinam revelationem, quę eſt infallibilis, non verò per fidem acquiſitam, ſeu ex teſtimonio creaturarum, quę eſt fallibilis, & potiùs cauſat incertitudinem: ergo Deus ut eſt finis actus Charitatis debet cognoſci lumine Fidei, propriè, non latè dictę, per Divinam revelationem, non fide acquiſita, vel teſtimonio creaturarum. Major patet, quia circa objectum incertum, & de cujus exiſtentia dubitatur, non poſſunt verſari, niſi actus inefficaces, conditionati, & timidi, & cum cognitio ſit fundamentum volitionis, ſi cognitio non excludit omnem dubietatem, nec volitio poteſt undequaque habere ſtabilitatem.

5 Prob. 2. Concluſio. Ex utraque opinione ſequitur, initium noſtrę ſalutis eſſe ex nobis, quia eſſet, vel ex illa naturali cognitione, quę eſt ex nobis, vel à fide acquiſita, & motivo humano, ad quam neque requiritur auxilium ſupernaturale: quod eſſet Pelagianum, & quamquàm juſtificatio ipſa haberetur per auxilium ſupernaturale, tamen initium hujus juſtificationis eſſet ex illa cognitione, ſine auxilio ſupernaturali: quod tamen majus eſt eo, quod aſſerebant Semipelagiani, ſcilicet initium Fidei eſſe ex nobis, qui tamen neceſſitatem Fidei

fate-

fatebantur: nam per istos, non solùm initium Fidei esset ex nobis, sed neque necessitas Fidei Divinæ ponitur. Error tamen Semipelag. proscribitur in Conc. Araux. *can.* 9. his verbis. *Si quis sicut augmentum, ita & initium Fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur &c.* Unde Apost. 1. *ad Thessalonic.* 2. ait: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum Dei, non accepistis illud ut verbum hominum*, quod est credere fide humana; *sed sicut verè est verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis:* quod pertinet ad Fidem Divinam, propter Divinam revelationem, & ex auxilio Dei. Insuper, sicut D. Aug. *lib. de Prædest. Sanctorum cap.* 3. arguit contra Pelag. asserentes posse homines sine speciali gratia intrinseca credere mysteria Fidei, ex verbis Apost. 1. *ad Cor.* 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic etiam contra utramque sententiam, quam impugnamus, eisdem verbis arguere possemus; cum isti cognitionem, per quàm justificantur, sine auxilio Dei accipiant. Et magis eos urgere sequentibus verbis Apost. *Quis enim te discernit?* Nam istorum aliqui possent aliis non credentibus dicere, se discerni virtute proprii Intellectus pertingentis ad illam cognitionem de Deo: alii verò discerni per fidem, quàm testimoniis creaturarum præstiterunt, quorum neutrum est ex Dei auxilio, & licèt admittant auxilium supernaturale Dei, per quod justificantur, & completè à non justificatis discernuntur; attamen radicaliter, & initiativè discernerentur per illam naturalem cognitionem, & Fidem habitam ex testimonio creaturarum, & consequenter ex viribus naturalibus: quod neque admittendum est, etiàm enim radicalis discretio ordinis supernaturalis, & initium salutis, in Deum Auctorem supernaturalem, ut in bonorum omnium Largitorem referri debet, ut à Semipelagianorum errore discedamus.

6. Probatur tandem locis S. Script. in quibus necessitas Fidei supernaturalis ad justificationem exigitur. Et in primis ex illo *ad Hebr.* 11. ubi habetur. *Sine Fide impossibile est placere Deo*. Ubi Apost. loquitur de illa Fide, quam paulò ante definierat.

Est spe-

Est sperandarum substantia rerum Argumentum non apparentium ; quę est Fides supernaturalis. Et ex hoc, quòd Enoch placuit Deo, infert hanc consequentiam: ergo habuit Fidem, quem probat per illa verba allata; *Sine Fide impossibile est &c.* Quę quidem consequentia non valeret, si Fides non esset omnibus necessaria necessitate medii: nam sic posset aliquis placere Deo sine Fide: unde ex hoc quòd aliquis placet Deo, non posset necessariò inferri habuisse Fidem. Et insuper est notandum, Apost. non loqui de necessitate Fidei in ordine tantùm ad consequendam æternam salutem; sed etiam in ordine ad justificationem; nam dicit. *Impossibile est placere Deo*: quicumque autem justificatur placet Deo.

Item *ad Rom.* 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam*, & ad Gal. 3. *Ex Fide justificat gentes Deus*, non quia sola Fides justificet; sed quia sine Fide impossibile est quempiam justificari. Ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum*, *oportet credere*. Ubi illa particula, oportet, necessitatem Fidei satis indicat. Et ad Eph. 2. *Gratia estis salvati per Fidem*; *& hoc non ex vobis*, *Dei enim donum est*. Dei autem donum, ut importat auxilium Gratiæ specialis (quo pacto intelligendus est Apostolus, cum dicat, *Gratia estis salvati*) non est, neque naturalis cognitio; neque Fides latè dicta, ex testimonio creaturarum. Item ad Rom. 4. *Ei verò*, *qui non operatur*, *credenti autem in eum*, *qui justificat impium*, *reputatur Fides ejus ad justitiam*. Ubi apparet requiri Fidem in Deum, ut justificatorem impii, qui est sextus articulus de pertinentibus ad Divinitatem, & excedens naturalem cognitionem. Et denique expressissimè, Marci ultimo dicitur. *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit salvus erit; qui verò non crediderit*, *condemnabitur*.

Ex quibus eluditur quorumdam responsio; asserentium; sufficere habitum infusum Fidei, non requiri tamen actum Fidei: nam in præfatis authoritatibus, plerumque, expressè ponitur credere, qui est actus Fidei.

7 Probatur ex Conc. Trid. nam *sess.* 6. *cap.* 7. dicitur. *Sine Fide nulli unquam contigit justificatio*, & cap. 8. habetur: *Fides est humanæ salutis initium*, *fundamentum*, *& radix omnis justificationis*. Et *sess.* 6. *can.* 3. definitur: *Si quis dixerit absque præ-*

venien-

veniente Spiritus Sancti inspiratione, & adjutorio, hominem posse credere, sperare, diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. Ubi observandum est, credere, sicut oportet ad justificationem, debere esse ex præveniente Spiritus Sancti inspiratione, quia credere aliter, ac ex Spiritus Sancti inspiratione non est credere eo modo, quo oportet, ad hoc, ut aliquis justificetur; ergo cum illa naturalis cognitio, & Fides ex testimonio creaturarum, non sint ex præveniente Spiritus Sancti inspiratione, & adjutorio, non sunt eo modo, quo oportet, ut quis justificationis gratiam assequatur, quapropter asserere ipsas ad justificationem sufficere, existimo, prædicto canoni aperte repugnare. Insuper adverte Conc. loqui de credere, qui est actus Fidei, non autem de habitu.

Idem docuit S. Aug. *serm.* 38. *de tempore*, dicens. *Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire; quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam consequitur justificationis gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Ubi loquitur de Fide infusa, & supernaturali.

8 Respondet Vega, ex omnibus prædictis testimoniis colligi Fidei necessitatem, sed vel in re, vel in voto; sicut enim Apost. ait: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Ita *Ioan.* 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et tamen, hoc non obstante asserunt Theologi, Baptismum in voto sufficere interdum, vel quando ejus copia non habetur, vel si invincibiliter ignoretur. Ita dicendum est de Fide; unde si aliquis homo legem naturalem perfectè servaret, & Deum, ut Auctorem supernaturalem invincibiliter ignoraret, haberet Fidem in voto; quia sic esset paratus, & dispositus, ut si illi Euangelium annuntiaretur, statim reipsa crederet.

Sed contra est. Licèt Baptismus in voto interdùm sufficiat ad justificationem, & salutem; non tamen dari potest hæc Fides in voto; Baptismus enim cum supponat Fidem & Charitatem, potest ab illis oriri ejus votum, & desiderium, quod potest supplere vices Sacramenti, si adsit impedimentum ad illud in re suscipiendum: respectu Fidei verò non datur aliquid, in quo ejus votum fundetur, & in quo Fides contineatur; nam

cum

cum ipsa sit primum fundamentum justificationis, & salutis, nihil præsupponitur ad ipsam Fidem in quo possit contineri: non enim potest contineri in ipsa cognitione naturali, cum hæc nullam connexionem habeat cum Fide, sitque inferioris ordinis: neque in dilectione Dei naturali, propter eandem rationem. Neque in actu Charitatis, & dilectionis supernaturalis: quia cum Fides ex Trid. sit initium, & radix justificationis, repugnat infundi Charitatem, nisi præsupponatur Fides: quod etiam ex prima ratione, quam adduximus patet: ergo impossibile est eum, qui legem naturæ servaret, & Deum, ut Auctorem supernaturalem invincibiliter ignoraret habere Fidem in voto. Hinc optimè D. Bern. *Epist.* 77. ponderans illa verba Christi Marci ult. ait; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Cautè igitur, & vigilanter non repetivit: qui verò baptizatus non fuerit, sed tantùm: qui verò non crediderit, condemnabitur: innuens solam interdum sufficere Fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Ubi apertè constat differentia inter supplebilitatem Baptismi, & insupplebilitatem Fidei.

9 Objicies 1. cum Vega *Apost.* 1. *ad Rom.* 2. docet, per observantiam solius legis naturæ posse homines justificari: ergo Fides, quæ est de supernaturalibus, non est necessaria necessitate medii ad salutem. Probat. ant. ex duabus Propositionibus, quæ loc. cit. continentur, quarum Prima ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Secunda dicit: *Factores legis justificabuntur*: juxta quod congruit id, quod dicitur Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Ubi loquitur de mandatis cognitis lumine naturali: ergo ad justificationem, & ad salutem æternam sufficit sola cognitio naturalis, cum observantia mandatorum.

Resp. Quòd illa verba Apost. non excludunt (si intelligantur de omnibus præceptis legis naturæ) neque Gratiam requisitam ad operandum; neque necessitatem Fidei: Unde ly, *naturaliter*, intelligitur de natura reparata per gratiam, in quantùm sine lege scripta implebant ea, quæ sunt legis: ut exponit. S. Aug. *lib. de spiritu, & litera cap.* 26. *&* 27. ubi ait. *Fiunt, quæ legis sunt naturaliter, non quòd per naturam negata sit gratia,*

tia; sed potiùs per gratiam reparata natura. Et eam sequitur S. Th. 1. 2. *q.* 109. *art.* 4. *ad* 1. nec excluditur Fides: sed sensus est: Gentes, quæ legem non habent (idest scriptam) naturaliter (idest in statu legis naturæ, qui pro reliquis, præter Judęos, duravit usque ad Christum) ea quæ legis sunt faciunt (idest præcepta moralia legis naturæ) in quibus juxtà sententiam S. Th. & Cajet. 1. 2. *q.* 100. *art.* 1. includuntur etiam præcepta Fidei, Spei, & Charitatis: ex quo optimè potest inferri: factores legis justificabuntur. Unde ad id, quod dicitur *Matt.* 19. respondetur, quòd servantibus legis naturæ mandata conceditur ingressus ad vitam æternam; non tamen, quatenùs servantur illa mandata cum naturali cognitione tantùm; sed quia Deus hujusmodi hominibus Fidem, & gratiam confert, non solùm ad servanda præcepta supernaturalia; sed etiam naturalia. Ita Bann. 2. 2. *q.* 2. *dub.* 1.

Ob. 2. duo testimonia D. Pauli, quorum unum est ad *Rom.* 1. ubi loquens de gentilibus Philosophis, qui solam naturalem cognitionem habuerunt de Deo, ait, aliquos damnari; quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt: ergo si glorificassent, ut Deum, quod pertinet ad operationem, cum sola illa cognitione naturali, salvi fuissent. Alterum est ad *Hebr.* 2. ubi ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Sed hæc duo possunt lumine naturali cognosci de Deo: ergo ad justificationem sufficit naturalis cognitio.

Resp. ad primum, negando consequentiam: nam affirmatio damnationis potest cadere supra inobservantiam legis naturæ; quia quodlibet peccatum ad damnationem sufficit: non tamen è converso ex sola observantia legis naturæ sine Fide, inferri potest negatio damnationis: nam ad hoc plùs requiritur; idest, observantia legis naturalis, & præceptorum supernaturalium. Illud primum asserit Apost. ex quo non benè infertur secundum. Vel dico qui in sensu causali, idest, quia si observassent legem naturæ, Deus eos illuminasset per Fidem; ut dicemus in resp. ad 3. non autem in sensu formali; quia suffecisset observantia Juris naturalis sine Fide.

Ad 2. dico ibi Apost. loqui de Deo, ut Auctore supernaturali,

rali, & Remuneratore in ordine ſupernaturali: unde ſignanter dixit, oportet credere, credere inquam, non cognoſcere. Tùm quia, verba antecedentia intelligenda ſunt de acceſſu, per gratiam, & Charitatem: ut patet ex contextu: ubi ait: *Juxtà Fidem defuncti ſunt omnes iſti:* & paulò poſt: *Fide Moyſes grandis effectus, &c.* Et etiam conſtat loqui de remuneratione ſupernaturali.

Ob. 3. Homo educatus in ſylvis, vel apud barbaras nationes qui nihil unquam audivit de Fide, nec audire potuit, ac proinde eſt infidelis negativè, ſi ſequatur ductum rationis in proſequutione boni, & fuga mali (idem dicendum eſt de puero perveniente ad uſum rationis, & ſe convertente in Deum, ut auctorem naturæ) juſtificabitur, & ſalvabitur, ut docet S. Th. *q.* 14. *de veritate art.* 11. *ad* 1. ergo in aliquo caſu Fdes non requiritur ad juſtificationem, & ſalutem.

Reſp. ex eodem D. Th. *in* 3. *ſent. diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. *&* *diſt.* 42. *q.* 1. *ar.* 5. *ad* 7. quòd in tali caſu Deus, vel per Angelum, vel per internam illuſtrationem, vel mittens ei aliquem Prædicatorem, inſtrueret de myſteriis Fidei: ſicut miſit Philippum ad Eunuchum Reginæ Candacis. *Act.* 8. Et colligitur ex Dioniſ. *cap.* 9. *Cæl. Hier.* cit. à D. Th. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3. ubi ait, multos gentilium fuiſſe aſſequutos ſalutem per miniſterium Angelorum. Et colligi poteſt ex D. Aug. *lib.* 4. *ad Simplic. q.* 2. ubi dicit Cornelium, antequam de Fide Chriſti doceretur à Petro, jam juſtificatum fuiſſe, & inſtructum de Fide Dei, modis quibuſdam latentibus.

Nec valet, quod dicit Vega, hunc modum eſſe miraculoſum, ac proindè ad eum non eſſe recurrendum. Non, inquam, valet; nam licèt poſſit dici extraordinarius; non tamen miraculoſus, ut ait Gonet: quia eſt connaturalis ſtatui Gratiæ, & pertinet ad univerſalem Dei Providentiam, ut eſt Auctor Gratiæ: quod pluribus confirmat Bannes.

10 Pro alia parte aſſerente, ſufficere Fidem ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo, ad juſtificationem, poſſunt objici aliqua Scripturæ loca, in quibus probatur aliquorum Fides ex teſtimonio creaturarum; nam Apoſt. *ad Rom.* 10. concludit. *Quomodo autem audient ſine prædicante?* Ubi ad Prædicato-

catorem reducit Fidem. Petrus *Act.* 1. ait: *Oportet ex viris, qui nobiscum sunt congregati, &c. Testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Joan. 1. dicitur de Joanne Baptista: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Item Joan. 4. *Multi Samaritanorum crediderunt in Christum propter verba mulieris.* Et plura alia hujusmodi reperiuntur in S. Scriptura: quę probant, Fidem, ordinariè, ex testimonio creaturarum.

Resp. Tàm ad hęc, quàm ad similia, quę adduci possent; ex iis, tantùm probari, quòd, ut in plurimum, & ordinariè loquendo (potest enim aliquis immediatè à Deo instrui) homines reducuntur ad Fidem per Prędicatores, qui se habent, tanquam conditio, ut ipsis mediantibus, ea quę sunt Fidei explicentur, & proponantur: sicut etiam Ecclesiæ propositio de credendis se habet, ut medium infallibile: non verò se habent, ut motivum formale credendi, itaut credatur propter hujusmodi dictum; sed debet credi, quia sunt à Deo dicta, & revelata, tanquàm per motivum formale, & Deum revelasse creditur per ipsammet revelationem Divinam, non distinctam ab ea, per quam mysterium revelat; sed per ipsammet, qua revelat credenda, quæ exercitè seipsam revelat, ut optimè exponunt Commentatores D. Th. 2. 2. *q.* 1. *art.* 1. Unde Paulus *ad Thessalonic.* 2. gratias agit Deo sine intermissione, quoniam cum accepissent ab Apostolis verbum Dei, non acceperunt illud, ut verbum hominum, sed sicut verè est Verbum Dei, qui operatur in iis, qui crediderunt.



PROPOSITIO XXI.

Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat simul cum notitia solùm probabili revelationis: immò cum formidine qua quis formidat, nè non sit loquutus Deus.

HAnc Propositionem hìc posuimus, quia ex mox dictis, ejus impugnatio colligitur: nam ex eisdem authoritatibus, quibus probavimus ad justificationem necessariam esse Fidem supernaturalem, probatur, non posse esse utilem assensum illum, quo quis solùm habet notitiam probabilem Divinæ revelationis, vel formidet, nè non sit loquutus Deus: nam talis assensus, licèt foret supernaturalis ex parte objecti, seu rei creditæ, non tamen ex parte modi, seu rationis formalis credendi, ac proinde non esset adequatè Fides supernaturalis, nec Fides Divina, & Theologica, quæ debet esse undequaque, tàm ex parte objecti, quàm ex parte rationis formalis sub qua Divina, & de qua Scriptura asserit, esse ad salutem necessariam.

Tum etiam ratione ibi adducta, quia, scilicet, voluntas non potest elicere actus efficaces Spei, & Charitatis, ut justificetur, nisi præsupponatur objectum certò cognitum: Deus autem non cognoscitur per Fidem, nisi mediante revelatione, quę est ratio formalis sub qua, proxima: unde si dubium, vel probabilitas, non verò certitudo adsit Divinę revelationis, nullatenùs objecto revelato, sine formidine assentiri potest.

Conf. Certitudo Fidei non desumitur ab evidentia objecti convincentis Intellectum; cum sit inevidens, & obscurum; sed ex veracitate dicentis; non quia ille verax dicere potuit; sed quia verax dixit; ut etiam patet in Fide humana; nam quantùmcumque sciamus aliquem esse Fide dignum; si non constet talem Fide dignum dixisse, dubium remanet de veritate dicti: unde proxima resolutio Fidei fit in revelationem, & ipsa est fundamentum firmitatis ex parte credentis. Quare si de hoc probabilis notitia tantùm, vel etiam formido habeatur, certitudo, & fir-

& firmitas Fidei fluctuat; sicut imbecille est ædificium supra debile fundamentum ædificatum.

PROPOSITIO XXII.

Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii ad salutem, non autem explicita Remuneratoris.

1 NOtandum est, Fidem de aliquo mysterio, aliam esse explicitam, aliam implicitam. Fides explicita est, quando directè terminatur ad illud mysterium, putà, quis credit Deum, ut Trinum. Fides implicita est, quando non directè terminatur ad illud, sed ad aliud, in quo implicitè continetur: ut ex.gr. in hoc, quòd Deus sit Remunerator implicitè continetur Fides Christi, quo mediante præmia æterna acquirimus. Adverte tamen differentiam inter Fidem implicitam & Fidem in confuso: nam Fides implicita, non expresè terminatur ad aliquod mysterium. Fides verò in confuso alicuju mysterii expresè terminatur ad illud, non ad aliud, in quo continetur, sed tamen non cognoscitur distinctè: ut ex.gr. in veteri lege apud Doctores habebatur Fides Christi venturi, & & humanum genus reparaturi, non tamen dignitas personæ ejus, & modus, quo esset ipsum reparaturus.

Hoc notato: rectè progredimur post probatam jam Fidei supernaturalis necessitatem, ad explicandum, de quibus mysteriis sit necessaria Fides, sivè implicita, sivè explicita, necessitate medii, tàm tempore legis naturæ, quàm scriptę, quàm euangelicæ, & aliquid etiam transeunter attingemus de necessitate præcepti, antequam ad impugnationem deveniamus.

2 Præmitto 1. Falsam esse aliquorum sententiam asserentium, necessitate præcepti sufficere hoc tempore legis gratiæ credere totum id, quod credit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, absque eo quòd, aliquid explicitè credatur de articulis Fidei; quam novissimè tenuit Emanuel Sà, verbo Fides, qui, ait, olim hanc sententiam improbasse, nunc non ausim, quam

benigniorem vocat Tambur. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. §. 1. *n.* 4. Falsa, inquam est, opponitur namque communi Theologorum consensui, & SS. PP. doctrinę, ut infrà patebit. Insuper in Direct. Inquisitorum 2. *p. q.* 10. refertur Gregorium XI post Concilium pluriès habitum per Magistros, coram duobus Cardinalibus, Avenione in Palatio Apost. mandasse per suas patentes litteras Iuquisitori Aragonię & Catalonię Fratri Nicolao Eymerico Ord. Prędic. ut libellum quendam, & ejus articulos, ut hęreticales, & verè erroneos, simul cum Archiep. Tarraconensi, publicè condemnaret. Octavus autem erat hic: *Laicus non tenetur ad aliquem Fidei articulum explicitè credendum; sed sufficit sibi ista conclusio in genere, quòd credat omne illud, quod credit Sancta Mater Ecclesia Dei: & ideò, quòd si Laicus teneat, vel credat oppositum alicujus articuli, ex ignorantia, vel tentatione Diaboli, non peccat.* Videat quam opinionem, benignam appellavit Tambur. quam non audet impugnare Emanuel Sà.

3 Præmitto 2. ex S. Th. 2. *q.* 2. *art.* 5. Omnes fideles in lege gratiæ, teneri sub præcepto ad credendum omnes articulos Fidei positos in symbolo, explicitè: & implicitè totum id, quod continetur in S. Scriptura, cujus rationem assignat. Nam, determinatio virtuosi actus ad proprium, & per se objectum virtutis, est sub necessitate præcepti, sicut, & ipse virtutis actus: actus namque ad objectum dicit relationem: respectu verò eorum, quæ accidentaliter, & secundariò se habent ad objectum virtutis, non est sub præcepto determinatio virtuosi actus, nisi pro loco, & tempore; sed objectum proprium, & per se Fidei est id, per quod homo Beatus efficitur, sivè tanquàm per objectum beatificans, cujusmodi sunt articuli pertinentes ad Divinitatem; sivè tanquàm per medium, quo perducitur ad Beatitudinem, cujusmodi sunt articuli pertinentes ad humanitatem Christi: cætera verò, quæ gesta narrantur in S. Scriptura, accidentaliter se habent ad objectum primarium: ergo de necessitate præcepti, tenentur fideles credere articulo Fidei, qui sunt illi in Symbolo contenti; implicitè verò, & in præparatione animi cætera, quæ continentur in S. Scriptura.

Insuper probatur ex illo Athan. in symbolo: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem,*

quam

quam nisi quisque, *&c.* & deindè subdit: *Fides autem catholica hæc est &c.* Ubi ponit omnes articulos Fidei. Et confirmatur ex eo, quòd Apost. *ad Hebr.* 5. vocat articulos Fidei, elementa exordii sermonis Dei: sed turpissimum est in omni Republica ignorare ea, quæ sunt prima rudimenta: ergo & in Republica Christiana non debent ignorari ea, quæ sunt prima rudimenta: & consequenter omnes discipuli Christi tenentur ea credere.

De singulis autem in particulari probat fusè Bann. 2. 2. *q.* 2. *dub.* 2. ubi etiam probat præter pręceptum Divinum, extare pręceptum Ecclesiasticum: ut constat ex *cap. Pluribus de consecr. dist.* 4. & ex Conc. Laodic. & Brachar. quorum testimonia citantur *in cap. Ante viginti dies*, *& cap. Baptizati*, *& cap. Non liceat*. Et insuper in Cathechismo Rom. jussu Pii V. edito: ad hoc ut Christi fideles instruantur de iis, quæ eos scire, profiteri, & servare oportet; ut patet ex Privil. Pont. Cathechismi initio inserto: primo loco traditur doctrina de articulis Fidei, ut continetur in Symb. Apost. deindè traditur doctrina de Sacramentis: postremò de pręceptis Decal. & Oratione Dominicali.

4 Præmitto tertiò ex D. Th. *loco cit. art.* 6. Majores, cujusmodi sunt Episcopi, Parochi, Confessarii, Pręedicatores & alii, teneri habere pleniorem notitiam de credendis, & cum majori explicatione, quàm minores; quia ad ipsos pertinet alios instruere. Unde communiter docetur à Scholasticis, & Summistis. Expresse habetur *in tit. de ętate, & ordine præficiendorum*. Et apud Grat. *dist.* 23. *&* 38. in quibus locis colliguntur plura testimonia S. S. & Conciliorum.

Ex his sequitur in peccato mortali versari fideles, articulos Fidei ignorantes; nisi ob ignorantiam invincibilem excusentur: hæc autem raro admitti potest, præcipuè de illis mysteriis, quę solemniter celebrantur. Et maximè, quia saltem tenentur inquirere, & interrogare suos majores, ut ab ipsis doceantur: magis autem peccant ii, ad quos pertinet eos instruere.

Nec obstat huic corollario, & etiam supradictis id, quod ait S. Th. *in* 3. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. non esse de necessitate salutis, ut homo explicitè omnes articulos Fidei cognoscat; quia sine aliquorum explicatione, potest homo habere rectam intentionem in finem.

Non, inquam, obſtat; quia loquitur de neceſſitate medii, non de neceſſitate præcepti; conſtabit autem infrà non omnium articulorum Fidei notitiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem.

5 Quæres hìc: an teneantur fideles memoriter retinere omnes articulos Fidei?

Reſp. quòd ſi ſermo ſit de art. Fidei, quò ad ſubſtantiam, tenetur ſub præcepto peccati mortalis illos memoriter retinere: ut ſcilicèt, interrogati ſaltem ſciant reſpondere: quò ad ordinem verò, quo ponuntur in Symbolo, & ſingula verba, ſub peccato veniali.

Prima pars magis patebit infrà num. 12. & ratio eſt; quia facilè peccat in legem, qui legis non recordatur: in his autem peccare eſt à recto tramite deviare. Tum etiam; quia, qui memoriæ non retinet, perindè eſt, ac ſi eos ignoret: ac proindè eodem modo ſe habet pro tunc, ac ille, qui numquam ſcivit: & eſt ejuſdem conditionis, ac ille, de quo dicemus infrà n. 13. unde poteſt probari aſſertio eiſdem rationibus adductis num. 3.

Secunda pars patet ex Conc. Forojulienſi ſub Carolo, & Pipino; ubi præter prçceptum de retinendis memoriæ articulis Fidei, prçcipitur, ut ſciatur memoriter ſymbolum, & Oratio Dominica. Idem habetur in Conc. Moguntiaco ſub Leone III. & Carolo Magno. Buchardus de hac re refert duo Decreta, *lib.* 2. *Decret. cap.* 62. & 63. Idemque docet D. Aug. *lib* 1. *de Symb. ad Cathecumenos cap.* 1. Ex quibus omnibus liquet, quòd licèt intentum ſit de articulis Fidei ſciendis, quò ad ſubſtantiam: adminùs, quò ad ordinem, erit præceptum obligans ſub veniali: quamquàm pro Sacerdotibus, & aliis Eccleſiaſticis putem eſſe præceptum obligans ſub mortali: niſi, non acceptatio, excuſet: dicitur enim pro ipſis in Conc. Forojul. *Ita ut ne unus quidem apex intermittatur, vel augeatur, diſtinctè, & ſenſatim diſcendo, memoria retinere*. Ex quo patet vim præcepti, ſpecialiter ad modum tendere His præmiſſis.

6 Dico primò. In omni ſtatu, etiam legis naturæ, ſaltem neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem Fides explicita unius Dei Auctoris ſupernaturalis, & Remuneratoris, remuneratione ſupernaturali. Eſt S. Th. pluribus in locis, ut conſtabit, & com-

communis Thomistarum: est tamen contra Arriagam *disp.* 12. *sect.* 5.

Probatur ex illo Apost. *ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator est.* Ubi loquitur de Fide supernaturali, ut vidimus Propos. 23. suprà impugnata; & insuper patet ex contextu; immediatè enim ante protulerat: *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Ubi ex connexione sermonis, & quia protulit sequentia verba ad probandum præcedentia, hoc innuente particula (enim) inquit namque: *Accedentem enim ad Deum, &c.* Apparet eandem necessitatem astruere respectu Fidei absolutè, & respectu illorum duorum, quæ deindè enumerat.

Probatur etiam ratione adducta à S. Th. super ipsum locum Apost. Qui accedit ad Deum per Fidem, quæ est lumen Intellectus, oportet, ut duo intendat, scilicèt, certum terminum, & certam causam, ut etiam apparet in motu naturali; ubi mobile duo intendit, nè motus sit frustrà, scilicet, certum terminum, & causam, quare moveatur: sed terminus est ipse Deus, & causa, propter quam movetur est merces, seù remuneratio, quæ speratur ab ipso, juxtà quod ajebat Psaltes: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem.* Ergo, & fidelis non solùm debet credere Deum esse, sed etiam Remuneratorem esse. Nec sufficit implicitè credere remuneratorem esse, quia causa finalis movens debet explicitè cognosci.

Confirmatur. Fides saltem implicita Christi, ut mediatoris, omni tempore fuit necessaria ad salutem, ut probabimus conclusione sequenti; sed hęc Fides implicita nequit in alio contineri explicito, nisi in hoc, quòd Deus sit Salvator, & remunerator: ergo omni tempore fuit necessarium necessitate medii, credere explicitè, Deum esse remuneratorem.

7 Dico secundò. In omni statu, etiàm legis naturæ, fuit necessaria post Adæ peccatum Fides implicita Christi necessitate medii, tàm ad justificationem, quàm ad æternam salutem.

Conveniunt Doctores in hoc, quòd fuerit semper necessaria Fides Christi mediatoris post Adæ peccatum, necessitate medii. Colligitur ex illo *ad Gal.* 2. ubi dicitur: *Non justificatur homo, nisi per Fidem Christi:* quod intelligunt SS. PP. de

omni homine, & omni tempore post peccatum. Et *Apoc.* 13. Christus appellatur agnus occisus ab origine mundi; quia propter merita Christi salvi fiebant olim homines, quæ merita non applicantur hominibus, nisi per Fidem. Et omissis aliis S. Scripturæ locis, & egregius est locus ille *ad Rom.* 3. ubi dicitur: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei* idest ut Deus velit glorificari in salute hominum. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit propitiatorem per Fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum*. Unde D. Aug. *epist.* 157. sic ait: *Illa Fides sana est, qua credimus nullum hominem liberari à contagione mortis: nisi per unum mediatorem Dei, & hominum, Jesum Christum, cujus hominis ejusdem Dei saluberrima Fide, etiam illi justi salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum; eadem enim est Fides illorum, & nostra*.

Difficultas tamen est: an ante adventum Christi suffecisset ipsius Fides implicita. Et aliqui, inter quos est Lorca, asserunt fuisse necessariam Fidem explicitam, & præsertim ob adductam authoritatem D. Aug. At S. Aug. rectè explicatur de Fide implicita, ut ipsemet se explicat *lib.* 19. *contrà Faustum cap.* 14. Vel dici potest cum Hugone à S. Victore, relato à Gonet, illum loqui de expressa revelatione facta corpori Ecclesiæ, in lege naturę, vel scripta: non verò de revelatione singulis personis facta. Unde, sufficiebat pro illo statu, ut Majores explicitam Christi Fidem haberent: Minores verò implicitam: in quo sensu etiam explicandus est S. Th. ajens, omni tempore oportuisse credi aliquo modo explicitè mysterium Incarnationis (ut etiam ipse se explicat) scilicèt tempore legis naturæ, & scriptæ à Majoribus, sivè Doctoribus; non verò à rudioribus. Unde 2.2.*q.*2.*ar.* 6. *ad* 3. ait: *Si qui tamen salvati fuerint; quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque Fide Mediatoris; quia, etsi non habuerunt Fidem explicitam, habuerunt tamem implicitam in Divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundùm modos sibi placitos*.

Probari potest etiam ex eo; quia hæc explicita cognitio, non est ex natura rei necessaria ad salutem; cum ad hanc sufficiat conversio in Deum, ut finem ultimum supernaturalem; quod

quod fit per Charitatem, ad quod sufficit cognitio ipsius Dei & remunerationis supernaturalis, ut suprà probavi. Nec requiritur Fides explicita Christi; licèt enim Fides Christi dilectionem præcipuè inflammet; absque ipsa tamen cum supradicta cognitione sufficienter potest flamma Charitatis accendi, ac perseverare. Neque hęc Fides explicita est necessaria ex institutione Divina, cum hoc non constet; neque ex traditione, neque ex Scriptura: quia ad Deum pertinuisset ubique prędicari, & tamen non ita factum est: immò etiam ex Judęis pauci Messiam, ut futurum Redemptorem, & Salvatorem expectabant: ergo ex nullo capite colligitur pro tunc tempore necessitas hujusmodi Fidei explicitę.

8 Dico 3. Post Christi adventum, & Euangelii promulgationem Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis, tàm ad justificationem, quàm ad ęternam salutem obtinendam necessaria est necessitate medii. Hæc conclusio est contra Suar. & De Lugo, ut citat Gonet *in man.to.* 5. Est etiam contra Castr. *to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 1. *par.* 11. *n.* 5. & 7. qui ait: mysteria necessitate medii credenda, sufficere implicitè credere, credendo Deum potentem remittere peccata, gratiam, gloriamque dare. Et contra alios cit. à Diana *par.* 3 *tr.* 5. *resol.* 46. inter quos Sotus, quem ipse citat. *in* 4. *dist.* 5. *qu. unica ar.* 2. *concl.* 5. castigatiùs loquitur, ut patet in solut. ad 1. loquitur enim de illis Regionibus, in quibus nullatenus est Euãgelium promulgatum: qui censeri possunt, ac ii, qui fuerunt ante Euangelii promulgationem. Est etiam contra Magistros Ban. & Cano, asserentes prędictam Fidem explicitam, non esse necessariam necessitate medii ad justificationem, benè tamen ad vitam ęternam consequendam: quam opinionem fusè, & efficacissimè impugnat Sot. *loc. cit.* in dubit. quam excitat post 3. concl.

Colligitur tamen expresse ex D. Th. loco nuper. cit. *art.* 7. & 8. & *in* 3. *sent. dist.* 25. *q.* 2. *ar.* 2. *quæstiunc.* 2. ubi postquàm distinxit triplicem statum: loquendo de statu post adventum Christi, & prędicatum Euangelium, sic ait; *In tertio autem statu post adventum Christi, quia jam mysterium Incarnationis impletum est, & corporaliter, & visibiliter, & prædicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum, & si aliquis instructorem non haberet; Deus ei revelaret; nisi ex sua culpa remaneret.*

Nec

Nec valet dicere D. Th. loqui de necessitate præcepti. Non, inquam, valet. Primò quia D. Th. loquitur de illa necessitate, de qua loquutus fuerat in duobus prioribus statibus: nec conveniens fuisset divertere sermonem à necessitate medii, ad necessitatem præcepti; sed in prioribus sermo est de necessitate medii: solùm enim numerat necessaria hujus generis: unde pro secundo statu ante adventum Christi, solùm Fidem implicitam pro minoribus astruit: ergo, & de necessitate medii loquitur in tertio statu.

Secundò, quia dum subdit: *Et si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret*; satis ostendit, loqui de necessitate medii; quod patet ex eo, quia si solùm necessitate præcepti esset necessaria Fides explicita Christi, non oporteret Deum revelare ei, qui non habet instructorem; quia sine his (si invincibiliter ignoretur) potest homo justificari, & salvari: ergo D. Th. supponit, ita necessariam illam Fidem explicitam, ut sine ipsa salvari nequeat homo; adeoque, Deum revelare oportere ignoranti, & instructorem non habenti (qui propterea invincibiliter ignoraret) nisi ex sua culpa remaneret. Tùm etiam: quia respectu eorum, quæ non sunt necessaria necessitate medii, non desiderat S. D. dari debere instructorem, ut patet ex eo, quod ait *loco cit.* 2. 2. *art.* 7. *ad* 3. ubi ex eo, quòd ante adventum Christi sufficiebat Fides implicita, non exposcit revelationem à Deo iis, qui explicitam Fidem non habebant: ergo si pro hoc statu id exposcit; signum est Fidem explicitam Christi esse necessariam necessitate medii. Tùm denique patet ex diverso modo loquendi, tàm in titulo, quàm in corpore *art.* 5. ubi loquitur de necessitate præcepti, & *art.* 7. & 8. ubi loquitur de necessitate medii.

Potest etiam probari quò ad Incarnationem, authoritatibus S. Scripturæ. Et primò ex illo Joann. 3. ubi dicitur: *Qui non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine Unigeniti filii Dei.* Qui locus, licèt possit explicari de necessitate præcepti: tamen convenientiùs explicatur de necessitate medii. Secundò ex illo Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ex quo loco probavimus suprà Fidem esse necessariam necessitate me-

te medii. Quid autem crediderit, aut non crediderit, nisi Euangelium? de quo præmissum fuerat: *Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quid verò aliud est Euangelium Christi, nisi Fides explicita Christi?

Patet etiam ex Trid. *sess.* 4. *decr.* 1. ubi decernitur sine Fide nostra catholica impossibile esse placere Deo; qui modus loquendi satis indicat necessitatem medii; sunt enim eadem verba Apostoli supra relata, quæ omnes explicant de necessitate medii. Quænam autem est Fides nostra catholica, nisi illa, de qua dicit Athan. *Fides autem catholica hæc est*: ubi Trinitatis mysterium, & Incarnationis explicitè traditur.

Secundò probari potest ex hoc, quòd sequeretur Judæum posse his temporibus cum lege Mosaica salvari. Quod est contra Conc. Flor. *sess. ult. in Decreto unionis*. Seq. probatur, quia dari potest Judæus, vel puer, vel rudis, invincibiliter ignorans Fidem explicitam Christi: per legem autem veterem haberet Fidem implicitam ejusdem, ut Mediatoris, vel in Divina Providentia: ergo &c.

Probatur denique optima congruentia, quam affert D. Th. *loc. cit. art.* 7. In statu legis gratiæ debet haberi perfectior cognitio Christi, quàm in lege naturę, vel Mosaica, sed tunc erat necessaria necessitate medii Fides implicita Christi; ut probavi Conclus. præc. Ergo modò exigitur necessitate medii Fides explicita ejusdem. Major patet ex eo, quòd lex euangelica dicitur lex gratię revelatæ. Tùm etiam ratione D. Th. quia lex gratiæ, & perfectior ejus status videtur exigere, ut sicut in lege veteri, quò propinquior fuit Christo, explicatior de eo habita est cognitio, ita in ea, quæ est lex ipsius Christi, plenè explicita de eo habeatur cognitio, & sicut in ipsa velamen, quod positum est super caput Judæorum, sublatum dicitur ab Apost. *ad Gal.* 3. ita non jam implicitè, sed explicitè credatur Christus. Tùm etiam, quia nunc mysterium Incarnationis corporaliter, & visibiliter impletum est; tunc autem solùm sub figuris adumbratum; & nunc non est expectanda major explicatio, quò ad præcipua mysteria nostrę Fidei: ergo nunc perfectior debet esse Christi cognitio, quàm tunc. Et hoc indicavit Apost. *ad Gal.* 3. dicens: *Priùs autem quàm veniret Fides*, nempè, Euangelica,

sub

sub lege custodiebamur , conclusio in eam fidem , quæ revelanda erat; ergo sicut necessitate medii necessaria erat in lege veteri Fides velata, seu implicita Christi: ita nunc Fides revelata, seu explicita ejusdem.

9 Quantùm verò ad opinionem Bann. & Cano, sic impugnatur. Primò, quia Fides non est necessaria ad Visionem Beatificam, ut actualiter perseverans, immò, teste Apostolo, evacuabitur in Patria: unde necessaria est in via, ut dùm sumus in hac vita, per ipsam tendamus ad finem supernaturalem consequendum in Patria: possumus autem tendere ad illum finem, vel per primum actum Contritionis, Charitatis, Conversionis in Deum finem supernaturalem, quo justificamur; vel per actus sequentes, quibus justificati, actiones meritorias elicimus; sed non magis requiritur, ut semel justificati (supposito auxilio supernaturali) actiones meritorias elicimus, quàm ad eliciendum eas, quibus justificamur: ergo quod est necessarium ad unum istorum, est necessarium ad reliquum, & quod ad unum eorum non est necessarium, ad neutrum erit necessarium: ergo perperam assignatur illa distinctio.

Confirmatur. Licèt aliquid plus requiratur ad intensiores actus Charitatis, & majus meritum cumulandum: tamen ad perseverandum in sanctitate accepta (supposito Dei dono) non magis requiritur, quàm ad adipiscendam sanctitatem, & gratiam, qua justificamur (maximè ex parte Intellectus, ex parte cujus se tenet Fides) ergo illamet Fides, quæ sufficit ad justificationem, sufficit etiam ad æternam salutem consequendam. Patet consequentia; quia si quis post adeptam justificationem, in ea perseveraverit usque in finem, salvus erit. Et confirmatur, quia per gratiam sanctificantem homo fit hæres vitæ æternæ, & filius Dei: unde supposito, quòd ille justificatus statim moriatur absque Fide explicita Christi, non posset in horum sententia assignari locus, in quo deputabitur: non Paradisus; quia sine Fide explicita Christi, per ipsos, non potest ad vitam æternam pervenire: non Infernus, neque Purgatorii locus: cum supponamus decessisse in gratia, & sine reatu pœnæ.

Neque valet cum Bann. aſſerere impoſſibilitatem caſus, quia pertinet ad Divinam Providentiam, ut homo ille non moriatur, antequàm habeat Fidem explicitam. Non, inquam, hoc valet; quia voluntariè aſſeritur; & impoſſibilitas caſuum, tunc ſolùm debet admitti, quando ex poſitione caſus ſequitur aliquod inconveniens, quod aliter ſalvari non poteſt: quod tamen ſequitur ex aliqua ſententia, quam de Fide tenemus; ut quòd Prædeſtinatus non moriatur in peccato mortali; non enim eſt admittendus caſus. Attamen quando aliter ſalvari poteſt: vel inconveniens ſequitur ex ſententia aliqua non adeò certa, potiùs deſerenda eſt ſententia, quàm recurri ad impoſſibilitatem caſus.

Tùm denique ex illo Apoſt. *ad Rom.* 8. dicente: *Quos autem vocavit, hos, & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos, & glorificavit*. Ubi, ut idem Bann. advertit 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. *dub.* 1. *concluſ.* 1. innuitur neceſſarius ordo inter vocationem, quæ fit per Fidem, & juſtificationem; & inter juſtificationem, & æternam ſalutem: ergo hæc connexio exigit, ut juſtificatus glorificetur, nec juſtificato deneganda ſit gloria, nec aliquid aliud requiratur; niſi quòd ſit juſtificatus actualiter, ut ei pateat ingreſſus ad gloriam. Idem enim ordo debet ſervari pro negativo, ſcilicèt, ut non vocatus per Fidem non juſtificetur, & non juſtificatus non glorificetur; quem admittit Bann. ac pro poſitivo, ut ſcilicèt, juſtificetur vocatus, & juſtificatus glorificetur, qui eſt planior in verbis Apoſt.

Neque obſtat id, quod ait Bann. de Cornelio, qui juſtificatus eſt, antequàm haberet Fidem explicitam Chriſti, & deindè ad eum inſtruendum miſſus eſt Petrus. Non inquam obſtat; nam præter alias reſponſiones, quę optimè à pluribus adhibentur; reſpondetur cum D. Th. 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. *ad* 3. quòd juſtificatus eſt cum ſola Fide implicita; quia tunc non erat ſufficienter promulgatum Euangelium: undè Petrus ad eum miſſus eſt, ut pleniùs ille inſtrueretur in Fide. Sed dices quare mittitur Petrus, ut pleniùs eum inſtrueret, ſi Fides implicita tunc erat ſufficens ad juſtificationem, & cum fuerit jam juſtificatus, nec ad gloriam obtinendam erat neceſſaria Fides explicita? Nec poteſt dici fuiſſe neceſſariam Fidem explicitam neceſſitate pręcepti; cum non poſſet obligare lex non ſufficienter promulgata.

gata.

gata. Respondeo, ideò ad eum missum fuisse Petrum, ut plenius instrueret; quia postmodùm per Apostolos erat promulgandum Euangelium, & incæpisset obligare; immò esse necessariam necessitate medii Fidem explicitam: at si Cornelius ante hanc promulgationem decessisset absque Fide explicita, salvus fuisset. Vide Sot. loco cit.

10 Quò ad mysterium Trinitatis, probatur ratione S. Th. *loco cit. art.* 8. Mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine Fide Trinitatis; quia in mysterio Incarnationis continetur, quòd filius Dei carnem assumpsit; quòd per gratiam Spiritus Sancti mundum renovavit, & quòd de Spiritu Sancto conceptus fuerit: & ideò, eodem modo, quo ante adventum Christi, mysterium Incarnationis fuit explicitè creditum à Majoribus, implicitè autem, & quasi adumbratè à minoribus: ita etiam mysterium Trinitatis. Ergo nunc tempore gratiæ divulgatæ, sicut est necessaria Fides explicita Christi apud omnes; ita etiam apud omnes necessaria est Fides explicita Trinitatis: quapropter Christus *Marci ult.* dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.* Est tamen advertendum ex D. Th. *loco sæpè cit. art. 6. ad* 2. Simplices non esse examinandos de subtilitatibus Fidei: unde benè Gonet in manuali *tom.* 5. *tract.* 8 *cap.*7. *§.*2. *ad* 5. sufficere Adultis, ut apprehendant mysteria Incarnationis, & Trinitatis quò ad substantiam; nempè, quòd Divinum Verbum sit unitum humanitati: non verò an hæc unio sit facta in supposito, vel natura. Et similiter quòd sit unus Deus, & tres Personæ, quarum una vocatur Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: non verò quòd Filius sit Verbum, & procedat per cognitionem, & Spiritus Sanctus sit Amor, & procedat per voluntatem, &c. Hoc autem non est difficile, maximè ex auxilio supernaturali, quod Deus non denegat. Si autem dentur aliqui adeò rudes, ut neque, quò ad substantiã hæc mysteria apprehendere valeant; quod non est tam facilè admittendum, ut aliqui nimis laxè; sed solùm de aliquibus omninò stupidis, & fatuis; hi comparandi sunt pueris, & amentibus & sicut illi salvantur cum Baptismo, & in Fide parentum; ita & isti: & sic non coarctatur salus, nec Dei Misericordia restringitur: non enim debemus existimare

Deum

Deum exigere ab homine, plusquàm ejus conditio valet.

11 Dico ultimò: Fides explicita Christi, quæ est necessaria necessitate medii, debet esse de ejus Incarnatione, morte, & resurrectione. Ita communiter Thomistæ cum D. Th. loco cit. Ratio est; quia Incarnatio est initium, & fundamentum eorum, quę credi possunt de Christo: per mortem autem & resurrectionem ejus consumatur nostra salus, juxtà illud, quod dicitur ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter resurrectionem nostram*, & iterum ad Rom. 10. *Hoc est verbum Fidei, quod prædicamus; quia si confitearis ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris.*

12 Ex dictis colligitur primò falsitas Propositionis 64. qua dicitur; *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia invincibili mysteriorum Fidei: etiam si per negligentiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesus Christi.*

Falsa inquam est; quia per absolutionem confertur gratia; sed Fides horum mysteriorum, ut probavi, est necessaria necessitate medii ad justificationem; ac proindè, ut sit capax gratiæ, & indispensabiliter requiritur; hoc enim distat inter necessarium necessitate præcepti, & necessitate medii: ergò omninò est incapax absolutionis, qui laborat ignorantia (etiam si illa sit invincibilis) mysteriorum Fidei: inter hæc enim sunt ea, quæ sunt necessaria necessitate medii. Tùm etiam, quia sine Fide actuali impossibile est quemquam justificari, & esse capacem gratiæ, ut probavi Propos. præc. ignorans autem mysteria Fidei, nequit habere Fidem actualem: ergo &c. Tùm denique, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur actus pœnitentis, scilicèt, dolor de peccatis; qui licèt sit Attritio: tamen ut docet Trid. & communiter Doctores, & probabo Propos. 57. debet esse supernaturalis; sed actus supernaturales nequeunt elici à voluntate sine cognitione finis supernaturalis: ergo nequit elicere hujusmodi actus, qui laborat ignorantia mysteriorum Fidei, per quæ habetur cognitio supernaturalis: & certè quomodò consequetur absolutionis effectum, qui non credit Deum esse Justificatorem, & peccata remitti per merita Christi?

sti? Nesciens enim quid facit, & propter quid facit Confessionem, nonnisi videtur historiam narrare.

Quantùm verò attinet ad postrema verba, quibus dicitur. *Etiam si per negligentiam culpabilem &c.* major additur suprà falsitatem temeritas; dùm etiam negligentia culpabilis apponitur, quæ nullatenùs excusare potest à peccato. Unde præterquam quòd horum cognitio est necessaria necessitate medii, ut modò vidimus, ac proindè sine ipsa obtineri nequit Justificatio; etiam si tantùm necessaria esset necessitate præcepti, absolutionis incapax esset homo, qui per negligentiam culpabilem ea ignoraret: licèt enim præceptum credendi sit positivum, quod non ad semper obligat ad eliciendos actus Fidei; tamen obligat tunc, quando debet confiteri, saltem ratione præcepti Confessionis ritè faciendæ; & cum sit ob prærequisita ad Confessionem, non sufficit in posterùm emendationem proponere, & dolere de præterito; sed prærequiritur positio ipsius antecedenter; unde nequit absolvi, qui hac cognitione caret, sicut absolvendus non est, qui prævium dolorem non habet; licèt proponat in posterùm dolere.

13 Colligitur secundò falsitas Propos. 65. qua dicitur. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* Ubi primò adverte, in quo hęc differat ab illa posita num. 17. in ordine Propositionum, qua dicitur. *Satis est actum Fidei in vita elicere*, illa enim supponit scientiam, & actualem recordationem mysteriorum Fidei; sed negat necessitatem repetendi actus Fidei, & pluries illos eliciendi: hæc verò sensum facit, quòd satis sit semel credidisse; itaut etiàm si deindè mysteriorum Fidei oblitus fuerit, hoc sufficiat, quantùm ad effectum obtinendi absolutionem, sicut loquitur Propositio 64. Dupliciter autem potest intelligi, vel de sufficientia necessitate pręcepti requisita: vel necessitate medii. In priori sensu constat esse falsam ex dictis *Propos. 22. num.* 5. Ubi probavimus præceptum memoriter retinendi, quò ad substantiam mysteria Fidei. Nec debet Confessarius taliter oblitum absolvere, ob rationem num. præc. adductam. Unde Mag. Bann. 2. 2. *q.* 2. *dub.* 2. §. *Est aliud argumentum*, in fine sic ait. *Ex hoc quintò sequitur, quòd debent Confessarii ratione Sacramenti Pœnitentiæ interrogare pœnitentes, an sciant articulos Fidei;*

nisi

nisi probabiliter possit putari, quòd illos sciant: etsi invenirent pœnitentes ignorantes, tenentur illos docere explicitè, aut certè non audire confessionem eorum. Quòd si postquàm Confessor illos docuerit, adhuc pœnitentes rudes nihil percipiunt de doctrina, differatur absolutio, quando est ignorantia, maximè circa ea, quæ diximus citra opinionem esse necessaria ex præcepto, ut mysterium Trinitatis &c. Hinc in Diœcesi Messanensi, optimè, in facultate, quæ scripto datur Confessariis ad audiendas confessiones, apponitur inter cetera preceptum non absolvendi nescientes rudimenta Fidei.

14 Quantùm verò ad necessitatem medii, asserit Tambur. *in Meth. Confess. lib. 3. cap. 5. §. 1.* Sufficere semel illa credidisse; itaut per hoc sit capax absolutionis: sic enim ait: *Tria insuper hìc adverto. Primò in benè moratis, vel confiteri solitis, supponi posse semel hæc mysteria credidisse; semel inquam; nam ex necessitate medii semel sufficit.* Ubi loquitur de prerequisitis antequàm conferatur absolutio. Eadem verba repetit *lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 1. n. 3.* pro cujus impugnatione.

Suppono aliquid, quod est necessarium ad finem intermedium: ut medium, si est per se, & necessariò connexum cum illo, etiam erit necessarium ad ulteriorem finem, ad quem ordinatur finis intermedius, ut patet ex. gr. cum mihi degenti in Sicilia eundum esset Romam, qui esset finis ordinatus ad ulteriorem finem, videlicet, obtinendi causa aliquam dispensationem: tunc quia ad eundum Romam, est mihi necessarium mare transire; hoc erit etiam necessarium ad dispensationem obtinendam: & eodem modo necessitatis erit necessarium ad hoc ultimum, illud primum quo modo secundum est ad ultimum necessarium, cum enim illud sit per se connexum cum secundo, si hoc per se etiam connectitur cum ultimo, etiam illud primum per se, licèt mediatè, connectitur cum ultimo: secùs verò si secundum non per se connectitur cũ ultimo. Quo supposito.

15 Dico primò. Si loquamur in ordine ad confessionem ritè faciendam, ut homo sit capax absolutionis, non sufficit necessitate medii semel credidisse illa mysteria, quæ diximus esse necessaria necessitate medii ad justificationem sed necessitate medii requiritur mediantè illorum recordatio. Est directè contra Tambur.

Probatur: hæc recordatio eſt per ſe, & neceſſariò neceſſitate medii requiſita ad actum attritionis ſupernaturalis, vel contritionis eliciendum; ſed actus attritionis ſupernaturalis, vel contritionis, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed neceſſitate medii (non quidem ex natura rei, ſed ex inſtitutione Divina) requiritur ad confeſſionem ritè faciendam, ut homo ſit capax abſolutionis: ergo, & recordatio myſteriorum Fidei, eodem modo, ſcilicet, neceſſitate medii erit neceſſaria &c. Major, pręterquam conſtat ex pluribus ſupradictis, tàm in præſenti, quàm in pręc. Propoſ. adhùc probatur. Ad hoc, ut aliquis actualiter ordinet ſuos actus in finem, debet neceſſariò actu cogitare de fine, propter quem actualiter operatur; ſed actus attritionis ſupernaturalis, vel contritionis, actu elicitus, actualiter debet eſſe ordinatus in finem ſupernaturalem: ergo actu eliciens talem actum, actualiter debet cogitare de fine ſupernaturali; quod non poteſt fieri ſine actuali recordatione aliquorum, ſaltem myſteriorum Fidei. Major hujus ſyllogiſmi docetur à Theologis *p.* 2. *q.* 1. Hoc enim eſt diſcrimen inter operantem propter finem actualiter, & operantem propter illum virtualiter, vel interpretativè. Minor conſtat ex ratione ipſius attritionis, quæ debet eſſe dolor de peccatis propter aliquod motivum ſupernaturale explicitum, quod includit actualem ordinem in Deum finem ſupernaturalem; vel punientem gehenna, vel præmiantem Beatitudine &c. Contritio verò in ipſum Deum finem ſupernaturalem immediatè refertur, & ad ipſum explicitè terminatur. Minor primi diſcurſus eſt nota; quia materia Sacramentorum à Chriſto inſtituta eſt indiſpenſabiliter, & neceſſitate medii neceſſaria ad conficiendum Sacramentum: materia autem proxima Sacramenti Pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, ſcilicèt, dolor de peccatis, qui debet eſſe, vel attritio ſupernaturalis, vel contritio.

Nec valet, ſi dicas: Sufficere ad attritionem, ut cognitio finis præceſſerit, non autem ut actu, quis illius recordetur.

Non, inquam, valet; tùm propter rationem adductam; quia iſte actus debet eſſe actualiter, non interpretativè ordinatus in finem ſupernaturalem. Tum etiam, quia tunc ſufficit, quòd præceſſerit cognitio finis; & actus interpretativè ordinantur

ad il-

ad illum; etiam si non cogitetur de illo: quando prima intentio finis virtualiter durat in sequentibus actibus, & nunquàm fuit interrupta per contrarium actum; tunc enim non ampliùs perseverat virtualiter prima intentio finis; sed in casu posito de accedente ad Confessionem cum peccato mortali, non potest perseverare prima intentio finis, quo conversus est in Deum, quando illa mysteria credidit: fuit enim interrupta per actum peccati, quo aversus est à Deo: ergo neque interpretativè potest elicere actus, qui virtute illius primæ intentionis ordinentur in finem supernaturalem. Tum denique, quia licèt non requiratur actualis cogitatio de fine, ut virtualiter quis agat propter finem; tamen oblivio finis interrumpit virtualem influxum in actus subsequentes; cum non possit influere id, quod ad minùs prestò non est memoriæ, ut possit quis recordari propter quem finem agit.

Nec valet, si dicas: Cognitionem finis non interrumpi per actus oppositos aliis virtutibus, sicuti est, cum quis peccat contra alias virtutes, & non contra Fidem. Non inquam valet; quia satis interrumpitur per oblivionem, quæ ei opponitur privativè, sicut ignorantia; est enim species ignorantiæ, licèt non interrumpatur per actum positivè oppositum, cujusmodi esset infidelitas positiva: & ex alio capite, nec virtualiter remanet in actibus sequentibus ordinatis ad finem; cum isti per aversionem à fine fuerint interrupti. Et in hoc duplici capite fundatur ratio: nempè, quòd ad actus sequentes eliciendos ab eo, qui peccavit, non sufficit prima cognitio; quia hæc, nec in se perseverat ratione oblivionis; neque in suis effectibus; cum sint jam interrupti per contrarios actus: admisso quòd sufficeret virtualiter agere propter finem.

16 Dico secundò. Respectu Justi, qui nunquam peccavit, sufficit necessitate medii, illa mysteria semel credidisse, ad vitam æternam consequendam; non tamen necessitate pręcepti.

Probatur: Justus non tenetur necessitate medii elicere actus Charitatis, Contritionis, vel accedere ad Sacramentum Pœnitentię, sed tantùm necessitate pręcepti: sed id, quod est necessarium ad eliciendos hos actus, eodem modo est necessarium ad ulteriorem finem, ad quem ipsi ordinantur, sicut & ipsi

H 2 actus:

actus: ergo non est necessarium necessitate medii; sed necessitate præcepti: atqui cognitio mysteriorum Fidei est necessaria ad vitam æternam consequendam, & qui semel illa credidit, propter eliciendos illos actus, & similes (nota ly *propter*, non enim ajo: obligare non per se, sed ipsum præceptum speciale fidei ordinatur, tanquam medium ad actus aliarum virtutum supernaturalium) ergo non est necessaria necessitate medii ad vitam æternam consequendam respectu hominis justificati; sed solùm necessitate præcepti. Major patet; quia semel justificatus non indiget illis actibus, ut justificetur, dùm perseverat in adepta justitia, ad quod necessitate medii requirerentur; sed solùm propter implenda præcepta, quæ ad illos eliciendos obligant. Minor constat ex dictis in notabili posito n. 14. & Consequentia sequitur. Minor subsumpta est nota, quia semel justificatus, qui semel credidit illa mysteria, & perseverat in adepta gratia, jam virtute illius primi actus remanet virtualiter ordinatus ad finem supernaturalem, quod sufficit necessitate medii ad vitam æternam consequendam, & ut virtualiter tendat ad finem supernaturalem, & propter illum agat. Unde solùm est ei necessaria cognitio mysteriorum Fidei propter implendum præceptum eliciendi actus Fidei; tùm speciale, & secundùm se, tùm propter implenda præcepta aliarum Virtutum, quarum actus nequeunt sine cognitione expressa misteriorum Fidei elici: & consequenter solùm necessitate præcepti.

Hinc sequitur, quòd si hujusmodi Justus inculpabiliter oblivisceretur mysteriorum Fidei; vel ob aliquam infirmitatem eum omninò stupidum reddentem, vel ob amentiam: non ideò à consequutione vitæ æternæ excluderetur: Si verò culpabiliter ea obliviscitur; tunc quia peccat contra præceptum de memoriter retinendis illis mysteriis: & jam non perseverat in gratia jam adepta, erit necessaria necessitate medii illorum recordatio, ut se justificet, vel per actum Contritionis; vel per Sacramentum Pœnitentiæ: & quia justificatio est ei necessaria necessitate medii ad vitam æternam consequendam; etiam mediatè, ad vitam æternam consequendam erit ei necessaria necessitate medii illorum recordatio.

PRO-

PROPOSITIO XVIII.

Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.

1 EXterior Fidei confessio ab habitu Fidei elicitivè procedit; licèt ab aliis virtutibus imperari possit, ut colligitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. *in corpore*, ubi ait. *Sicut conceptus interior eorum, quæ sunt Fidei, est propriè Fidei actus; ita, & exterior Confessio*. Et expressiùs idem docet ad 3. dum inquit: *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum, mediantibus aliis virtutibus, imperando non eliciendo, sed confessionem producit, tamquam proprium actum, nulla alia virtute mediante*. Unde 2. *ad Cor.* 4. dicit Apost. *Habentes eundem spiritum Fidei credimus, propter quod & loquimur*. Per quod innuitur ad finem Fidei ordinari externam confessionem; sed actus elicitur per se ab illa virtute, ad cujus finem ordinatur, ut patet in jejunio, qui est actus abstinentiæ, quia ad macerationem carnis, qui est finis abstinentiæ tendit: & aliis exemplis potest ostendi: ergo actus Fidei elicitur ab ipsa Fide. Unde Chrysostomus *hom.* 25. *super Matt.* ait: *Radix confessionis Fides est cordis: confessio autem fructus est Fidei*: Et Glos. super illud 2. ad Thessal. 1. *Et opus Fidei in virtute*, ait: *Idest in Confessione, quæ propriè est opus Fidei*. Videantur Commentatores D. Th. loco cit.

2 Duplex præceptum externę Confessionis Fidei agnoscunt Theologi; alterum positivum de Fide exteriùs profitenda: quod colligitur ex illo ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem*, quæ autem sunt necessaria ad salutem cadunt sub præcepto Divinæ legis. Aliud negativum de fide exteriùs non neganda. Quod colligitur, tùm in prædicto loco, quia præceptum affirmativum includit negativum de actu contrario. Tùm ex illo Christi *Matt.* 10. ubi ait: *Omnis ergo, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo*

& eum coram Patre meo. Ex quo patet falsitas quorundam hæreticorum, qui vocabantur Elchesaitæ, asserentium, quòd si quis voce tenùs negaret Christum in persequutione, & cruciatibus; dùm tamen corde eum confiteretur, non peccaret. Quo deterius fuit illud Priscillianistarum, ut refert D. Aug. *lib. contrà mendacium cap.* 3. asserentium: etiam citrà persequutionem licere conversanti cum homine alterius sectæ fingere, & simulare, & verbo affirmare, se ad illam sectam pertinere. Patet inquam falsitas, quia præceptum negativum obligat semper, & ad semper, & in nullo casu licet contra præceptum negativum operari: Unde, nec licet veram religionem dissimulare; nec simulare falsam; quia omnis simulatio in re gravi, peccatum mortale est, solumque differt à mendacio; quia mentiens verbis significat, quod non est: simulans verò, idem factis, vel rebus designat.

Hinc comuniter Theologi asserunt, non licere uti signis infidelium; vel ut Fidem nostram occultemus; vel ut eorum sectam profiteri videamur, etiam ad evadendum mortis periculum, quandò illa signa ex natura sua, & primaria institutione ad quandam ceremoniam religiosam ordinantur, nec alium usum habent; ut thus adolere coràm Idolo; aut illi genuflectere; cænam Calvinisticam sumere; vestem, in qua depictum est Idolum gestare; & alia hujusmodi; hoc enim est virtualis idololatriæ, aut hæresis professio: licet verò eorum vestibus uti, quandò non sunt ex primaria institutione ordinatæ ad religionem profitendam; sed habent alium usum licitum, & humanum; quamvis lege aliqua politica sint destinata ad distinguendos fideles ab infidelibus, ut esset more Turcarum vestimenta gerere, & turbantem gestare; vel in Anglia anglicanis vestibus uti; quod etiam Sacerdotibus, & Religiosis occultis rectè permittitur. Ad rem igitur nostram devenientes.

3 Dicendum: Si à potestate publica quis interrogetur Fidem ingenuè confiteri, non solùm ex consilio, sed ex præcepto tenetur non tacere: undè sic tacens mortaliter peccat. Est contra utrumque Hurt. Palaum, Ovied. Lorc. & alios relatos à Leandro *p. 1. Decal. tr. 2. disp. 2. q. 8.*

Hanc conclusionem communiter docent Commentatores D. Th. loco.cit. & passim omnes Doctores: undè ob recessum à comu-

communi sententia, esset oppositum temeritatis nota inurendum. Colligunt eam ex D.T. qui docet quòd licèt pręcepta affirmativa non obligent ad semper, sed pro determinato tempore; subdit hæc verba. *Sic ergo confiteri Fidem non semper, nec in omni loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando, scilicèt, per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas Proximis impendenda: putà si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet Fidem; vel quòd Fides non esset vera; vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à Fide: in hujusmodi enim casibus Confessio Fidei est de necessitate salutis*. Ex quorum primo, scilicèt, ne Deo subtrahatur debitus honor, colligunt necessitatem confessionis Fidei, quando, quis interrogatur à publica potestate; in hoc enim casu maximè locum habet; nam cùm ille habeat auctoritatem interrogandi, & fidelis ei teneatur respondere: si taceat, non potest hoc tribui interrogationis parvipendio, quasi ejus interrogationi non teneatur satisfacere; sed potiùs crederetur ipsum erubescere Fidem, quam profitetur; & per hoc subtraheretur Deo debitus honor. Tum etiam, quia si hoc tempore non obligat præceptum confitendæ Fidei, vix superest tempus, quo obliget ex hoc capite. Unde S. Hieron. *cit. in c. Existimant* ait: Deum negare eum, qui in persequutione captus Deum confiteri renuit. Idem probat rationibus, & exemplis Chrysost *hom. 25. in Mat. &* D.Th. *ad Rom. 10. lect. 2.* Ubi expresè asserit obligare hoc præceptum, quandò exposcitur Fides alicujus à persequutore Fidei.

Probatur etiam authoritatibus S. Scripturæ. Et primò ex loco jam cit. *Matt.* 10. ubi dicitur. *Qui me confessus fuerit &c.* & deindè subditur: *Qui autem me negaverit:* quod, ut observat Bann. idem valet, ac si diceret: qui me non confessus fuerit; quia hoc, quod subditur est quasi contradictorium ejus, quod dictum est. *Qui me confessus fuerit*: sicut *Joann.* 20. dicitur: *Quorum remiseritis peccata &c.* & deindè dicitur: *& quorum retinueritis* quod idem est, ac si diceretur: quorum non remiseritis.

Secundò patet ex illo *Luc.* 9. ubi dicitur: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*. Erubescit autem Christum profectò, qui ab habente potestatem interrogatus, tacet Fidem Christi: ergo, si hunc

erubescet Filius hominis cum venerit in majestate sua (quod sanè nil aliud est, nisi condemnabit eum) mortaliter peccare certum est.

4 Ex his patet, quòd si quis à non habente publicam potestatem interrogaretur, non peccat si taceat, quia cum non teneatur huic respondere, taciturnitas non vergit contra honorem Dei, quia per eam non existimatur, quòd non habeat Fidem, vel quòd Fides non sit vera, sed quòd interrogationem illius parvipendat, & nihil curet de interrogantis auctoritate. Unde posset etiam respondere, quid ad te? quid tua interest? Et hæc eadem censetur tacendo respondisse: nisi fortè ex alio capite, quia, scilicet, subtraheretur Proximis impendenda utilitas, teneretur.

PROPOSITIO XIX.

Voluntas non potest facere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

1 Assensus Fidei circa duplex objectum ferri potest, vel circa objectum per se, vel circa objectum per accidens. Objectum per se Fidei est illud, quod ita pertinet ad Fidem, ut nonnisi lumine Fidei, & per Divinam revelationem cognosci possit, & hujusmodi sunt veritates ordinis supernaturalis, quæ ita necessariò petunt lumine Fidei cognosci, ut nequeant ratione naturali cognosci, nec demonstrativè probari, nec intueri. Et ratio est, quia veritates supernaturales omninò excedunt naturale lumen, nec habent cum effectibus naturalibus connexionem. Et hujusmodi sunt omnes articuli Fidei, qui per D. Th. pluribus in locis sunt indemonstrabiles, sæpè enim ex hoc, quòd aliquid est articulus Fidei infert, non esse demonstrabile. Et ex hoc, quòd aliquid demonstratur, infert, non esse articulum Fidei, sed præambulum ad illam. Et 2. 2. *q.* 1. *art.* 5. ait: *Id tamen, quod communiter omnibus proponitur hominibus, ut credendum, est communi-*

muniter non ſcitum ; & iſta ſunt , quæ ſimpliciter Fidei ſubſunt .

Objectum Fidei per accidens, ſeù ſecundùm quid eſt illud , quod poteſt lumine naturali cognoſci; cum ſit de veritatibus naturalibus Dei; de quibus dictum eſt ab Apoſt. ad Rom. 1. *Quod enim notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, ideſt Gentilibus, ut exponit S. Th. *ibid. lect.* 6. ſed tamen poteſt cadere ſub Fide, in quantùm aliquis, qui demonſtrationem naturalem non habet de illa veritate, Fide credit; quia aliàs eſt à Deo revelata: cujuſmodi eſt Deum eſſe; quod non eſt articulus Fidei, ſed præambulum ad Fidem, ut ſæpè docet Angelicus : quod poteſt ratione naturali demonſtrari, & à Philoſophis demonſtratur: attamen Fide creditur à non habentibus demonſtrationem.

2 Colligitur ex hoc: rationes ad aſſenſum impellentes circa ea, quę ſunt Fidei ſimpliciter, vel per ſe, non poſſe eſſe rationes demonſtrativas; ſed tantùm probabiles, & probantes non eſſe impoſſibilia ea, quę credenda proponuntur; vel ſunt rationes probantes myſteria Fidei eſſe credibilia; poteſt namque credibilitas eorum evidenter probari, ut communiter docent Thomiſtę 2. 2. *q.* 1. *ſuper art.* 4. quod expreſsè docuit S. Th. *ibid. ad* 2. dicens. *Ea quæ ſubſunt Fidei dupliciter conſiderari poſſunt ; uno modo in ſpeciali, & ſic non poſſunt eſse ſimul viſa, & credita, ſicut dictum eſt: alio modo in generali, ſcilicet, ſub communi ratione credibilis, & ſic ſunt viſa ab eo, qui credit; non enim crederet , niſi videret ea eſſe credenda ; vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliud hujuſmodi.* Hęc autem motiva credibilitatis non faciunt myſteria ipſa evidentia; ſed ea relinquunt in ſeipſis obſcura: ſicut evidens eſt rem aliquam argumento topico probatam, eſſe probabilem, non tamen ideò ipſa veritas probabilis, eſt evidens, ſed in linea opinabili remanet.

Colligitur etiam: quòd licèt ad ea, quę ſunt Fidei ſecundùm quid, ſivè per accidens poſſint rationes demonſtrativę adduci ; hę tamen non impellunt ad aſſenſum Fidei; ſed ad aſsenſum ſcientificum: quamquàm enim ſub lite ſit: an circa eandem veritatem poſſit eſſe actus ſcientię, & actus Fidei in eodem homine attamen extrà controverſiam eſt, aſsenſum Fidei non

cau-

causari ab eodem, sed ab alio medio, ab eo, à quo causatur assensus scientificus. Undè, nec respectu harum veritatum, ut attinguntur per Fidem, dantur rationes demonstrativæ ad assensum Fidei impellentes.

3 Hinc optimè colligunt Thomistæ, & ferè omnes Theologi, paucis exceptis, ad assensum Fidei eliciendum, requiri piam affectionem voluntatis, & motionem ejusdem: quoniam Intellectus non potest sufficienter moveri; & determinari ab objecto, cum sit inevidens, & obscurum; non in se visum, ut sunt prima principia; nec in alio, ut sunt conclusiones deductæ ex principiis evidenter, unde non remanet, à quo determinetur, nisi à voluntate; quia, scilicet, (verbis D. Th. utor) per quandam electionem voluntariè declinat in unam partem potiùs, quàm in aliam.

Et hoc etiam constat ex S. Script. Conc. & SS. PP. nam ad *Rom.* 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam*, idest voluntate, ut exponit S. Th. *ibid. Joann.* 22. redditur ratio, quare cum Christus tot signa fecisset, non convertebantur ad Fidem, & dicitur: *Quia iterum dixit Isaias: excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & intelligant corde, & convertantur.* Ubi redditur pro causa, cordis induratio. Unde D. Aug. super idem caput, paulò ante, ait: *Credere non poterant, quia nolebant.* Et *tract.* 26. *in Joan.* ait: *Credere non potest, nisi volens.* Ambr. *in cap.* 4. *ad Rom.* ait: *Credere voluntatis est;* constat etiam ex eo, quòd Christo, & Apostolis prædicantibus, & signa facientibus, aliqui convertebantur, alii verò non. Unde *Act.* 28. dicitur: *Cùm audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum: quidam verò viri adhærentes ei crediderunt.* Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. asserit duo; nempè requiri Divinam gratiam ex parte voluntatis ad credendum, & liberè moveri ad credendum: non requireretur autem gratia ex parte voluntatis, si non requireretur motio voluntatis, ad quam excitandam datur gratia: nec esset liber actus credendi, nisi esset à motione Voluntatis: omnis namque actus Intellectus, qui est liber formaliter, quà liber, dependet à voluntate, quæ est primum liberum formali libertate in homine. Verba Conc.

ba Conc. sunt hæc. *Disponuntur autem ad ipsam Iustitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitùs revelata, & promissa sunt.* Idem habetur in Conc. Arauxic. *cap.* 5. *can.* 9. ubi dicitur: *Initium Fidei, ipsumque credulitatis affectum &c. haberi per inspirationem Spiritus Sancti, & per gratiæ donum corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem &c.* His præhabitis.

3 Dicendum, Voluntas facit, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. Hæc conclusio docetur à D. Th. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *in corpore*, ubi postquam dixit. *Quòd alicui objecto, quod non sufficienter movet Intellectum, assentit per quandam electionem voluntariè declinans magis in unam partem, quàm in aliam.* Subdit: *Et si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis erit opinio: si autem sit cum certitudine, absque tali formidine erit Fides.* Ubi jam patet, quòd loquendo in casu, quo objectum non potest sufficienter movere Intellectum; sed determinatur ad alteram partem ex motione voluntatis: ac proindè ex se, & ex rationum pondere, non potest Intellectus habere assensum firmum; potest hunc tribuere voluntas, faciendo; ut cum certitudine, & sine formidine adhæreat: & tunc est Fides. Vndè Cajet. *p.* 2. *q.* 65. *art.* 4. ait, quòd aliquis ex sola voluntate potest induci ad credendum omnes stellas esse pares.

Probatur ratione conclusio est præjactis fundamentis. Assensus Fidei, vel est firmus, & sine formidine alterius partis, vel non: non potest dici secundum, aliàs esset opinio: tùm quia credere definitur à D. Aug. quòd sit *cum assensione cogitare*. Ubi per ly, *cogitare*, convenit cum opinione, suspicione, & dubio, quæ non habent evidentiam; per assensionem verò ab istis differt: quia hæc non habent firmam adhæsionem; hanc tamèn habet Fidei actus, & per hoc convenit cum sciente, & intelligente. Unde peccaminosum, & nefas existimatur, nedùm positivè credere contrarium Fidei, sed etiàm negativè, scilicet, sentiendo, quòd aliquis articulus Fidei non constet teneri à Fide. Et hoc dupliciter, vel simpliciter non credendo:

do : vel ſub dubio vacillando. Et hoc adhuc tripliciter poteſt contingere ſecundùm triplicem modum dubii, ſcilicet, opinionis, ſuſpicionis, & neutralitatis. Et quicumque horum modorum cum conſenſu voluntatis eſt peccatum Infidelitatis; ut optimè ait Cajet. 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. ergo adeò firmus debet eſſe, ut nullam patiatur vacillationem.

Si dicatur primum: ergo voluntas poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Probatur hæc conſequentia: quia illa firmitas non poteſt aliundè haberi, niſi à voluntate imperante Intellectui firmam adhæſionem. Probatur hoc aſſumptum: non enim poteſt haberi à rationibus; cum non ſint evidentes, & conſequenter non poſſint determinare Intellectum, ſed relinquant ipſum liberum, nedùm quò ad exercitium, ſed etiam quò ad ſpecificationem; ergo non poteſt aliundè haberi, niſi à voluntate &c. Unde D. Th. *loc. cit. q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. ait: *Intellectus credentis determinatur ad unum non per rationem, ſed per voluntatem, & ideò aſſenſus hic accipitur pro actu intellectus ſecundùm quod à voluntate determinatur ad unum.* Super quem locum vide Porrectam.

Confirmatur: ſi aliquis fidelis credens dogmata Fidei, taliter eſſet diſpoſitus, ut nihil eſſet crediturus, niſi haberet rationes probabiles, & humana teſtimonia, hic eſſet infidelis; quia cenſetur habere errorem in intellectu, quòd non eſſet credendum, niſi propter tales rationes, & non propter Divinam revelationem; ſed in prædicta Propoſitione, quam impugnamus, virtualiter continetur hoc judicium; ergo ea practicè utens eſſet infidelis. Probatur minor; quia ſicut ille non crederet, niſi &c. ita iſte non firmiter adhæret, niſi &c. ſed firmitas aſſenſus eſt ita eſſentialis actui credendi, ut non ſit credere, ſi deſit firma adhæſio: ergo qui non firmiter adhęreret, niſi propter rationes humanas, idem eſt, ac ſi non crederet, niſi propter eaſdem.

Similiter, qui doceret non eſſe credendum, niſi propter rationes humanas, vel niſi rationes humanæ convincerent Intellectum ad aſſentiendum, hæreſim doceret, vel doctrinam hæreticalem; cum doceat implicitè non eſſe credendum ob ſolam

lam Divinam revelationem; sed qui docet non esse firmiter adhærendum, & asentiendum, nisi propter rationes humanas doceret implicitè non esse credendum, nisi propter easdem; nam de essentiali conceptu actus credendi est firma adhæsio, & assensus; ergo etiam iste doctrinam hæreticalem doceret: At in predicta Propositione docetur hoc, nam idem est non posse esse firmum asensum, nisi quantùm meretur pondus rationum ac dicere non esse firmiter adherendum, nisi &c. immò majus, cum in illo negetur posse, hìc verò actus, & ex negatione potentię optimè arguitur ad negationem actus, & ad negationem debiti: nemo enim tenetur ad id, quod non potest.

5 Probatur ratione secundò directè posita conclusio. Adhęrere, vel non adhærere alicui veritati, quæ non est evidens in se, neque in præmissis, à quibus deducitur, sed tantùm probabilis, vel obscura, est liberum Intellectui, cum non necessitetur ad assensum quò ad specificationem, nisi ab evidentia objecti, sed actus liberi possunt imperari à voluntate, cui omnes hominis potentiæ in hujusmodi actibus subjiciuntur, tanquàm primo libero: ergo potest voluntas imperare Intellectui, ut adhæreat, vel non adhęreat veritatibus Fidei, cum sint obscurę & consequenter ipsum non necessitent ad assensum. Immò necessariò debent à voluntate imperari, ut ad alteram partem determinetur Intellectus, cùm indifferentia, quæ non potest tolli ab objecto, non possit ab alio tolli, nisi ab ipsa: sed non minùs liberum est Intellectui adhærere, & assentire hujusmodi veritatibus, quàm firmiter assentire: cum firmitas sit modus consequens ad illum actum: ergo voluntas non minùs potest imperare assensum, quàm assensum firmum, & consequenter potest facere, ut assensus, qui ex rationum pondere non obtinet firmitatem, evadat firmus. Et hoc est, quod ajebat Apostolus: *Captivantes Intellectum in obsequium Fidei.*

Confirmatur: si prędicta Propositio esset vera, quilibet excusaretur à non pręstando asensu firmo mysteriis Fidei, & à dubitatione, & vacillatione in credendo: atqui hoc est absurdum: ergo &c. Probatur seq. quia peccatum non est, nisi sit voluntarium: sed illa dubitatio, & vacillatio non esset voluntaria, quia voluntas non potest illam tollere: non aliter namque posset

illam

illam tollere, nisi faciendo, quòd assensus sit firmus: & ex alio capite excusaretur: quia rationes, utpotè probabiles, neque valent Intellectum determinare ad firmum assensum, ergo &c.

6. Dices prædictam Propositionem, quam impugnamus, posse sic qualificari: scilicèt, quòd loquitur non de rationibus impellentibus ad assensum, in quantùm probant veritates Fidei in seipsis, seù ita esse; sed de rationibus probantibus veritates revelatas esse credendas, seù eis debere assensum præberi per Fidem; & cum mysteria Fidei sint evidenter credibilia, ut suprà dictum est nu. 2. ex hoc evidenter deducitur Intellectum debere eis assentire per Fidem; ac proindè eis firmiter adhærere. Unde idem D. Th. *loco cit. num. 2.* ait: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda.* Licèt enim non moveatur ad præbendum assensum absolutè ex illa evidentia; sufficienter tamen movetur Intellectus ad præbendum assensum Fidei; unde illa particula (ad assensum impellentium) intelligitur de assensu Fidei: sicut ex hoc, quòd Intellectus cognoscit aliquam opinionem esse probabilem; licèt non convincatur, ut illi adhæreat absolutè, convincitur tamen ad præstandum assensum opinativum.

Attamen licet in hoc sensu minùs falsa sit præfata Propositio non tamen est vera. Nam ex evidentia credibilitatis non convincitur Intellectus ad præstandum assensum veritati revelatæ in seipsa; neque per Fidem, sed remanet indifferens; unde exigitur motio voluntatis, ut ejus indifferentiam determinet, & firmitatem assensus imperet Intellectui.

Quod ut clariùs fiat: notandum est, aliud esse dicere ex. gr. Deum esse trinum, evidenter est credibile: & aliud est dicere: Deus est Trinus. In hac enim importatur connexio extremorum inter Deum, & Trinitatem: in illa verò tota hæc propositio se habet, ut subjectum, & evidentia credibilitatis, ut prædicatum. Unde per hoc, quòd evidenter cognoscatur illa prima propositio, non cognoscitur evidenter, nisi illud prędicatum credibilitatis convenire illi propositioni; non verò ipsa propositio: unde ad asentiendum illi primę propositioni, potest convinci Intellectus; non autem ad asentiendum secundę:

cundę:

eundę: quandò verò elicit actum Fidei circa mysterium revelatum, non pręstat asſenſum illi primę, ſed huic ſecundę. Pręrequiritur autem illa prior cognitio ad hoc, ut prudenter, & virtuosè prębeat aſſenſum myſteriis ipſis revelatis, nè ex levitate cordis credat, quia qui citò credit levis eſt corde. Unde S. Th. ait: non enim crederet, id eſt, virtuosè, & prudenter, niſi videret ea eſse credenda, id eſt niſi cognoſcenter evidenter eorum credibilitatem.

An autem hęc evidentia credibilitatis ſufficiat, ut convincat Intellectum ad aſsentiendum per Fidem veritatibus revelatis: dicendum eſt non ſufficere. Quia, ut ſuprà probavi num. 3. ad aſsentiendum per Fidem requiritur motio voluntatis: unde idem D. Th. qui ait: myſteria Fidei eſse viſa ſub communi ratione credibilis, aſserit deindè *q.* 2. *art.* 9. quòd credere eſt meritorium, quia licèt ſit actus Intellectus, ſubjacet tamen libero arbitrio, & eſt ex imperio voluntatis à Deo motę per gratiam. Et in reſp. ad 2. ſe explicat, in Fide ſubjacere libero arbitrio, non ſolùm actum credendi quò ad exercitium, ſed etiam quantùm ad aſsenſum, seù quò ad ſpecificationem, in quo differt ab aſsenſu ſcientifico: ſi autem ex evidentia credibilitatis convinceretur ad credendum, seù ad aſsentiendum per Fidem non requireretur ad hoc motio voluntatis, ſed tantùm requireretur ad imperandum aſsenſum abſolutè.

Immò falſiſſimum eſt dicere Intellectum convinci ad pręſtandum aſsenſum per Fidem, non verò abſolutè: falſum, inquam, quia aſſenſus per Fidem eſt quid inferius ad aſſenſum in communi, valet autem arguere ab inferiori ad ſuperius affirmativè, ut omnes Dialectici docent: ergo valet dicere: convincitur ad aſſentiendum per Fidem: ergo convincitur ad aſſentiendum abſolutè: vel è contra: non convincitur ad prębendum aſſenſum abſolutè: ergo neque per Fidem: quia valet arguere à ſuperiori ad inferius negativè. Et certè aſsenſus per Fidem eſt judicium quòd illud ita ſit, ſicut judicat aſsenſus abſolutè. Immò contradictio involvitur in prędicta aſsertione, nam aſsenſus eſt per Fidem, vel opinionem, ex motivo, quo inducitur ad aſsentiendum Intellectus: ſi autem convincitur ad aſsentiendum, eſt actus ſcientiæ: unde contradictorium eſt dice-

dicere: quòd convincitur ad aſsentiendum, & quòd per Fidem. Idem dico de opinione probabili: nam licèt ſit evidens mihi, quòd hæc propoſitio: materia prima habet propriam exiſtentiam: ſit probabilis; non tamen convincor ad aſſentiendum de facto, neque opinativè, prędictæ propoſitioni; ſed ad oppoſitum, aſſenſum præbeo. Et ratio eſt; quia judicium illud evidens reflexum de probabilitate (idem eſt de credibilitate) non facit evidentiam connexionis terminorum illius propoſitionis, ſed ſolùm, quòd ita eſſe ſit probabile: cum quo ſtat, quòd oppoſitum poſſit eſſe verum: & conſequenter non convincitur Intellectus ad aſſentiendum alterutrę parti, ſed ex motione voluntatis inclinabitur potiùs ad unam, quàm ad alteram partem, ut ſuprà dictum eſt.

7 Neque valet dicere, poſſe Intellectum formare hunc diſcurſum: omne quod evidenter conſtat eſſe credibile, debet credi; ſed evidenter conſtat myſteria Fidei eſſe credibilia: ergo debent credi: quæ concluſio continet judicium imperans aſſenſum Fidei, ex ſolo diſcurſu Intellectus, abſque motione voluntatis.

Non, inquam, valet. Nam prædictus diſcurſus non eſt demonſtrativus: major enim, ut includit debitum eſt falſa; quia aliundè Intellectus habet inevidentiam objecti, cui debet aſſentiri, & vacillare an id, quod conſtat evidenter eſſe credibile, ita ſit. Sed ſolùm poteſt hanc propoſitionem formare: omne quod evidenter conſtat eſſe credibile, poteſt credi, & prudenter, ac rectè operatur, qui illud credit: ex quo non determinatur Intellectus ad credendum; ſed ad proponendum voluntati, ut eligat quid faciendum: quæ ex illo diſcurſu ſibi ab Intellectu propoſito eligit alteram partem: nempè quod ſit credendum; & hoc imperat Intellectui: ac proindè ex imperio voluntatis dependet, quòd Intellectus determinetur ad credendum, & quòd eliciat firmum aſſenſum Fidei, quem non meruit rationum pondus extorquere. Undè voluntas poteſt efficere, ut aſſenſus Fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſsenſum impellentium; ſivè fuerint rationes ad probanda ipſa Fidei myſteria; ſivè ex ipſa myſteriorum credibilitate procedentia, ad probandum debere Intellectum credere.

PRO-

PROPOSITIO XX.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

1 HÆc Propositio, si loquatur de iis, quæ sunt Fidei per se, seu simpliciter, falsum supponit, nempè posse eosdem articulos aliundè cognosci, quàm per lumen supernaturale, ut in præc. diximus: unde inter centum errores Raymundi Lulli damnatos à Greg. XI. de consilio fratrum, ut refertur in 2. *p. Directorii inquis. q.* 9. 96. est hic. *Omnes articuli Fidei, & Ecclesiæ Sacramenta, ac potestas Papæ possunt probari, & probantur per rationes necessarias, & demonstrativas, & evidentes, &* 97. *est. Fides est necessaria hominibus insciis, rusticis, ministralibus, & non habentibus Intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem, & diligunt cognoscere per Fidem: & quòd homines grossi ingenii, & illiterati, & inscii diligunt cognoscere articulos Fidei per Fidem, & non per rationem: & faciliùs trahuntur ad veritatem Christianam per Fidem, quàm per rationem: sed homo subtilis faciliùs trahitur per rationem, quàm per Fidem.*

Suppositum ergo hujus Propositionis locum habere potest in iis, quę sunt Fidei secundùm quid; quæ ratione naturali probari possunt: an scilicèt ille, qui hæc credebat, quia eorum rationem non habebat, prudenter relinquat assensum supernaturalem Fidei, ob demonstrationem, qua illos probat, & ita asserit prædicta Propositio.

2 Dicendum. Nimis imprudenter se gerit, qui repudiat assensum, quem habebat supernaturalem, propter naturalem demonstrationem circa aliquam veritatem revelatam.

Probatur primò. Majorem certitudinem, licèt obscuram, habet assensus ille supernaturalis, quàm habeat assensus causatus ex demonstratione naturali, licèt sit evidens; sed imprudenter agit, qui majorem certitudinem repudiat propter minorem: ergo &c. Major docetur à D. Th. *p. p. q.* 1. *art.* 1. ubi loquens de veritatibus de Deo cognoscibilibus lumine naturali, asserit:

de his, quoque necessarium fuisse (licèt necessitate secundùm quid, & ad meliùs esse) hominem instrui per Divinam revelationem, & rationem assignat dicens: *Quia veritas de Deo per rationem investigata à paucis, & per longum tempus, & cum admistione multorum errorum homini proveniret*. Et indè concludit. *Ut igitur salus hominibus convenientiùs, & certiùs proveniat, necessarium fuit quòd de Divinis per Divinam revelationem instruantur*; in prima, nota ly, *cum admistione multorum errorum*, in secunda ly, *certiùs*, & etiam ratione patet; quia assensus supernaturalis innititur testimonio Dei, quod est omninò infallibile, & omnem certitudinem superat: ratio verò naturalis subest defectibilitati. Minor cum consequentia constant.

Probatur secundò; quia per assensum supernaturalem meretur, non verò per assensum naturalem; sed imprudens existimandus est, qui repudiat actum meritorium propter non meritorium: ergo &c.

Prob. tertiò. Ideo inferebant hanc Propositionem ex præcedenti, quia per ipsos, assensus supernaturalis haberet minorem firmitatem; cum hæc non habeatur à rationibus, nec à voluntate ad illum assensum impellente: naturalis verò haberet majorem firmitatem propter rationes ad illum impellentes: sed hoc esse falsum jam probatum est, ergo, & consequentia inde illata.

3 Dices: per Thomistas non potest esse simul Fides, & scientia de eadem veritate: ergo cum quis acquirit demonstrationem, V.G. de Dei existentia, quam ante credebat, non solùm potest, sed cogitur repudiare assensum supernaturalem, quem habebat.

Respondebis 1. Quòd illa Propositio damnata intelligitur de voluntaria repudiatione assensus supernaturalis; quod non contingit in doctrina Thomistarum, cum hoc per ipsos proveniat ex naturali imcompossibilitate Fidei, & scientiæ.

Sed contra est. Licèt effectus non sit voluntarius, tamen est voluntaria causa, quia voluntariè quis addiscit scientiam, ex quo provenit imcompossibilitas Fidei circa illam veritatem; sed velle causam mali effectus, est malum in causa; & voluntarium in causa sufficit ad meritum, & demeritum, ut docent Thomistæ in tract. de vitiis, & peccatis: ergo addiscere scientiam esset

ma-

malum; & imprudenter taliter addiscens ageret, volens id, ex quo sequitur repudiatio aſsensus supernaturalis.

Respondebis 2. quòd per aliquos Thomiſtas, habitus scientiæ poteſt eſse cum actu Fidei, & habitus Fidei cum actu scientiæ: undè, quamvis habens scientiam, non poſſit ſimul elicere actum Fidei; poteſt tamen pro alio tempore, cum non recordatur demonſtrationis, elicere actum Fidei: unde per hoc quod addiſcit scientiam, non repudiat abſolutè aſsenſum supernaturalem.

Sed contra eſt. Sicut eſt malum repudiare abſolutè aſsenſum supernaturalem; ita eſt malum, licèt minus, illum repudiare ad tempus; ſed iſte ad tempus repudiaret, nec tam facilè eſt demonſtrationis oblivisci: quamvis non ſemper actu recordetur, ergo &c.


Respondebis 3. per Thomiſtas habens scientiam, habet Fidem illius veritatis in præparatione animi, & hoc sufficit, nè dicatur repudiare aſsenſum supernaturalem; quia repudiatio importat etiam animi averſionem.

Sed contra eſt. In præfata Propoſitione damnatur prudenter agere, qui repudiaret aſsenſum supernaturalem, & nomine aſsenſus venit actus supernaturalis; ſed cum tota illa animi præparatione non remanet actualis aſsenſus: ergo non sufficit illa animi preparatio, nè dicatur imprudenter agere.

Respondebis denique. Thomiſtas aſserere in Philoſopho Chriſtiano remanere circa illam veritatem ſcitam, Fidem incompletè, utpotè influentem certitudinem, licèt non evidentiam: unde haberet majorem certitudinem, quàm Philoſophus Gentilis, quia ex pluribus motivis eam haberet. In præfata autem Propoſitione damnata aſserebatur, prudenter poſse aliquem repudiare aſsenſum supernaturalem; quia hic eſset minùs certus, quàm ſi haberetur per demonſtrationem naturalem.

Sed contra eſt. In præfata Propoſitione damnatur, poſse repudiare aſsenſum supernaturalem; ſed licèt in eo caſu Fides influeret certitudinem, non tamen ideò aſsenſus ille eſset supernaturalis: ac proindè jam iſte repudiaret aſsenſum supernaturalem: ergo per hoc non ſalvatur, doctrinam Thomiſtarum non coincidere cum damnata Propoſitione.

Respondetur ergo meliùs, explicando magis prędictas responsiones. Illam Propositionem non damnari in se pręcisè, sed prout est consequentia illata ex praecedenti, scilicet, quia voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum: ac proindè assensus per demonstrationem esset magis firmus asensu supernaturali, & ideò prudenter posset quis illum repudiare: ex doctrina autem Thomistarum non ideò quis repudiaret, sed hoc proveniret ex incompossibilitate actus Fidei, & actus scientiae: nec ex doctrina Thomistarum sequitur scientem repudiare assensum supernaturalem; quia repudiatio est, cum quis, vel propter majus bonum deserit voluntariè aliud, vel propter animi aversionem quod videtur asserere damnata Propositio: per Thomistas autem non deseritur propter majus bonum, cum asserant assensum Fidei esse certiorem quocumque assensu naturali: nec propter animi aversionem, cum asserant Fidem remanere in praeparatione animi; nec esset directè volita in causa illa cessatio actus supernaturalis, cum non sit per se intenta: nec sequitur ex aliquo illicito, cum licitum sit operam dare scientiis, sed sequitur ex natura rei praeter intentionem scientis; nec certitudo Fidei desineret influere in illum actum, ut dictum est in ultima responsione. Undè etiam perseveraret in Philosopho Christiano meritum Fidei, propter animi praeparationem, ad credendum ob solam Divinam revelationem, si quaecumque demonstratio circa illam veritatem deficeret. Ex quo patet, quam longè sit à damnata Propositione Thomistarum doctrina ad quàm nemo usquemodò animadvertit pose calumniari, ut coincidens cum ea.



PROPOSITIO XXIV.

Vocare Deum in testem mendacii; non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

1 PRæmitto primò. Mendacium communiter definiri, quòd sit falsa vocis significatio, cum voluntate fallendi. Pro cujus explicatione; advertendum est ex S. Th. 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. quòd ad mendacium concurrit actus Intellectus, qui est enunciatio, habens pro objecto verum, vel falsum: hęc autem Intellectus enunciatio manifestatur per exteriora signa, vel per voces, vel nutus &c. undè ad mendacium requiritur falsa vocis significatio, idest voce significare falsum, aut contrarium ejus, quod mente concipitur: hinc mendacium nominatur ex eo, quòd contrà mentem dicitur, & mentiri idem est, ac contra mentem ire, & hoc est objectum mendacii. Pręter hoc autem concurrit actus voluntatis, cum quilibet actus *moralis* debeat esse voluntarius, & ex parte hujus habet pro fine, seu objecto (idem enim est objectum, & finis respectu voluntatis) voluntatem fallendi, & in prędicta definitione ponitur utrumque. Intentio autem fallendi dupliciter sumi potest; vel scilicèt pro intentione falsum enunciandi; vel pro intentione falsitatem imprimendi in alio: horum primum pertinet ad essentiam mendacii, & est formale constitutivum illius in ratione actus moralis: secundum autem est effectus ipsius mendacii: undè non pertinet ad essentiam mendacii, sed ad perfectionem ipsius; ac proinde si illa definitio accipitur, ut tantùm explicat essentialia, illa verba (cum voluntate fallendi) accipienda sunt pro voluntate falsum dicendi.

Hinc sequitur, quòd si quis dicat falsum, credens dicere verum, non mentitur formaliter; nec est mendacium, ob defectum voluntatis dicendi falsum: è contra verò si quis dicat verum, existimans illud esse falsum, & intentione dicendi falsum mentitur; ut dicit D. Aug. *lib. de mendacio cap.* 3. & D. Th. *loc. cit.* quia hujusmodi actus, in quantùm voluntarius, & moralis

habet per se falsitatem, quia eam intendit, & per accidens veritatem, quia est præter intentionem ipsius.

2 Præmitto 2. ex D. Th. *loc. cit. art.* 2. quòd mendacium, licèt aliter dividi possit, vel secundùm ipsam rationem mendacii, in quantùm deficit à veritate, trascendendo in magis, per exagerationem; vel deficiendo in minus; vel per ordinem ad finem, quo pacto à D. Aug. *lib. de mendacio cap.* 14. octupliciter dividitur: tamen loquendo de ipso, in quantùm est actus moralis, & per ordinem ad gravitatem, vel diminutionem culpæ, tripliciter dividitur; scilicèt in mendacium jocosum, quod est illud, quod dicitur causa delectandi, & placendi; in mendacium officiosum, quod dicitur causa utilitatis alterius, vel ipsi juvando, vel nocumentum removendo; & in mendacium perniciosum, quod dicitur causa nocendi. Hoc ultimum est gravius, quàm duo priora; semper enim mendacium malum est ex genere, & natura sua, quod probat D. Th. *loco. cit. art.* 3. tùm ex Philosopho 4. *Ethic.* dicente: *Mendacium est per se pravum, & fugiendum.* Tùm ex D. Aug. *lib. cit. cap.* 1. tùm ex illo Eccl. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Tùm ratione, quia est actus cadens suprà indebitam materiam; voces enim naturaliter sunt signa intellectuum, seu conceptuum in mente existentium: ergo uti vocibus ad significandum id, quod non habetur in mente, seù oppositum ejus, quod in mente habetur, est indebitum, & innaturale, seù est eis uti contra earum naturale institutum, quod ex natura sua malum est, pervertit enim naturas rerum.

3 His igitur præmissis: controversia est de Juramento assertorio, ut patet ex ipsa Propositione: in quo tribus prædictis modis potest esse mendacium: & de pernicioso existimo neminem id asserere, cum ex se materia sit gravis, & importet Proximi nocumentum; sed de aliis duabus mendacii speciebus, ob levitatem materiæ, an scilicèt juramentum additum mendacio levi, sivè jocoso, sivè officioso, sit peccatum mortale: hęc enim est justa causa, ob quam Deus vult, & potest damnare hominem.

Circa hoc fuit error aliquorum hæreticorum, qui Apostolici vocabantur, asserentium: omnia alia, exceptis articulis Fidei, & Dei præceptis, posse celari, quantùmcumque quis juret dicere veritatem; ut refert Prateol. & ejus meminit D.Bern.

serm.

ferm. 65. *in Cant.* Idem ſenſere Priſcillianiſtæ aſſerentes: licere juramentum ad occultandum ſecretum ſuæ doctrinæ; propterea dicere ſoliti: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*, ut refert D. Aug. *hær.* 70. & alibi: qui errores fuerunt damnati ab Honor. Papa *in extrav. Olim fœl. record.* ut refert Card. Turrecrem. *lib.* 4. *cap.* 37. *p.* 2. *de Eccleſia.*

Eſt etiam opinio cujuſdam Godofredi, quam refert Angelus, verbo Perjurium, aſſerentis: mendacio jocoſo, & officioſo adhibitum juramentum, non eſſe peccatum mortale; quia materia levis eſt, contra quam puto damnationem prædictæ Propoſitionis procedere, pro cujus impugnatione.

4 Dicendum. Juramentum, ſeù invocatio Dei, in teſtem cujuſcumque mendacii, quantumvis leviſſimi, dummodò non ſit ex inadvertentia, vel ſurreptione, ſemper eſt peccatum mortale: ac proindè eſt tanta irreverentia, propter quam Deus poteſt damnare hominem.

Hæc concluſio docetur à S. Th. 2. 2. *q.* 98. *art.* 3. *in corpore*, *& ad* 2. eſtque communis Theologorum, Canoniſtarum, & Summiſtarum. Probatur primò ex argumento: *ſed contra.* Omne peccatum, quod contrariatur præcepto Divino, eſt peccatum mortale; ſed perjurium contrariatur præcepto Divino, quo dicitur Levit. 19. *Non perjurabis in nomine meo*: ergo eſt peccatum mortale.

Dices: multotiès ratione parvitatis materiæ, licèt faciat quis contrà præceptum Divinum, non peccat mortaliter, ut patet in furto, in feſtorum ſanctificatione &c.

Sed contra hoc eſt probatio adducta in corpore articuli à D. Th. qua prædicta reſponſio rejicitur; & ſecundò probatur concluſio. Parvitas materiæ tunc excuſat à mortali, quandò pravitas operis ab ipſa dependet, ſicuti eſt in furto, ubi pravitas dependet ex nocumento, quod infertur Proximo ex re accepta: at quandò pravitas actus oritur ex ipſo actu, talitèr quòd ipſe actus in ſe, & ex propria ratione habet gravem pravitatem, cuicumque materiæ applicetur, tunc ejus gravitas non minuitur ex parvitate materiæ; ſed perjurium ex ſe, & preſcindendo à materia, ſuprà quam cadit, habet gravem pravitatem, ſufficientem ad peccatum mortale; ergo parvitas materiæ non poteſt à

ratione peccati mortalis ipſum eximere. Major patet. Minor probatur: perjurium ex ſua ratione importat contemptum Dei; ſed contemptus Dei eſt de ſe ſufficiens ad peccatum mortale, præciſa materia, ſuprà quam cadit; quod patet ex hoc, nam aliquid, quod eſt genere ſuo veniale, vel etiam bonum, ſi fiat in contemptum Dei, eſt peccatum mortale: ergo perjurium de ſe, præſcindendo à materia ſupra quam cadit, habet gravem pravitatem, ſufficientem ad peccatum mortale. Major probatur, quia in perjurio invocatur Deus in teſtem falſitatis, quæ eſt maxima irreverentia; per hoc enim dat intelligere; vel quòd Deus veritatem non cognoſcat, quod eſt contra ejus ſummam Sapientiam; vel quòd falſitatem teſtificari velit, quod eſt contra ejus veracitatem, quorum utrumque eſt maxima imperfectio in Deo: ergo ingentem illi injuriam, & irreverentiam irrogat ſic jurans: ac proindè contemptum Dei ex ſe importat perjurium.

5 Sed in gratiam Scholaſticorum, & ut ſubtiliùs expendatur ratio D. Th. firmiùſque roboretur ejus doctrina: Dices: cum dicitur, quòd perjurium ex ſua ratione importat contemptum Dei; vel intelligitur de contemptu generali, qui concomitanter ſe habet in tranſgreſſione cujuſcumque præcepti, nam contemnitur Divina Lex, irrogatur Deo irreverentia cum ratio ultimi finis ab eo tollatur &c. quo pacto dicit D. Aug. 14. de Civit. cap. 28. *Sicut amor Dei uſque ad contemptum ſui ædificat Jeruſalem; ſic amor ſui uſque ad contemptum Dei ædificat Babylonem*, ideſt peccatum: & ſic committitur æquivocatio; nam fit tranſitus à contemptu ſpeciali ad contemptum generalem: qui enim veniale faceret ob contemptum Dei, eſſet contemptus ſpecialis: Si verò intelligatur de contemptu ſpeciali, ſic falſum eſt, perjurium eſſe contemptum Dei; nam contemptus ſpecialis eſt cum animo, & intentione contemnendi Deum; quæ intentio non neceſſariò connectitur cum perjurio: immò regulariter longè eſt à pejerante: ergo malè colligitur ex prædicta ratione, perjurium ex genere ſuo eſſe peccatum mortale.

6 Reſpondetur, quòd ratio D. T. procedit de contemptu ſpeciali, qui eſt in perjurio, & non de generali, qui reperitur in omni peccato: ad probationem, quæ contra hoc inducitur: dico

quòd

quòd contemptus ſpecialis eſt duplex; vel quia fit aliquid, quod in ſe eſt indifferens, ſed fit ex animo, & intentione contemnendi aliquem, & in hoc requiritur expreſsa intentio contemnendi; vel quia fit aliquid, quod de ſe, & ex natura ſua eſt contemptus alterius, & hoc dicitur contemptus ex ipſo facto, ex.gr. aliquis ſpuere poteſt in pręſentia Regis, animo ipſum contemnendi, & hic eſt primus modus contemptus: alio modo quis advertenter ipſi terga vertit, & ſic in præſentia ejus ſtat: & hic dicitur facto ipſum contemnere, etiam ſi deſit expreſsa intentio ipſum contemnendi: contemptus enim in irreverentia, quæ eſt præcipua ejus ſpecies, maximè relucet, & ſufficit virtualis intentio contemnendi; quia ad hoc, factum ipſum ordinatur.

In præſenti igitur; perjurium eſt contemptus Dei hoc ſecundo modo, quia facto ipſo, dum invocatur Deus in teſtem mendacii, & in ejus confirmationem, directè, vel ejus ſcientia, vel ejus veracitas negatur, & ponitur maxima imperfectio in ipſo Deo, & hoc non eſt commune cuicumque peccato: nam in cæteris peccatis, utplurimùm intentio fertur in creaturam, quæ eſt objectum actus peccaminoſi, in quo concomitanter reperitur contemptus Dei, in quantùm Divina Lex non ſervatur, & tollitur ab eo practicè ratio ultimi finis, quantùm eſt ex affectu peccantis: actus autem perjurii directè conſiſtit, & phyſicè in illa invocatione Divini teſtimonii, in confirmationem falſi, quod eſt factum ex ſe irreverens, & Deo injurioſum: ex conſequenti deindè ſe habet, & quò ad effectum, quòd fiat cauſa joci, vel decipiendi alium, vel nocendi &c.

Hinc patet rationem D. Th. non eſſe æquivocam, ſed de contemptu ſpeciali ſemper loqui, & licèt tranſeat à contemptu, primo modo ſumpto, ad ipſum ſecundo modo acceptum eſt tamen legitima argumentatio à minori ad majus.

6 Hinc plura dubia ad materiam perjurii concernentia reſolvuntur. Et primò: non ſolùm jurantem rem ita eſſe, quando non eſt, peccare mortaliter: verùm etiam jurantem rem ita eſſe, vel non eſſe, quæ revera ita eſt, vel non eſt, ſi tamen ipſe exiſtimat falſum eſſe, quod dicit: quia in tali caſu ex intentione dicentis mendacium eſt, ut patet ex jam notatis, & conſequenter

ter ab ipſo invocatur Deus in teſtem mendacii, quantùm eſt ex intentione jurantis. E contrà verò, non peccare, qui juramento confirmat falſum, quod ipſe putat verum; ita S.Th. *q.89. art.* 1. *ad* 3.

Petes: quænam certitudo requiritur ad hoc ut ipſe prudenter exiſtimet rem eſſe veram?

Reſpondeo, non ſufficere ſolùm probabilem notitiam, quia hæc non facit certitudinem, niſi in hoc caſu juret non abſolutè; ſed ita ſibi videri: requiritur autem interdùm certitudo moralis; interdùm certitudo evidens, pro diverſitate materiæ, & circumſtantiarum: nam in Judicio, ubi quis interrogatur à Judice, cum debeat reſpondere juxta intentionem interrogantis, qui de certa ſcientia interrogat, non poteſt jurare, niſi certam ſcientiam habeat: extra judicium ſufficit plerumque certitudo moralis, niſi aliter exigat diſcurſus; ſi enim inter ſimul diſcurrentes ſermo ſit de certitudine omnimoda alicujus facti, non poteſt aliquis jurare ex morali certitudine; quia debet jurare juxtà ſenſum, in quo quæritur certitudo: ſi autem materia, de qua quis quæritur, aut interrogatur, non poteſt habere metaphyſicam certitudinem, etiam de hac, coram Judice poteſt ratione moralis certitudinis juramentum adhibere: ut cum quis de vita, & fama alicujus interrogatur.

Ad veritatem etiam dicti ſufficit, ut more humano verum ſit, ut contingit in hyperbolicis loquutionibus: ubi ſolet dici infinitas divitias habere Petrum: millies hoc dixi: hæc mulier lacteo candore pollet, & ſimilibus, in quibus verum eſt dictum more humano, & conſueto loquendi modo.

Idem accidit ſi Parochus teſtificetur Clericum toto anno frequentaſſe Eccleſiam: ludimagiſter, diſcipulum toto anno frequentaſſe ſcholam &c. quia more humano vera eſt loquutio, etiam ſi aliquotiès abſuerit.

8 Colligitur ſecundò: Iurantem falſum per inadvertentiam, quę poteſt cadere tàm ſuprà rem, quàm jurat, dùm ex ſubreptione, illam eſſe falſam non advertit; quam ſuprà juramentum, dùm non advertit ſe jurare; ſed lapſu linguæ juramentum profert, non peccare: inadvertentia enim excuſat à peccato, cum peccatum debeat eſſe voluntarium, & deliberatum. Ita *D.T. loc. cit.*

cit.ad 2. Raphael de la Torre *ibid.* Graffius *lib.* 2. *decis.cap.* 16.*n.*7. & alii.

9 Sed quæres hìc, an iste, qui ex inadvertentia sic jurat falsum, si hoc ortum duxit ex quadam consuetudine continuò jurandi, peccet mortaliter.

Circa hoc est triplex sententia. Prima est Cajet. *in comment. super art. nuper cit.* S. Th. asserentis, semper esse peccatum mortale, si ortum duxit ex prava consuetudine jurandi, sivè verum, sivè falsum: quia ista inadvertentia non esset antecedens sed concomitans perjurium, ac proindè non excusat à peccato, sicut nec ignorantia concomitans.

Secunda sententia est Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *de juramento cap.* 7. & Joan. Major. *in* 3. *dist.* 39. *q.* 4. asserentium non esse novum, & speciale peccatum, propter solam pejerandi consuetudinem, non retractatam.

Tertia est Raph. de Torre *loc. cit. disp.* 3. quæ explicatur per sequentes Propositiones. Quando perjurium provenit à consuetudine non retractata jurandi, sivè verum, sivè falsum, & talis consuetudo est causa inadvertentiæ, sivè advertat se jurare, sed non jurare falsum; sivè etiam non advertat se jurare, dùm tamen habet attentionem ad verba adjutoria, semper peccat mortaliter.

Discrimen tamen est, si inadvertentia est circa juramentum, & si est circa veritatem, vel falsitatem, cum advertentia tamen juramenti. Primò namque modo est peccatum in causa, & in ipsa voluntarium: secundo modo est peccatum in se, & formaliter; quia licèt desit advertentia ad veritatem, & falsitatem; hæc tamen erat debita, cum actus jurandi fuerit in se voluntarius; ac proindè omissio illius fuit in se, & formaliter voluntaria.

Si verò perjurium inadvertenter prolatum, & ipsa præcipitatio jurandi, non provenit ex ipsa prava consuetudine, sed ex alio capite, putà ex ira, vel alio, non est adscribendum consuetudini, sed illi motivo: & si illud motivum est peccaminosum, etiam ipsum perjurium, juxta qualitatem motivi: si verò proveniat ex impetu naturali, aut oblivione invincibili rapiente linguam, ut juret: tunc non est peccatum adscribendum consue-

ſuetudini : & patet ex hoc , quòd conſuetudo in his caſibus de materiali ſe habet, cum non ſit formale motivum perjurii.

Conſuetudo igitur, ferè ſemper facit, quòd perjurium ſit peccatum mortale : poſſet tamen aliquando contingere ut non ſit peccatum, quia non adſcribitur conſuetudini: vel quòd ſit peccatum, non tamen conſuetudini adſcribatur. Vide Raph. de la Torre, qui diſſertè hæc probat, & contrariæ ſententiæ argumenta ſolvit loc. cit.

Ex quibus infertur : verſantem in conſuetudine jurandi falſum, vel indiſcriminatim jurandi, ſivè verum, ſivè falſum, eſſe in ſtatu peccati mortalis, quia ſemper verſatur in morali periculo pejerandi: verſari autem in periculo eſt ſtatus peccati mortalis ; ſicut periculò ſe exponere, eſt peccatum mortale, ut ferè communiter docent DD. De aliis dubiis videantur DD. ex profeſſo de juramento, & perjurio agentes.

PROPOSITIO XXV.

Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſivè gravis.

1 HÆc Propoſitio poteſt intelligi tàm de juramento cadente ſuprà mendacium, quàm de juramento cadente ſuprà veritatem: nam utrumque poteſt juramento confirmari, & animus jurandi deeſſe, & hoc poteſt evenire, tàm in juramento aſſertorio; quàm in promiſſorio. Puto tamen intelligendam eſſe de juramento cadente ſuprà mendacium, ut loquebatur præcedens Propoſitio : tùm quia qui jurat verum, nullam cauſam habere poteſt jurandi, ſine animo jurandi, in juramento aſſertorio : & in hoc ſenſu abſolutè eſſe damnatam ; in quo ſenſu eam docuit Tambur. *lib. 3. Decal. cap. 3. de jurament. §. 2. num. 1.* & Leſſius citatus à Minutolo : pro quo.

2 Dico primò. Jurare falſum ſine animo jurandi, in quacumque materia, ſivè gravi, ſivè levi, peccatum eſt mortale:

rale: ac proindè nulla ex causa licitum est. Ita Cajet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *§. ad hoc dicitur.* Soto *lib.* 8. *de Justitia, & Jure q.* 1. *art.* 7. Astens. *lib.* 1. *de Juramento art.* 7. Graffi. *lib.* 2. *decis. cap.* 17. *n.* 10. *&* 12. & alii.

Probatur. Actus ille exterior invocationis Divini testimonii applicatur mendacio; sed hoc de se, etiam præciso actu interiori confirmante actum exteriorem est malum, & per hoc irrogatur Deo magna irreverentia: ergo &c. Major supponitur in casu: Minor probatur: per actum exteriorem applicatur Divinum testimonium mendacio, quæ est materia contraria omninò etiam ipsi actui exteriori juramenti: quod est de se malum, sicut malum esset nomen Dei blasphemare solo actu exteriori, etiam cum intentione non blasphemandi, Idolo thus adolere, etiam solo actu exteriori, sine animo colendi Idola, sicut fecit Marcellinus qui nunquàm à peccato excusatus est: ergo &c. Patet consequentia à pari, ideò ille cultus exterior Idoli est peccatum, quia applicatur ei, cui non debetur: sed paritèr actus exterior juramenti, qui est actus latriæ applicaretur materiæ contrariæ, quæ est mendacium; & hoc de se importat contemptum, ut præc. Propos. probavi: ergo &c.

Probatur iterum Minor, & explicatur, probando irreverentiam Dei, quæ in hoc intervenit. Irreverentia irrogata Deo in perjurio, oritur ex hoc præcisè, quòd Deus adducatur in testem mendacii: & si tàm actu exteriori, quàm interiori adducatur in testem, utroque actu irrogatur ei irreverentia; ergo quotiès unus istorum actuum potest sine alio subsistere, per alterum tantùm irrogatur irreverentia: undè in ratione irreverentiæ nulla est diversitas, sed solùm ex parte unius, vel duplicis actus: sed re vera actus exterior potest subsistere sine actu interiori, nam facit totum id, quod ad irreverentiam pertinet; & ut supponimus, procedit à voluntate deliberata; ridiculum autem esset dicere, habere animum non irrogandi injuriam, seù irreverentiam per illum actum exteriorem: sicut ridiculum esset dicere, dùm actu aliquem fustibus cedo, licèt desit interior actus odii; me ipsum non lædere, nec dehonorare, quia habeo animum ipsum non dehonorandi: & ita etiam dicere posset qui exteriùs colit Idola.

3 Dico

3 Dico ſecundò: Etiam jurare verum ſine animo jurandi eſt de ſe peccatum mortale; ac proindè ex nulla cauſa licet. Ita Cajet. *loco cit. §. ad evidentiam primi dubii.* Jacobus de Graff. *loco ſupra cit.* cum loquatur indiſcriminatim de vero, ac falſo. Eman. Rodriquez *p.* 1. *ſummæ cap.* 192. *concl.* 4. Sotus verò *loco cit. circa reſponſionem ad* 4. Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *concl.* 6. & alii cit. à Clave Reg. *to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 11. quos ipſe ſequitur; diſtinguunt inter eum, qui tenetur jurare, ut ſi ab habente poteſtatem, vel à privato rationabiliter exigitur juramentum; & de iſto aſſerunt peccare mortaliter, jurando verum ſine animo jurandi; & inter eum, qui cogitur per injuſtitiam jurare: & de iſto dicunt non peccare mortaliter, jurando verum, ſine animo jurandi. Bonac. *diſp.* 4. *circa* 2. *Decal. præc. q.* 1. *punc.* 7. *n.* 6. idem docet, licèt non ſatis clarè; noſtra tamen concluſio abſolutè oppoſitum docet.

Probatur primò ratione Cajet. In Juramento adeò requiritur veritas, ut ſi materia juramenti ſit mendacium, jurans peccaret mortaliter: ergo à fortiori peccaret mortaliter ſi mendacium eſt in ipſa forma juramenti, ſcilicèt in ipſo jurandi actu. Conſequentia videtur legitima, quia forma principaliùs ſe habet, quàm materia; ſed quando quis jurat ſine animo jurandi, mentitur in ipſo actu jurandi: ergo &c.

At re vera Cajet. hac ratione non uſus eſt in probatione ſui aſſerti, ſed in proponendo rationem dubitandi: quare non eſt tàm efficax; poſſet enim reſponderi aſſignando diſparitatem: nam mendacium circa materiam juramenti, ideò eſt peccatum mortale; quia mendacium juramento firmatur: at jurare ſine animo jurandi, quod eſt mendacium, in ipſo actu juramenti, non firmatur juramento, non enim tunc jurat ſe jurare; ac proindè eſt ſimplex mendacium, quod ex genere ſuo non eſt mortale, ſed poteſt eſſe veniale.

Sed contra hoc, poteſt inſtari ratione adducta à Cajet. in reſp. dubii. Sicut per mendacium juramento firmatum irrogatur Deo irreverentia, dùm in ejus confirmationem adducitur ut teſtis: ita per mendacium in ipſo actu juramenti irrogatur Deo irreverentia, quia exteriùs invocatur in teſtem, & interiùs diſſentit animus illi invocationi, quod eſt illudere Divino teſti-

testimonio: nam sic fingere invocare, cum animo non invocandi est illusio Divini testimonii, directè ipsi Deo illata: ac proindè sicut illa prior irreverentia est peccatum mortale ita, & posterior.

Probatur secundò conclusio. Hoc mendacium in ipso actu jurandi est mendacium perniciosum: ergo est peccatum mortale: prob. antec. tùm quia directè contrariatur fini juramenti, qui est confirmatio veritatis, ideò enim adhibetur juramentum, ut veritas confirmetur: tùm quia iste actus est ita perversus, ut sibi ipsi sit contrarius: nam quantùm est ex specie actus firmat veritatem exteriùs; quia verò mente non jurat, non confirmat veritatem: tùm etiam quia actus iste est perniciosus toti generi humano, utpotè tollens à juramento exteriori finem quare fit, & enervans fidem dandam exteriori juramento. Et profectò, si hoc in praxi poneretur, jam non magis credere possemus juranti quàm simpliciter dicenti; semper enim dubitare possemus, an jurans habuerit animum jurandi.

Nec valet distinctio Bonacinę desumpta ex Raph. de Torre 2.2. *q.*96. *art.* 7. *disp.* 2. asserentis, non esse licitum jurare sine animo jurandi; si rationabiliter exigitur juramentum; secus verò, si quis irrationabiliter ipsum extorqueat. Nam licèt, si irrationabiliter exigatur, possit rationabiliter non præstare juramentum, dùm tamen illud præstat, debet eo modo, quo licitè potest præstare, & non illudere Divino testimonio.

4 Excusarem tamen à peccato mortali eum, qui cum sit nimis scrupulosus, quamquàm sciat se verum dicere, tamen ob scrupulos, quibus angitur, dubitat: an possit esse falsum id, quod jurat, & nè se exponat periculo jurandi falsum, invincibiliter ignorans illicitum esse sic jurare, jurat sine animo jurandi.

Ex hoc tamen juramento sine animo jurandi, si juramentum sit promissorium, quantùm est ex vi juramenti, non obligatur ad promissa servanda: benè tamen obligatur ratione scandali vitandi, quod verè oriretur, si juramentum non servaret: & hoc in foro conscientiæ. Ita Graff. *loco. cit.* Covarruvias *tit. de pactis* 1. *p.* §. 5. *num.* 2. & alii. At in foro exteriori cogi potest, quia

quia Ecclesia potiùs præsumit jurandi animum, nè præsumat mortale peccatum; ut habetur *cap. veniens de jure jurando*.

5 Falsum tamen est id, quod ait Tambur. loco cit. num. 4. scilicèt, quòd si quis juret animo expresso nullo modo promittendi, vel se obligandi; non peccaret mortaliter: falsum inquam est, nam iste talis exteriùs promittit, interiùs à promissione dissentit, ac proindè mendacem promissionem profert, & huic adhibet juramentum, ac proindè invocat Deum in testem falsæ promissionis, sicut qui invocat in testem falsi asserti; ergo peccat mortaliter.

Quòd si dicas hunc taliter jurantem, non jurare interiùs; quia, ut ait Tambur. non potest intelligi juramentum promissorium, nisi ut productivum obligationis: cum ergo aliquis positivè hanc obligationem excludit, & non vult juramentum illam producere, convincitur non jurare (interiùs intellige, jam enim exteriùs jurare supponitur) hoc tamen non obstante, peccaret mortaliter ex eo capite, quia jurat sine intentione jurandi, ut probatum est.

6 An autem jurans hoc modo teneatur ad promissa servanda? Raph. de la Torre, Cajet. Soto, & alii locis cit. affirmant. Bonac. Sylv. Armilla, Tambur. & alii negant.

Sed quia hæc quæstio dependet ex illa, an hoc sit verum juramentum; & quidèm si est verum juramentum, ex eo nascitur obligatio ex vi juramenti, quantùmcumque habuerit animum non se obligandi, cum obligatio naturaliter oriatur ex juramento, itaut ipso posito, non sit in potestate jurantis ipsam excludere: unde incohærenter loquuntur, qui ex eo capite negant oriri obligationem, quia ille habuit intentionem non se obligandi; sic enim etiam posset dici non teneri ad implendum, qui habuit animum se obligandi, sed non implendi. Si verò dicatur non esse verum juramentum, ut vult Tambur. sic consequenter ex vi juramenti non oritur obligatio, sed ex alio capite, ut diximus de jurante sine animo jurandi. An autem sit verum juramentum, pendet ex intentione jurantis, supponimus namque habuisse animum verè jurandi, sed non se obligandi. Nec ex eo, quia habuit expresè voluntatem non se obligandi, debet dici non fuisse verum juramentum; quia hæc est quid

con-

consequens, prius autem potest subsistere sine suo posteriori. Tum quia; quare voluntas non se obligandi annullat veritatem juramenti, & non potiùs voluntas jurandi annullat voluntatem non se obligandi, ac proindè potiùs inducat obligationem, quàm hujus exclusio annullet illud, maximè cum illud sit prius prioritate saltem naturæ.

Potest tamen contingere, quòd aliquis rusticus pro eodem accipiat nolle se obligare per juramentum, ac nolle jurare, licèt non habeat voluntatem explicitam non jurandi, at si positivè explicitam voluntatem habet jurandi, juramentum est verum, & voluntas sequens non se obligandi, est nulla.

7 Tandem hìc, pro complemento, & in gratiam casuistarum, explicandæ sunt quædam jurandi formulæ: pro quo.

Sciendum est primò: aliquoties assumi creaturas in testes ad confirmandum aliquod dictum: quod licitè, & illicitè fieri potest, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 6. Licitè quidem fit, quandò creaturæ assumuntur, ut in Deum relatæ, quatenus scilicet in eis relucet Divina veritas, & sic idem est, ac invocare Deum in testem, quod positis comitibus juramenti, nempè, Veritate, Justitia, & Judicio, licitum est. Alio modo illas assumendo per se & non relatè ad Deum, & hoc dupliciter, vel enim assumuntur ut testes fallibiles veritatis, & sic non est illicitum per creaturas jurare, sed juramentum non erit: vel assumuntur ut testes infallibiles veritatis, & hoc modo illicitum est, exhibetur enim eis Divina reverentia, quod est blasphemum, & ad Idololatriam pertinens: & hoc modo *Matt.* 5. vetuit Christus jurare per creaturas, & in *cap. Clericum* 2. 2. *q.* 1. & *cap. si quis* acriter reprehenduntur clerici per creaturas jurantes. Similiter illicitum, & blasphemum est jurare per membra Christi, & Sanctorum inhonesta; videntur enim irreverenter assumi, & tanquàm probrosa, & ignominiosa eis objici. Vide D. D. de juramento ex professo agentes.

Similiter, invocare Dæmones in testes, vel animas damnatorum, ut Mahometi, Lutheri, &c. illicitum est, esset enim error in Fide, vel superstitio gravis, dum putatur eos omnia nosse, & mẽtiri non posse, & etiam si in ordine ad Deum assumantur, illicitũ est; quia licèt in eis, in esse naturę reluceat veritas Divina, tamen

nomine invocetur Deus in testem veritatis; & ideò blasphemia judicatur *cap. movet 22. q. 1.* nisi fortè juramento execratorio invocetur Dæmon, hoc modo, Diabolus me apprehendat, me torqueat, vel quid simile; in hoc enim non adhibetur ei reverentia, sed assumitur ut instrumentum Divinæ Justitiæ ad torquendos, & cruciandos homines, quod ei convenit, & in opprobrium ejus cedit.

Sed quæris: quomodo cognoscendum est an invocentur creaturæ cum ordine ad Deum?

Dico quòd creaturæ aliquæ habent aliquam insignem dignitatem à Deo, per quam excitatur nobis peculiaris aliqua memoria Dei, ut sunt Sancti Angeli, Beatorum nomina, Beatissima Virgo, Sacramenta, Euangelium, Sancta Crux, & aliæ res sacræ: & per hæc si juretur, intelligitur ordo ad Deum, seù Deum in illis invocari. Idem etiam docent plures, si per Animam juretur, in qua relucet specialiter Deus; cum sit res spiritualis, capax gratię, & Beatitudinis. Cęteræ verò creaturæ si assumantur, quæ specialem non habent dignitatem, quantùm est de se, non intelliguntur referri ad Deum, nisi aliquod additum apponatur, ut si dicatur, per Cœlum Dei, per hunc ignem Dei. Et aliqui in Sicilia solent jurare aliquando per aliqua comestibilia, dicendo lingua vernacula: *per chista gratia di Diu*: Potest enim gratia latè dici, quia est donum Dei. Vel aliquoties si juramento execratorio adducantur res dilectę, ut dicendo: videam occisum filium meum: quod interpretandum est relatè ad Deum, idest Deus me puniat in occisione filii mei: quo modo legitur *Gen. 42.* Joseph jurasse per salutem Pharaonis.

8 Quędam autem sunt formulę dubię, an sint verba juramentum continentia; & sunt istę; per fidem meam, in fide hominis Christiani, in bona fide, & quidem si sine alio addito proferantur, & nisi intentio proferentis determinet ipsa ad Fidem supernaturalem, ex se non sunt verba juratoria. Ita Cajet. *super art. nuper cit.* D. Th. Sotus, Covarr. Finelus, & alii cit. à Raph. Torre *q. 89. art. 6. disp. 3.* qui ait esse communem Theologorum, & Summistarum, quamvis multi Jurisperiti contrarium asserant. Ratio est, quia ex communi usu loquendi usurpantur pro fide humana, idest hominis fidelitate, quę etiam esse

potest

potest fides hominis Christiani : secùs verò, si dicatur in fide Christi, vel Christiana. Multò minùs juramentum erit dicendo: in fide boni viri, in fide Equitis; sicut Sacerdos, sicut Religiosus, sicut Christianus, nisi aliter intentio dicentis illa verba determinet.

Similiter in ipsa Divini nominis invocatione contingere potest aliquando non esse juramenta, scilicet, si simpliciter enunciando, non verò invocando in testem proferatur; ut cum dicitur: ò Fides Dei; Deus scit; hoc quod dico est Euangelium; coram Deo ita est, & similia. Pariter in aliquibus nationibus solet invocari Deus, itaut videatur esse juramentum, sed tamen, ob usum usurpari consueverunt, ut emphases loquutionis, undè nisi intentio jurandi adsit, non sunt censenda juramenta: sicut in Sicilia ad omne ferè verbum plebei addere solent: *per Dio*; quod est dicere: per Deum: sicut etiam in Calabria contingere solet, & alia in aliis nationibus.

PROPOSITIO XXVI.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propria spontè, sivè recreationis causa, sivè quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intrà se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

1. TOta hæc Propositio ex hoc dependet; an licitum sit uti restrictione mentali: nam si licita esset ex se, quocumque fine adhibito: qui ex se non vergeret in detrimentum Proximi, semper esset licita: vel si ex se non esset illicita, nunquàm, nisi ex aliquo illicito fine adjuncto esset illicita. Potest autem multipliciter usurpari, vel subintelligendo mentaliter alium locum, ut si dicat, se non comedisse, subintelligendo in Ecclesia; vel tempus, ut si dicat se non lusisse, intelligendo, nocte; vel subintelligendo in promissionibus aliquam conditionem: pudabo tibi centum aureos, subintelligendo, si dabis mihi

prædium; ſi Judex me condemnabit ad ſolvendum; & ſimilia.

DoctoresThomiſtæ, ut Cajet. Soto, Raph. Torre, Minutulo in *addit. q. 2. art.* 4. noviſſimè Gonet in manuali *tom.* 5. *tract.* 8. *cap.* 2. §. 3. & alii ſemper tenuerunt reſtrictionem purè mentalem illicitam eſſe, & juramentum adhibitum non minùs eſſe perjurium, ac ſi mendacio ſine illa rectrictione adhiberetur, vide Baron. *p.* 1. *diſ.* 1. *ſect.* 5. *art.* 3.

Contrarium tamen docuere Navarr. Tabiena, Bon ac. Sanch. Suar. Valent. Leſſius, Azor. Clavis Reg. & alii quos noviſſimè ſequutus eſt Tambur. intolerabiliter tamen excedens, nam *cap. 2. de juram.* §. 2. *n.* 4. ait: licere uti hac mentali reſtrictione, quando verba illam non patiuntur, ſed pro libera voluntate, proferendo unum, & intelligendo aliud, putà (verba ſunt ejus) *Juro me non dormiviſſe, intelligendo me non comediſſe*, & adeò contagioſus hic morbus inoleverat, ut ferè omnes homines eo eſſent corrupti: immò & Doctis tàm altè inſederat, tàm profundè radices fixerat: ut hodie de hujus damnatione Propoſitionis, conqueri plures viderim, ſe valdè implicatos in quibuſdam occaſionibus reperiri aſſeverantes: dùm veritatem dicere non expedit, eamque reſtrictionibus mentalibus tegere non licet.

2 Pro falſitate igitur impugnanda, horumque ſcrupulis medendis; eſt ſciendum, reſtrictionem mentalem dupliciter uſurpari poſſe: primò itaut mente ſolùm concipiatur additio, quæ ex nullo exteriori indicio, & circumſtantia poſſit deprehendi: & juxtà illam loqui, qui ea utitur, nullo exteriori ſigno poſſit cognoſci: & hæc appellatur reſtrictio purè mentalis: alio modo poteſt reſtrictio mentalis ita uſurpari, ut ex aliqua exteriori circumſtantia poſſit cognoſci in eo ſenſu loquutum fuiſſe, licèt ad illam circumſtantiam non advertant audientes: ut ſi ſermo eſſet in congreſſu de aliquibus, qui ſimul vineam ingreſſi, uvam indè excerpſerint, & ego cum eis fuerim, ſed cauſa tranſeundi, nec uvæ recemum tetigerim, ſi in diſcurſus progreſſu interrogarer; an cum eis fuerim, & reſpondeam me non interfuiſſe: quod ſecundùm circumſtantiam diſcurſus intelligi debet non interfuiſſe ad furandum. Hoc ſecundo genere reſtrictionis mentalis licitè quemlibet uti poſſe aſſerendū videtur cum Gonet *loco cit.*

nec

nec in hoc ſenſu mentalem reſtrictionem damnatam eſſe. Hoc ſecundum patet ex Propoſitione adducta, ubi dicitur: *intelligendo intra ſe &c. vel quodvis additum verum*, ubi ſermo eſt de reſtrictione primo modo ſumpta, ut eſt purè mentalis; ſed illa Propoſitio damnatur juxta ſuum ſenſum: ergo non ſe extendit damnatio ad hoc ſecundum genus reſtrictionis mentalis. Tùm quia, re vera hæc non eſt reſtrictio mentalis; unde etiam ſi reſtrictio non adeſſet, benè conſideranti perſpicua foret reſponſio, ut patet in exemplo allato: ſed potiùs dicenda eſt loquutio formalis, reſpondens ad id, quod de formali importatur in interrogatione.

Quòd verò hoc genus mentalis reſtrictionis ſit licitum, patet primò, quia hoc non eſt contra id, quod convictus humanus expoſcat; utpotè fini loquutionis non contrarium, cum verba ipſa in illa circumſtantia ex ſe ipſis faciant ſenſum verum, & ſatis perſpicuum audientibus. Secundò conſtat ex hoc, quòd Chriſtus Dominus hoc genere loquutionis uſus eſt *Joan.* 7. cum dixit. *Ego non aſcendam* cum tamen poſteà aſcenderit; quia ſcilicet ex circumſtantia petitionis eorum, quæ conſiſtebat in hoc ut palam aſcenderet, verum reſponſum dedit, *non aſcendam*, quia poſteà occultè aſcendit. Et etiam *Marc.* 13. cum dixit: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque filius hominis*: ubi gloſ. interlinearis ſuperſcribit, *nobis*, ideſt non ſcit, ad nobis dicendum: quod ex circumſtantia colligi poterat: non enim diſcipuli interrogabant, an ipſe pro ſe ſciret, ſed petebant, ut ipſis manifeſtaret, & ad hunc finem petitionis exhibitæ verum eſt ipſum neſciſſe.

3 Ex quibus patet, quòd ſi aliquis interrogetur de aliquo, quod ſub naturali ſigillo, vel confeſſionis ſcit, poteſt ſine mendacio reſpondere, ſe neſcire; quia interrogatio eò tendit, ut pandat, & manifeſtet interroganti: qui autem taliter ſcit, revera neſcit, ut manifeſtet alteri, & ſi importuniùs interrogaretur, an in confeſſione tale quid audierit, etiam ſine mendacio reſpondere poterit non audiviſſe: quia eò tendit interrogationis ſenſus, ut manifeſtet, quod revera, ut manifeſtet, non audivit ſi enim hoc modo reſtrictionis non eſſet licitum uti, nullus eſſet modus licitè celandi ſecretum, quod ſine gravi damno, vel inco-

K 3 modo

modo manifeſtari nequit: nam ſæpè dicendo, non poſſum tibi dicere, & vel quid ad te? videtur conſentire ſe ſcire, ſed nolle dicere, & interrogans, hoc ipſo certioraretur de eo, quod cupit ſcire: hoc autem humano convictui non minùs eſſet perniciosum, quàm ipſum mendacium: pro impugnatione tamen prędictæ Propoſitionis.

4 Dicendum. Uti reſtrictione purè mentali eſt illicitum; itaut ipſa non excuſet à mendacio, ac proindè nec à perjurio.

Probatur primò. Ideò mendacium eſt malum, quia cadit suprà materiam indebitam, ſcilicèt, quia voces, quæ debent explicare id, quod eſt in mente, cum ſint ſigna conceptuum, ad hoc non aſſumuntur, ac proindè eſt contra finem loquutionis, & humano convictui nocivum, ſed non minùs hæc ſequuntur ex falſis vocibus, ſi nulla mentalis reſtrictio addatur, quàm illa addita: ergo uti reſtrictione mentali eſt æquè illicitum, ac mendacium. Probatur Minor, quia etiam addita illa reſtrictione mentali, voces externæ non ſignificant id, quod eſt in mente, quia cum illa reſtrictio non ſit nota, idem explicant audientibus, ac ſi illa non eſſet, ſed ſi illa non eſſet, jam explicarent contrarium ejus, quod eſt in mente: ergo &c. ac proindè eſt contra finem loquutionis, qui eſt ut homines, per voces, & ſigna externa, mentis conceptus explicent, ſeu ſignificent audientibus, qui non explicantur, illa reſtrictione addita, & conſequenter humano convictui eſt valdè nociva, cum ſocietas humana ſubſiſtere nequeat, ſi unus alterius non percipiat voces, quæ debent mentem patefacere.

Confirmatur. Hominibus non loquimur per ſigna mentalia, neque per ſigna miſta ex vocalibus, & mentalibus, ſed per ſola ſigna vocalia: ergo quando ſigna vocalia falſum ſignificant etiam quacumque reſtrictione mentali, falſum ſignificabunt hominibus, ac proindè erit falſa vocis ſignificatio, quod eſt mendacium, & conſequenter, & ſi juramento firmetur, erit perjurium: prima conſequentia probatur, quia ſi per ſola ſigna externa loquimur hominibus, illa reſtrictio mentalis non eſt ſignificativa hominibus, undè perindè eſt, ac ſi non eſſet; nihil enim ampliùs ſignificatur hominibus ea appoſita, quàm non appoſita: ergo ſicuti ſigna vocalia falſum ſigni-

gnificant, nulla apposita restrictione mentali; ita ea apposita.

Hinc Caramuel licèt aliàs laxitatum promotor, optimè in hoc puncto discurrit: unde *Theol. fundament. num.* 1282. nervosè restrictiones mentales refellit, & ita ait: *Quòd si tales dicantur ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes (ignoscant mihi earumdem Authores, & propugnatores) tollunt humanam societatem, & tanquàm pestiferæ damnandæ sunt, quoniam semel admissæ aperiunt omni mendacio, & omni perjurio viam: & tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam, & malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur restrictio mentalis nominari, quod est virus condire saccharo, & scelus specie virtutis.*

Probatur secundò ex inconvenientibus. Si hæc sententia esset vera, innumera enormia juramenta deberent admitti, & hæreses excusari; ex.gr. si quis juraret Christum non fuisse natum: & mente conciperet in Aegypto; non fuisse in Jerusalem, mente subintelligendo, eo tempore quo fuit in terra Ægypti; ipsum non resurrexisse à mortuis; id est ante noctem Dominicæ precedentem, & similia.

5 Nec valet id, quod ait Tambur. nullum pactum extare, nè homines utantur vocibus materialiter, & non significativè. Non inquam valet, quia quando quis loquitur homini, ut manifestet conceptus suos, debet illas significativè proferre, hoc exigente fine loquutionis. Tùm etiam quia, etsi licitum foret illas materialiter, & non significativè afferre; attamen non esset licitum illis uti ad aliud diversum significatum eo, quod habent: non quia sit aliquod pactum Reipublicæ, sed quia naturale, & proprium munus vocum est, ut conceptus explicent, ad hoc enim sunt institutæ; non explicarent autem conceptus nostros, sed alios, si assumantur ad significandum aliud ab eo quod significare consueverunt, ut vult Tambur. dicendo se non dormivisse, ad significandum se non comedisse. Cui hoc quęso significaret, nisi sibi ipsi? Quomodo possent homines ampliùs convivere, si cuique liceat significare, quacumque voce, quodcumque ei libuerit?

PROPOSITIO XXVII.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum, itaut occultatio veritatis censeatur tunc expediens, & studiosa.

1 DOctores citati in præc. Proposit. qui tuebantur illam ferè communiter asserunt jurantem cum illa restrictione mentali, sine causa, peccare venialiter: quia deesset illi juramento discretio, quæ est tertius comes juramenti: si verò aliqua subesset causa justa, neque venialiter peccare: & tunc solùm admittebant peccare mortaliter, cum in judicio justè interrogatus à Judice, ea uteretur, vel in materia præjudiciali Proximo, & gratia ipsum decipiendi, quod intelligit Tambur. de deceptione in re gravi, nam si in re levi, ait esse veniale. Deindè assignantes quænam sit justa causa excusandi etiam à veniali, subdunt ea, quæ continentur in præsenti Propositione: aliqui eorum sparsim, nunc unam, nunc aliam assignantes: quam ferè totam simul, & paucis mutatis verbis tradit Bonac. *disp. 4. in Decal. q. 1. punc. 12. num. 2. in fine.*

2 Ad ejus impugnationem sufficiunt, quæ prec. Proposit. dicta sunt: nam si illa non licet uti restrictione, cum preceptum non pejerandi sit negativum, nulla potest esse causa justa ea utendi, excusans à peccato perjurii; cui aliam rationem addo. Significatio conceptuum humanorum pertinet solùm ad voces, vel externa signa; itaut veritas sit in mente, tanquàm in subjecto, in vocibus autem tanquàm in signo; unde enunciatio vocalis definitur ab Arist. est oratio verum, vel falsum significans ergo quando verba ex se ipsis non significant id, quod est in mente, tunc est falsa vocis significatio, & consequenter mendacium. Nec pura mentalis restrictio, ad quam non pertinet significare, potest ad verum significandum illas voces determinare; quod enim non est significativum, non potest alterius significa-

ficativi significationem coarctare, vel simul cum illo consignificare; veritas autem illius dicti cum mentali restrictione, coalesceret ex utroque tanquàm ex duplici consignificativo; quod non convenit ipsi mentali restrictioni: ipsa aut potest facere, ut veritas objectiva sit in mente dicentis, itaut ipse veritatem intelligat: & in hoc consistit mendacium, dum id, quod habet in mente non exprimit verbis, sed aliud longè diversum: Et ad hoc facit quod Aquilinus obtutus S.P. Aug. qui ita differtè de mendacio scripsit in libro contrà mendacium, ita nullam justam causam mentiendi agnoscit, ut contra præfigentes regulas: & fines mentiendi *cap.* 18. exclamet: *ò ubi estis fontes lacrymarum? &c.* ita omnem causam excludit, ut neque pro vitanda certa morte Proximi, neque pro Animæ salute, & ad baptizandum hominem, asserat licere, ut ad eum perveniatur, mentiendo decipere custodes. Caligaverunt nè in reperiendo hoc tàm pervio remedio recurrendi ad restrictiones mentales, quo, & mendacium vitaretur, & saluti temporali, vel spirituali Proximi consuleretur? Attendant hi DD. verba Domini Matt. 5. *Sit in ore vestro, est, est, non, non*; ò infœlicia tempora illa, possemus dicere cum istis Doctoribus, in quibus homines recursum ad mentales restrictiones non cognoverunt; undè, ut refert & pro exemplo ad imitandum adducit S. Aug *lib. cit.* Firmus Episcopus Tagastensis, cum ab eo quæreretur homo, jussu Imperatoris tunc Gentilis, quem ad se confugientem quanta poterat diligentia occultabat, respondit quærentibus: nec mentiri se posse, nec hominem prodere: passusque multa corporis tormenta permansit in sententia.

3 Hic tamen est advertendum, quòd præter restrictionem mentalem alia deceptio potest reperiri in ipsa verborum significatione, nempè si verba secundùm se, & quacumque restrictione mentali præcisa, sint ambigua, & plures sensus habeant, malè enim utrumque genus confundunt aliqui. Hoc autem dupliciter contingere potest, ut notat Cajet. vel quia verba sunt æquivoca, & habent plura significata, ut si quis diceret Petrum esse suspensum, quia ejus imago suspensa est: vel dicat: se tangere manibus animam suam, quia tangit idolum quoddam ligneū quod anima nuncupatur, & similia Siculo idiomate plures esse-

efferuntur hujus generis enunciationes. Alio modo contingit, quando verba ipsa unum significatum habent, sed ita artificiosè componuntur, ut plures sensus faciant, ut est illud vulgatum: *Ajo te Aeacida Romanos vincere posse*: & illud responsum Idoli: *Ibis, redibis, non, morieris in bello*; prior æquivocatio: secunda amphibologia appellatur.

De his quæri potest: an etiam juramentum super has cadens enunciationes, dùm in uno sensu est vera, sed in alio falsa, sed à jurante accipitur in sensu vero, ab audiente autem in sensu falso, sit perjurium; & an hoc comprehendatur etiam in præfatis damnatis Propositionibus.

4 Circa hoc secundum dubium existimo, probabile esse, damnationem præfatæ Propositionis non extendi ad has enunciationes, sivè æquivocas, sivè amphibologicas: nam hæc est quædam limitatio præcedentis, in qua solùm de restrictione mentali fuit sermo, & non de verborum æquivocatione, undè cum hìc dicitur; *Causa justa utendi his amphibologiis*, quia pronomen, *his*, designat eas, de quibus erat sermo præsens, contrahit, & determinat sequentem vocem *amphibologiis* non ad quascumque, sed ad illas, de quibus dictum erat Propos. præc. undè ad solas restrictiones mentales videtur extendenda, sed tamen probabile est etiam ad æquivocationem extendi, cum loquantur isti DD. quorum est Propositio damnata, indiscriminatim de æquivocatione, & restrictione mentali: undè juxtà eorum sensum dùm condemnatur Propositio, etiam ad has enunciationes videtur extendi.

Quid autem sentiendum sit in rei veritate; etiam inter DD. impugnantes mentales restrictiones est controversia; nam aliqui eorum licere in uno sensu accipere, & in eo jurare asserunt; pro ejus tamen explicatione.

5 Dico primò: si Propositiones æquivocæ sumantur juxtà principalius significatum, & communiter accipi consuetum, vel frequentius, nullum est mendacium, nec perjurium illas asserere cum Juramento, si in tali sensu sint veræ.

Probatur, pro principaliori significato acceptæ, sumuntur, ut revera accipi debent, nam proprium est earum pro principaliori significato supponere, & nullus locus deceptioni patet; cum

cum juxtà illud audientes intelligant: aliàs in hoc ſenſu ſupponimus eſſe veras: ergo ex nullo capite reputanda ſunt mendacia &c.

6 Dico ſecundò: pro minùs principali ſignificato, & improprio, & non conſueto, non licet illas enunciationes accipere: undè ſi in hoc ſenſu aſſerantur cum juramento, ſi in principaliori ſignificato ſunt falſæ, perjurium erit. Patet ab oppoſito: quia licèt illud ſignificatum habeant; tamen abſolutè, & ſine addito prolatæ, pro principaliori ſupponunt,in quo ſunt falſæ, ac proindè erit falſa vocis ſignificatio, & conſequenter mendacium &c. Undè non ſolùm non licet eis uti in judicio, & in contractibus, ut vult Cajet. ſed etiam in quacumque occaſione.

7 Dico tertiò: poſſunt aſſeri hæ enunciationes in ſenſu minùs conſueto, & improprio, ſi adſint aliquæ exteriores circumſtantiæ, ex quibus conſtet, in illo ſenſu accipi à loquente. Patet, tùm ex dictis Propoſ. præc. de reſtrictione mentali, tùm etiam, quia tunc non eſt æquivocatio formalis, cum jam per illas exteriores circumſtantias determinentur ad unum ſenſum. Nec requiritur, ut omnes intelligant in eo ſenſu de facto accipi à loquente; ſed ſatis eſt, ut vir prudens facilè hoc agnoſcere poſſit; licèt aliàs per inconſiderationem circumſtantiæ, aliquis aliter intelligat: hoc enim non eſt mendacium, ſed veritas aliqualiter occultata, quod non eſt illicitum, niſi quotiès tenemur apertè veritatem confiteri: undè in Judicio Juridicè interrogatus de eo, quod tenetur confiteri, non poteſt hoc loquendi modo uti.

Hinc eſt, quòd ſi aliqua verba ſint adeò æquivoca, ut non habeant aliquod ſignificatum principalius, & magis conſuetum: ſed utrumque ſit conſuetum,at pro diverſitate ſermonis in alio & in alio accipi ſolet; non licet eis uti in alio ſenſu,quàm diſcurſus,vel interrogans expoſcat;nam pro illa circumſtantia ſermonis, non ſignificant, niſi illud determinatè, de quo eſt ſermo, & in alio ſenſu illa aſſerere eſt falſum. E. G. in Sicilia hoc nomen, Sanus, ſolet accipi pro eo, qui benè valet, & pro eo qui eſt Eunuchus; & ſolùm pro qualitate diſcurſus aliter, & aliter accipitur. Si interrogetur quis: an Titius benè valeat, & ipſe ſit infirmus, ſed Eunuchus, mendax erit reſpondens ſanum eſſe, &

ſi Jura-

ſi Juramento confirmet, perjurus. Similiter ſi latina lingua interrogantibus aliquibus, an habeant in facie ſordes, reſpondetur: vos mundi eſtis, quia videlicet in mundo ſunt, cum revera ſordes habeant, mendacium erit, & perjurium, ſi juramentum addatur. Undè Iſid. ait, quòd ſi quis aliter juret, vel reſpondeat, quàm cui juratur, intelligit, dupliciter reus eſt, quia, & Dei nomen in vanum aſſumit, & dolo proximum capit.

De verbis amphibologicis, quæ nullum habent principalius ſignificatum, eodem modo dicendum eſt. Quòd ſi nec à diſcurſu coarctari poſſunt ad aliquem determinatum ſenſum, in utroque ſenſu poſſunt aſſeri, ſi uterque eſt verus, vel in altero vero.

8 Collige ex dictis, quòd ſi in aliquo hominum congreſſu, ubi recreationis cauſa, & ingenii acuendi, ad hoc tendit diſcurſus, ut ænigmata proponantur, verba æquivoca, & metaphoræ, quas ſpiritus, & ſales appellant Itali: hujuſmodi verbis quis utatur æquivocis, in ſenſu improprio, etſi in proprio eſſent falſa, nullum mendacium erit; tum quia figurata loquutio mendacium non eſt, ut ait D. Aug. in lib. contra mendacium: tum etiam quia ex illa circumſtantia diſcurſus, jam ſatis determinantur, ut ſint accipienda in ſenſu improprio, & quaſi inter colloquentes pactum implicitum intervenit, ut hoc modo intelligantur; eſſet tamen veniale, Juramentum adhibere; quia deeſſet diſcretio, ut ait Cajet. non enim debet Divinum teſtimonium hujuſmodi duplicitatibus immiſceri.

Si autem aliqui inter ſe convenerunt de aliquo modo loquendi ſub Cifra, ut ajunt, nè ab aliis intelligantur, & coram aliis unus alteri loquatur verba, quæ præſeferunt alium ſenſum falſum; ſed juxta eorum pactum continent verum: tunc non eſt mendacium, nec perjurium, etiamſi alii decipiantur; ſed eſt occultatio veritatis, iis, quibus ſcire non expedit.

PROPOSITIO XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel ad officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare Juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

1 SUppono tanquàm certum ex D. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. & 2. & Cajet. *ibid.* & communiter receptum; quòd si reus secundùm Juris formam legitimè interrogetur à Judice, tenetur ei veritatem fateri. Tunc autem secundùm Juris formam interrogari, cum infamia præcessit delicti, & tunc procedit per Inquisitionem, ut habetur. *Extrà de accusat. Cap. Inquisitionis*, vel quandò manifesta habentur indicia propriè sumpta; eo modo, quo à Juristis accipiuntur: vel cum præcessit semiplena probatio. In his casibus tenetur veritatem fateri, quando reo constat Judicem legitimè interrogare: unde ipsi debet Judex manifestare, ut sciat se esse in tali articulo constitutum, ut teneatur obedire Judici; alioquin, cum ipse se putet occultum; potest enim ignorare probationem, & indicia, quæ est ignorantia facti, non Juris: excusatur ab obligatione confitendi.

Si verò Judex non legitimè interrogat, putà si prædictæ conditiones non concurrant, non tenetur veritatem fateri; ac proindè crimen occultum fateri non tenetur, ut idem *art.* 1. & 2. *cit.* asserit. Observat tamen S. D. tàm veritatis amator, ut in hoc casu non liceat mentiri, quamquàm liceat veritatem tacere; vel non respondendo ad id, ad quod non tenetur respondere, vel aliter licitè subterfugere.

Verùm quomodo excusatur à perjurio, non solùm si neget se fecisse, quod re vera fecit, vel etiam si ad talem interrogationem non respondeat, cum in principio Judex ab ipso Juramentum exegit de respondendo ad interrogata, & veritate dicen-

cenda? Sivè enim neget, sive taceat, semper contra præstitum Juramentum operatur.

Sed circa hoc recolenda sunt, quæ suprà diximus; nempè non esse illicitum uti restrictione mentali, cum ex aliqua exteriori circumstantia cognosci potest in eo sensu aliquem loqui. Potest igitur in tali casu, imò, & de facto, in hoc sensu præstatur Juramentum dicendi veritatem, & respondendi ad ea, quæ tenetur; cum enim ipse judicii locus, & auctoritas Judicis, & cæteræ circumstantiæ non faciant sensum, nisi in iis, quæ ad Judicium spectant, & ad quæ habet Judex legitimam potestatem: illud enim Juramentum ad hoc tantùm ex prædictis circumstantiis coarctatur, & etiam ex interrogatione Judicis, qui cùm putetur juxta mentem boni viri, non interrogare, nisi de iis, quæ legitimè potest, implicitè, cum interrogat, an tale quid fecerit, intelligitur, quod fateri teneatur vel quod ipse præcipere potest, ut sibi dicat. Et in hoc sensu, qui revera crimen commisit, sed est occultum, verè respondet, non fecisse, nempè tale, quale tenetur confiteri, quale ipse potest præcipere, ut sibi dicat: eo modo, quo Christus Apostolis dixit. *Neque filius hominis scit*. Et etiam si Judex hanc intentionem non haberet; sed extorquendi secretum, tunc non procedit, ut Judex, & ille Juramento non se obligavit ad respondendum personæ, sed Judicis officium exequenti.

Hoc igitur supposito damnata Propositio similem doctrinam videtur continere: nam Juramentum cum illa restrictione mentali de respondendo ad ea, quæ fateri tenetur, quę ut licita admittitur, & aliàs ex communi sententia reus non teneatur fateri crimen occultum; Cur igitur hoc erit illicitum in casu præsentis Propositionis? Vel cur non erit similiter illicitum reo negare crimen occultum coram Judice? An igitur etiam adhoc extendenda est damnatio prædictæ Propositionis? An verò in solo casu in ipsa expresso debeamus sistere? Pro resolutione.

2 Dico primò: prædictæ Propositionis damnatio non est extendenda ad alios casus, quibus reus interrogatur de crimine occulto. Patet primò, quia hæc est communis DD. sententia, & est

& est quid naturam judicii concomitans, & habetur. *Cap. Qualiter, & quando de Accusationibus*. Secundò, quia specialis assumitur, & damnatur Propositio, non generalis, quæ omnes casus particulares comprehendere posset: & aliàs si intentio damnandi cæteras fuisset, non defuissent similes Propositiones apud Bonac. *disp.* 10. *in Decal. q.* 3. *punc.* 2. licèt ipse de Juramento taceat. Apud Tambur. *lib.* 3. *Decal. cap.* 4. *§.* 3. clarè loquentem de adhibito Juramento ipsius rei cum æquivocatione; & alios. Constat etiam ex serie prædictarum Propositionum, in quibus, etiàm si aliqui casus comprehendi potuissent in aliqua Propositione; tamen magis explicitè damnati sunt in sequenti: ut patet in Proposit. 32 & 33. ergo cum non in quadam forma generali tradita sit præfata Propositio, sed de casu speciali loquatur, ad alios casus non est extendenda.

3 Dico secundò: taliter promotum ad Magistratum, non posse licitè Juramentum præstare; etiam si crimen sit occultum.

Probatur. In tali casu restrictio mentalis pura posset intervenire, & non posset ex exterioribus circumstantiis determinari ad alium sensum intentum à Jurante; sed ea uti illicitum est, & perjurii culpam non tollit, ut ex superioribus satis constat: ergo illicitum est tale juramentum præstitum à tali promoto. Major probatur. Circumstantia exterior ea esset, ut Judicis recta intentio, & forma Judicii inquirat de crimine, quod sit semiplenè probatum, & non omninò occultum, ut in aliis criminibus: sed in hoc casu locum non habet prædicta circumstantia; ergo non posset ex exterioribus circumstantiis determinari, sed esset restrictio purè mentalis. Minor probatur: quia in prædicto casu Judex exigit Juramentum de occulta munerum donatione, & leges super hoc latæ, vel mandatum Regis de occulta traditione loquuntur, quod patet ex eo, quia non proceditur per denunciationem, aut accusationem, & per testes, sed statutum est, ut quisque præstet Juramentum, & in eo sistitur. Tum quia, hæc non est actio rigorosè judicialis, quæ tendit ad punitionem rei; sed ad correctionem, & emendationem abusuum, ut forsan timore non pejerandi, dùm

sciunt

sciunt se juraturos, à procuratione officiorum, mediantibus muneribus abstineant; quod ad bonum commune, Reipublicæ conservationem, & rectam gubernationem maximoperè conducit; dum indignorum promotio vitaretur. Frustraretur autem, & Reipublicæ finis, & communis utilitas, si occultam munerum largitionem non teneretur confiteri; cum semper hæc occulta sint. Tum denique, quia, cum promotio ad Magistratum, vel officium publicum sit materia gratuita, potest ei aliquod onus, ut conditio apponi, quod non apponitur in Judicio punitivo: unde potest imponi hoc onus jurandi, & manifestandi occultam munerum largitionem, tanquàm conditio: quòd si alicui grave hoc onus videtur, est in ejus libertate ab eo se eximere, Magistratum non quærendo. Ex quibus patet disparitas ad rationem dubitandi.

4 Ex dictis inferes contra de Lugo *de Just. tom.* 2. *dis.* 39. *sect.* 3. *num.* 15. & Joann. Sanc. in selectis *disp.* 43. *num.* 23. & alios ab ipso cit. falsum esse reum legitimè interrogatum à Judice, ut cum præcessit semiplena probatio, indicia gravia, infamia, ad effugiendam mortem excusari à peccato mortali, si non confiteatur crimen suum; & posse cum æquivocatione, & restrictione mentali Juramentum præstare. Quod Tambur. *lib.* 3. *Decal.cap.* 4. §. 3. extendit etiam si nulla spes effugiendi mortem ex tali negatione criminis eluceat. *num* 7. *& num.* 9. extendit ad quodcumque malum grave effugiendum, scilicèt exilium, amissionem bonorum, triremes, gravem infamiam, citatque de Lugo. Immò intolerabiliter ampliat *num.* 10. ad malum leve effugiendum; nisi bonum commune Reipublicæ, vel damnum tertii aliter exigat. Contrarium tamen docuit S. Th. 2. 2. *q.* 69. *art.* 1. Sot. Navar. Silv. Sanch. & alii, fuitque communis opinio per sæcula præcedentia hoc Ævum, in quo laxitas cæpit obtinere.

Falsum inquam est: & præscindendo à malitia, quam habet ratione præcepti obedientiæ, dum ei præcipitur ab habente potestatem, & in eo, in quo obedire tenetur, ut discurrit S. T. loco cit. Nec ille concurreret ad se occidendum, vel malum sibi inferendum; quia licèt illa confessio ad hoc concurrat; tamen cum ipsa non sit voluntaria, sed necessaria, dùm ei necessitas

ſitas reſpondendi imponitur à juſtè interrogante, cui obedire tenetur, conſequenter non ipſe ſibi malum infert; ſed ille, qui ei neceſſitatem imponit, ut ex eodem D. Th. *loco cit. ad* 1. colligitur. Pręſcindendo inquam ab hoc: nullo modo cohoneſtari poteſt Juramentum; nam ex illo capite Æquivocationis, & reſtrictionis mentalis non tollitur fœditas perjurii, ut ex ſupradictis conſtat. Neque circumſtantia exterior illud honeſtans adeſt, dùm Judex interrogat de eo, quod fateri tenetur. Unde eſſet purè mentalis; quæ non eſt admittenda. Nec mortis evaſio, aut pænarum poteſt licitum reddere perjurium, cum S. P. Aug. ſæpè cit. ſimplex mendacium neget licitum eſſe ad mortem Proximi, vel ſuam vitandam; etiam ſi injuſtè mors eſſet inferenda; vel ad animæ ſaluti ſubveniendum; illud inculcans. Non ſunt facienda mala, ut mala vitentur: ergo nullo pacto licebit reo in caſu poſito, ut mortem, vel aliud malum effugiat, mentiri coram Judice; multò magis Juramento mendacium confirmare. O ſæcula! O mores! Trepidarunt Sancti Patres ad mendacii aſpectum, integris linteis deglutire, non erubeſcunt perjuria moderni! O Divina Lex, ubi obſervantiam invenies, ſi in his, quæ ſunt primæ tabulæ, & negativa præcepta, tot reperiuntur effugia.

PROPOSITIO XXIX.

Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

1 Simulatio definitur à S. Th. 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. quòd ſit per ſigna rerum, ſeu factorum ſignificare contrarium ejus, quod in ſe quiſque habet. Seu, ut ait Cajet. ibidem. Eſt falſa facti ſignificatio, ſicut mendacium eſt falſa vocis ſignificatio. Unde hujuſmodi ſimulatio, ut concludit idem S. D. Eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Et ut advertit Cajet. Simulatio materialiter, non formaliter differt à Mendacio. Idem docet S. Ambr. in quodam ſermone relatus à D. Th. 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. quod etiam refertur in Decr. 22. *q.* 1.

Cap. Cavete, & *Cap. Extimant.* 11. *q.* 3. & *c. Cum Dilecti* 1. *extrà de Appellat.* dicitur. *Et factis appellamus*, *& Cap. sit Rector d.* 43. *& operibus etiam prædicamus.*

Hanc doctrinam præsentis Propositionis amplexus est Joann. Sanc. in selectis *disp.* 35. *num.* 6. loquens de Sacerdote consecraturo omnem panem, qui est in Foro, & de impendente absolutionem; licèt num. 3. id neget de ministraturo Eucharistiam occulto peccatori, porrigendo illi Hostiam non consecratam; quia tunc non supponit incuti metum. Pro resolutione tamen.

2 Dicendum est ob nullam causam, aut metum excusari à peccato simulantem administrationem Sacramentorum.

Probatur ratione fundamentali. Simulatio est mendacium in factis; sed nulla datur causa excusans à peccato mentientem, neque bonum Proximi, neque timor vitæ ut docet D. T. & Aug. & patet ex locis suprà cit. in præcedentibus Propositionibus: tum etiam, quia præceptum de non mentiendo est negativum, & consequenter in nullo casu cessat ejus obligatio. Tùm etiam, quia est de se, & intrinsecè malum; & consequenter in nullo casu est licitum: ergo ob nullam causam, aut metum excusatur a peccato simulans administrationem Sacramentorum.

Quod autem ait Sancius, in casu gravis metus non esse mendacium illam simulationem, cum adsit justa causa utendi Æquivocatione, jam explosum est, Æquivocationem, vel mentalem restrictionem excusare à mendacio.

Probatur etiam ex S. Scriptura. Sap. 1. dicitur: *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, idest. Spiritus Sanctus disciplinæ Author, & doctrinæ effugiet hominem aliud efficientem, quàm apparentem efficere, ut explicant Glos. interlin. & Lir. ibidem: ergo simulator administrationis Sacramentorum, cum fictè agat in re tàm gravi, non potest à peccato excusari.

3 Sed quæres: an sit peccatum mortale ex se, vel ratione materię possit esse aliquando veniale, aliquando mortale, sicut mendacium?

Respondetur semper esse mortale. Ratio est, quia est mendacium in materia gravi, qualis est materia Sacramentorum. Tùm etiam quia, ut dictum est, qui jurat sine animo jurandi committit peccatum mortale; quia illudit Divino testimonio, sed

sed iste illudit Divinis signis; Sacramenta enim sunt signa rei sacrę à Deo instituta, & in maxima veneratione à fidelibus, multò magis ab eorum Ministris habenda.

4 Hinc sequitur primò: Confessarium loquentem cum muliere de turpibus in confessionario, etiam extrà confessionem, peccare peccato sacrilegii, si fingit se Confessionem audire, & Sacramentum ministrare: unde optimè meritò inter sollicitantes computatur in Bulla Greg XV. & ex Decr. Rom. Inquisit. & pœnis sollicitantibus debitis punitur: si verò non fingat Sacramenti administrationem, sed de turpibus, vel de aliquo flagitio perpetrando confabuletur, peccatum quidèm sacrilegii erit; non quia fit injuria Sacramento, cujus administratio non simulatur, dum non fit aliquis actus exterior directè id ostendēs, sed quia fit injuria illi loco ad hoc Sacramentum peragendum specialiter deputato. Quapropter si de rebus licitis loquantur, dum non adhibetur aliquis exterior actus fictionis indicans Sacramenti administrationem, non erit peccatum mortale; quia neque Sacramento fit injuria, nec loco, nisi venialiter, quia usurpatur ad alium finem ab eo, ad quem institutus est: & ab hoc etiam excusabitur, si urgens causa adsit; vel si de animæ pertinentibus loquatur.

5 Sequitur secundò; nullo pacto licere Sacerdotem proferre verba absolutionis, non intendendo absolvere eum, qui sibi mortem minatus est, ob rationem allatam. Est contra Sanc. & alios ab ipso citatos *loc. cit. n.* 7. multò minus licitum est id, quod asserit *n.* 7. posse ob solatium scrupulosi, verba absolutionis sine intentione proferre, si desit materia, vel ille careat usu rationis.

An autem liceat mulierem fictè absolvere, quę tamen non debet absolvi, quia est indisposita: sed tamen infamia ei oritur propter astantes; immò, & periculum si maritus sit pręsens: quinimmò ex ejus recessu sine absolutione sigillum Confessionis aperitur.

Ad hoc dicendum absolutè, non licere proferre absolutionis verba sine intentione absolvendi; cum enim hoc sit per se malum, & mendacium in nullo casu licet: unde D. Aug. super Gen. q. 42. citat. à D. Th. 3. *p. de Sacramentis q.* 21. *art.* 6. *ad* 2. dicit. *Periculosissimè admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid*

 mali

mali, nè alius gravius malum faciat. Possset tamen, si alio modo non potest scandalum vitare (tamen difficilè puto, astantes posse deprehendere mulierem absolutam non fuisse, si prudenter se gerat confessarius) proferre aliquas preces, putà orationem Dominicam voce submissa. Nec hoc esset simulatio administrationis Sacramenti, sed occultatio veritatis, & repulsæ, & quamvis ex illa prolatione fallentur astantes putantes absolutionem proferri, hoc tamen non est intentum à dicente, nec per se ab illa prolatione causatum, sicut stratagemmata sunt licita, quibus veritas occultatur: nec illicitum est aliquid agere, nè alteri, cui non debeo, veritas patefiat, & ex hoc periculo fractionis sigilli satis consulitur.

5 Sequitur tertiò: majus peccatum committere Sacerdotem fingentem celebrare, sed non consecrando, quàm si in mortali celebraret, ut definitur ab Innoc. III. scribente Rectoribus Rom. Fraternitatis. *De Celebrat. Missarum, Cap. De homine*, ratio est, quia in secundo casu soli Deo est obnoxius, in primo verò, Deo, cui per simulationem illudit, ut cit. loco asserit Pontifex, ac etiam Populum decipit, cum expectet fructum Sacrificii, non tamen recipit, & tandem creaturam proponit adorandam, tanquam Creatorem, quod est Idololatriç scelus.

7 Sequitur 4. contra Joan. Sanc. nullo pacto licere Sacerdoti ad vitandam mortem fingere consecrare totum panem, qui est in foro, proferendo verba consecrationis sine intentione, ratio est, quia nulla ex causa licet malum agere, nè malum patiatur, vel nè alius malum faciat. Nec ex duobus malis, scilicet, si verè consecraret perirent multæ particulæ consecratæ, si autem non consecraret exponeretur adorationi Creatura, quorum primum existimat majus Sanc. debet eligere secundum quod est minus. Hoc enim licet, ut dixi Prop. 1. n. 6. quando minus includitur in majori, tanquàm pars in toto, non autem quandò sunt duo mala disparata, neutrum enim ex his debet Sacerdos admittere, sed potiùs mortem substinere, etiam si hoc ei non prçcipiatur in contemptum Fidei. Nam mors non solùm pro Fide est substinenda, sed etiam pro quocumque malo non faciendo: sicut potiùs mortem subire, quàm contra Castitatem agere, deberemus eligere, vel aliud malum, quod est intrinsecè tale

face-

facere; ut docet S. Aug. lib. de mendacio, & Dominus dixit Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, ubi ſubdit Aug. *Illa enim mors, quam ſtulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, ſed corpus occidit.*

8 Sequitur quintò: non licere Sacerdoti Particulam non conſecratam porrigere peccatori occulto, qui eſt indiſpoſitus, nè committat ſacrilegium; dùm tamen grave periculum, vel famæ, vel mortis ei imminet, niſi communicaverit. Non inquam hoc licet, ut docet S. Th. 3 *p. de Sacram. q.* 21. *aliàs* 80. *ar.* 6. *ad* 2. & ibid. Cajet. & in hoc conſentit Sanc. aliique multi ab eo cit. præter rationem ſuprà adductam ex parte Simulationis, aliam inſinuat S. D. loc. cit. quia Sacerdos quantùm in ſe eſt facit idololatrare illos, qui credunt hoſtiam conſecratam. Et etiam ſi ipſe peccator ſciret hoſtiam non eſſe conſecratam, & petiiſſet ita ſibi dari, aſtantes indiſtinctè adorarent, vel adorare poſſent quamlibet hoſtiam: ſupponitur namque in prædicto caſu aliquos eſſe præſentes, ut optimè ait Cajet. nam ſi nullus eſſet præſens, non fingeret ille ſe communicare, ſed abſtineret à communione. Nec valet dicere, poſſe ſimul cum aliis particulis conſecratis miſceri; immò à tergo alterius conſecratæ: nam aſtantes poſſunt adorare quamlibet hoſtiam, quæ porrigitur: immò ab ipſo ſuſcipiente ſciente, dum ei porrigitur, actu exteriori, licèt non interiori latriæ, adoratur, dum flexis genibus, geſtuque cultum religionis indicante ſuſcipitur; quod intrinſecè malum eſt, hoc enim eſt mendacium facti, & æquivalet juranti exteriùs ſine animo jurandi, de quo ſuprà diximus, mortaliter peccare.

Similiter, nec licitum eſt Sacerdoti, fingere in os peccatoris occulti Particulam injicere, revera tamen non injicere; hoc enim eſt mendacium facti, quod in nullo caſu licere ſæpè dictum eſt.

9 Denique ſequitur Matrimonium contrahentes exterioribus factis, & verbis, ſine animo contrahendi, mortaliter peccare. Tùm quia ipſi contrahentes ſunt Miniſtri hujus Sacramenti; ac proindè ſimularent adminiſtrationem Sacramenti. Tùm quia mentiendo illuderent Sacramento, quod fingunt.

PROPOSITIO XXX.

Fas est viro honorato occidere invasorem , qui nititur calumniam inferre , si aliter haec ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum , si quis impingat alapam , vel fuste percutiat , & post impactam alapam , vel ictam fustis fugiat .

1 PRemitto, licere in aliquibus casibus occidere invasorem prçcipuè ad se defendendum, ut docet S. Th. *2.2.q.64. art.* 7. si enim aliquis sit invasus ab alio, & non possit aliter suam vitam defendere, nisi invasorem occidendo licitè potest ipsum occidere: quia secundùm Jura vim repellere licet cum moderamine inculpatç tutelç. Unde si adhibeat majorem violentiam quàm ad se defendendum oporteat, illicitè agit: si potest minis se defendere, non debet ad facta progredi: si sufficit verberibus, hìc sistendum, si mutilatione, non ultra progrediendum, si hçc non sufficiant, potes licitè occidere. Similiter si potes fugere, & hac via mortem evadere, debes fugere. An autem si fuga redundet in magnum dedecus viri nobilis, fugere teneatur, negant plures apud Tambur. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. *n.* 6. ego verò, nec affirmare audeo, nec negare; sed quia non est prçsentis instituti, hanc quçstionem examinare prçtermitto.

Aliam conditionem requirit S. Th. ut licitum sit invasorem occidere: ut scilicet invasus non intendat alterius occisionem; sed suam defensionem. Quod negat Tambur. *loco cit. n.* 1. dicens, licere, etiam intendendo illius mortem, ut medium meç vitç. Ratio, quam adducit S. D. est, quia non licet occidere aliquem propria auctoritate privata, sed publica, & propter bonum commune: ergo illicitum est, quod homo intendat alium occidere, nisi habeat publicam auctoritatem, ut est miles in bello justo, & ministri judicis pugnantes contra latrones. Ideò autem est licitum privatç personç alium occidere se defendendo, non intendens illius occisionem, sed suam defensionem, quia defensio est de jure naturç, & consequenter licita: aliàs mors illius sequuta,

quuta, cum non intendatur, est præter intentionem, & consequenter per accidens: actus autem moralis specificatur ab eo, quod est per se, non ab eo, quod est per accidens, & præter intentionem. Et hac eadem ratione patet illicitum esse intendere mortem invasoris; quia tunc actus specificaretur à morte Proximi, quod est malum, & illicitum non habenti publicā potestatē.

Nec obstat, quòd intendatur, ut medium meę vitę: nam actus specificatur à fine operis, qui in præsenti esset mors Proximi, ut docent cum D. T. ferè omnes Theologi, non à fine operantis, qui esset defensio propriæ vitæ; & hoc concedit Tamb. de actu efficaci, cujusmodi esset iste *lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. §. 3. *n.* 14. sic dicens. *Qui actus efficax speciem sumit suam, non à motivo solùm, seu fine*, sic vocat finem operantis, *verùm etiam ab ipso opere externo, quod patrare quis intendit*, qui est finis operis. Nec licet ad finem licitum mediis illicitis uti.

2 Potest hoc confirmari ex D. Aug. *in epist. ad Publicolam* quę est 153. & refertur 23. *q.* 5. *cap. de occidendis hominibus*, ubi respondens quęstioni, quam proposuerat inter cæteras, epist. pręc. ad eundem: qua quærebatur: an Christianus à Barbaro, vel à Romano videns se velle interfici, debeat illos ipse interficere, nè ab illis interficiatur, quod idem est, ac ob defensionem propriæ vitę, sic respondet: *De occidendis hominibus, nè quisque ab eis occidatur, non mihi placet consilium; nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate si ejus congruit personæ*. Et *lib.* 1. *de liber. arbitrio Cap.* 5. sic ait: *Quomodo apud Divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Inter res autem contemnendas claudit vitam corporalem, quam invitus homo amittere potest. Quomodo quæso salvari possunt hæ authoritates Aug substinendo sententiam Tambur. cum Aug. expresse loquatur in casu defensionis, & ad propriam vitam tuendam, & id expresse neget licere? Optimè autem salvantur in nostra sententia, dicendo quòd loquitur de morte aggressoris per se intenta, non per accidens, & pręter intentionem sequuta; ut explicat ejus fidelissimus discipulus S. Th. *loc. cit. ad* 1. & ut etiam se explicat ipsemet Aug. *loc. cit. in epist. ad Publicolam*, ubi paulò

poſt, concludit: *Abſit, ut ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur*. De reliquis ad hoc pertinentibus, vide Auctores ex profeſso de hoc agentibus pro impugnatione enim pręſentis Propoſitionis hęc pręmiſiſſe ſufficit.

Propoſitionem prędictam quò ad primam partem, paucis mutatis verbis, docuit Bonac. *de reſtit. diſp.* 2. *q. ult. punc.* 10. *n.* 5. & dicit eſſe communem omnium DD. quò ad ſecundam partem examinabitur meliùs infrà.

3 Dico primò. Illicitum eſt etiam viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hęc ignominia vitari nequit.

Probatur: intantùm permittitur hominem occidere pro conſervatione vitę, vel facultatum, quia fit intentione ſe defendendi, & cum moderamine inculpatę tutelę, ſed in caſu prędicto non poteſt hęc ratio militare: ergo illicitum eſt &c. Major patet ex dictis, & de facultatibus patebit infra Propoſ. ſeq. Minor probatur. Intentio ſe defendendi non poteſt ultrà metas defenſionis extendi, defendere autem ſe poteſt quiſque verbis; ut dicendo: mentiris, quando quis calumniam infert, vel ſua probe facta adducendo, teſtes ſuæ famæ exhibendo &c. Tùm etiam, quia ideò defenſio occiſiva eſt licita; quia vita ſemel amiſſa recuperari nequit, in caſu, quo invaſor ad occidendum aggreditur: (idem dicam de facultatibus) at ignominia per calumniam illata purgari poteſt, & fama recuperari, vel apud Judicem, cogendo reum ad ſe retractandum: vel mediis amicis, viriſque probis ſuæ integritatis prodendo elogia, vel facti, quod ei objicitur, defenſiones: unde nec ſervaretur moderamen inculpatæ tutelæ, quæ exigit, ut ſi fugiendo poſſis vitam ſalvare non percutias; nec occidas ſi percutiendo poteris id conſequi, ut ſuprà diximus, & cum res ſit diuturno tempore purgabilis, modi non deficient ad falſam calumniam elidendam.

4 Dices probatio hæc procedit extrà caſum Propoſitionis, in ipſa enim dicitur (ſi aliter hęc ignominia vitari nequit) in probatione verò ſupponitur, aliter vitari poſſe.

Reſpondeo, quòd illa verba: *Si aliter hæc ignominia vitari nequit*, referuntur ad actualem illationem; ideſt ſi alio modo non

poſſum

possum impedire, nè ille mihi calumniam inferat, itaut afferat, nè iste, qui nititur (ecce in fieri ponitur) calumniam inferre, possit ad hoc in facto esse pervenire; si aliter à calumnia inferenda impediri nequeat, licitè occidi posse. Ego autem totam hanc suppositionem admitto, & suppono impediri non posse à calumniæ illatione, & ignominiæ, sed ajo hoc non esse sufficiens, ut licitè occidi possit: nam etiam post illatam calumniam locus defensioni patet; cum non sit sicut vita, quam nisi antequam auferatur defendat, nullus ampliùs defensioni locus patet. Et licèt calumniæ facilè seminentur, difficilè colligantur; ideò opus erit remedio, vel ab aliis contrarium asseri, & evulgari faciendo; vel si casus exposcunt, manifesta publicando, & his similia remedia applicando, quæ ad calumniam retundendam sufficiant. Et ex his patet disparitas ad rationem, qua utebantur prædictæ damnatæ Propositionis Auctores.

Quòd si calumnia non solùm ignominiam afferat, sed officii, & lucri jacturam, quæ recuperari non possent alia via, nec aliter vitari possit; in tali casu posset procedi, tanquam contrà latronem, eo modo, quo dicemus Propos. sequenti.

Cæterùm si dicas: infrà illud spatium, quo quis resarciendo honori, & retundendæ calumnię operam dat, jam pati ignominiam, & dedecus; sed etiam ad hoc debet dari defensio; quoniam illud dedecus ad tempus malum est, & ad illud vitandum jus habemus, sicut ad quodlibet aliud malum: ergo non solùm vitare debemus, nè calumnia illata prosequatur, & ut retundatur sed etiam dùm est in fieri, nè ad factum esse perveniat; & si aliter hoc vitari nequit, nisi occidendo invasorem, licitum hoc erit.

Respondeo: non esse tam grave malum, ad tempus illud dedecus substinere, ut morte invasoris possit licitè compensari, ut patet ex authoritate adducta Aug. nec ordo Charitatis id patitur. Tùm etiam, quia lata aperiretur via ad varia crimina, & homicidia impunè perpetranda; magna Reipublicę oriretur perturbatio, & cædibus mundus obrueretur.

5 Secundam Propositionis partem, quantùm ad insequendum fugientem, qui alapam impegit, vel fuste percussit, non ad illum occidendum, sed ad repercutiendum docet cum aliis Bonac. *loc. cit. n.* 8. illam memini insinuari à Caram. in Theolog. fundament.

dament. Et eam probabilem esse amplectitur, & docet Tambur. *lib.* 2. *Decal. cap.* 1. *§*. 3. *n*. 2. uterque autem asserit speculativè, non in praxi. Id tamen in praxi licere asserunt Hurtado, & Diana cit. ab eodem Tambur. n. 3. Contrarium verò docet Bann. 2. 2. *q*. 64. *art*. 7. Soto *lib*. 5. *de Just*. *q*. 1. *art*. 8. Sayrus *in Clavi Reg.* & alii, cum quibus.

6 Dico secundò: illicitum est fugientem, qui alapam impegit, vel vulnus intulit, vel fuste percussit, insequi, & occidere, vel repercutere.

Probatur: in tali casu non esset defensio, sed vindicta, quæ nulli privatæ personæ est licita: ergo illicitum est &c. Prob. antec. quia defensio, tamdiù locum habet, quandiù adversarius certat; cum verò desistit, jam non est, à quo se defendat, cum actualiter nullam vim inferat. Nec est idem de latrone secum deferente rem; nam iste defert rem meam, quam recuperare possum illum insequendo, ab illo tamen qui vulnus intulit, insequendo, vel repercutiendo, nihil recupero: vulnus enim acceptum non cessat ex illius occisione, aut repercussione.

Nec verum est, me recuperare honorem, ut ajunt: hæc enim sunt figmenta à Diabolo mentibus hominum invecta. Et certè à duellistis, accipere rationes, quæ potiùs sunt passionum, & vindictæ tegumenta, & non à verbis Dei, qui non occidere, inimicis parcere, & similia docuit, & præcepit, non verecundari Theologos, quàm inverecundum cogitantibus relinquo. Tùm etiam, quia sequi, & vulnerare fugientem dedecus est, & infamia apud verè nobiles existimatur. Tùm denique quia, ut paulò ante dicebam, excedit limites moderatæ tutelæ, cùm alio modo possit resarciri honor; vel illum ad petendam veniam cogendo, vel alio modo.

Nec audiendus est Bonac. dicens: quòd tunc statim cum ille fugit durat congressus: non enim congressus dici potest, quando alter eorum fugit: congressus enim est duorum conflictus.

7 Insuper ratio fundamentalis pro utraque conclusione, est illa, quam præmisi in notandis: nam defensio licita est illa, quæ de se non tendit ad offendendum, licèt offensio esset ordinata ad defensionem: sed ad impediendum adversarium ab *injuria*, quam infert; licèt per accidens, & præter intentionem sequatur

tur ejus occiſio; ſed in caſu, quo quis fugit, non tendit repercuſſio ad impediendam injuriam, ſivè vulnus, cum ille non inferat actualiter; ſed potiùs ad offendēdum eum, qui offendit, qui propriè eſt actus vindictæ, quantùm ad ejus primarium actum, qui competit Perſonæ publicæ, non cuicumque privato, quantùm ad exequutionem, ut patet. *Cap. Ea vindicta. q.* 4. 23. aliàs ad nihil deſerviret poteſtas: ergo non licet ſequi fugientem &c. Similiter diſcurre de calumniam inferente.

Pro quo eſt advertendum, quòd defenſio, quæ non debet tendere ad malum inferendum Proximo, ſed ad proprium vitandum, non ſolùm hoc in intentione debet habere, ſed etiam in ipſo facto exteriori; itaut ipſum exteriùs factum hoc exequatur ex. gr. Quis gladio me aggreditur, ego gladium contra ipſum impugno animo me defendendi, & actu externo in ipſum gladium immitto, qui actus de ſe eſt defenſivus; nam eſt averſivus hoſtis, ut ſe retrahat, quem ictum ſi velit poteſt declinare, diſcedendo: quòd ſi perſiſtit, ipſemet vulnus accipit, ipſe ſe occidit, & ſic eſt præter meam intentionem illius vulneratio, & occiſio. In caſu autem præventionis, cùm certò ſcio hoſtem mihi parare inſidias, ut me interficiat; vel cum nititur calumniam inferre; vel cùm poſt impactam alapam fugit, licèt intentio poſſit eſſe cauſa meæ defenſionis, vel honoris, vel vitæ: tamen actus exterior non eſt de ſe propriè defenſivus, & ex ſe tendens ad impediendum adverſarii ictum, ſivè manus, ſivè linguæ ille ſit; ſed ex ſe tendit ad nocumentum inferendum; licèt illud ulteriùs ordinetur ad meam defenſionem; unde nocumentum Proximi eſſet per ſe volitum, & non per accidens; & finis operis eſſet malum Proximi; licèt finis operantis eſſet propria defenſio: moralis autem actus ſumit ſpeciem ab eo, quod per ſe intenditur, ut docet S. Th. loco cit. & à fine operis, ut habet *p.* 2. *q.* 19. Unde optimè non poteſt per ipſum aliter excuſari à malitia; niſi quia malum ſequatur præter intentionem agentis, & ideò concluſit, quòd non licet privatæ perſonæ intendere occiſionem alterius, ut ſe defendat. Ex quibus colligitur omnes iſtos prænotatos actus non excuſandos à reatu peccati, ſed illicitos eſſe, ex S. Th. doctrina apertè convinci: totamque radicem falſitatis in aſſeren-

rendis præfatis Propoſitionibus jam damnatis, vel ex neglectu doctrinæ S. Doctoris, vel ex contrario principio ſuæ doctrinæ, videlicèt licere intendere directè mortem invaſoris ob meam defenſionem, proceſſiſſe.

8 Ex quibus patet reprobatio Propoſitionum 32. & 33. quarum prima dicitur. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiàm ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus*. Secunda verò aſſeritur. *Licitum eſt, tàm hæredi, quàm legatario contrà injuſtè impedientem, vel nè hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere* (ideſt defenſione occiſiva in præc. Propoſ. explicata) *ſicut* (ſubaudi, etiam licitum eſt) *& jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contrà eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem*: ideſt etiam iſtis licitum eſt impedientem occidere. Ambas attribuit Amico Facultas Lovan. eas ut falſas, toti Reip. ac generi humano pernicioſas damnans.

Ubi obſerva primam à ſecunda non differre formaliter, ſed tantùm tanquam communem, & particularem; prima enim eſt communis ad omnes hujuſmodi caſus. Secunda verò explicitè ponit aliquos particulares caſus ſub illa communi contentos. Tambur. non in caſibus prædictis, ſed in conſimilibus, quos adducit *lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. *num.* 15. ait: ſpeculativè fieri poſſe probabile apparere; in praxi tamen nullo modo eſſe excipienda.

Manent inquam, ex ſupradictis reprobatæ; quia hic actus occiſivus non eſt ex ſe defenſivus, nempè repulſivus illius injuſtę actionis, qua quis privat bonis, quę poſſeſſuros ſperamus, ſed directè, & per ſe ordinatus ad occiſionem Proximi, & non per accidens ſequuta ad actionem defenſivam: ac proindè licèt aſſumatur, ut medium ad propriam defenſionem; non tamen ideò erit licita; quia non quocumque medio uti poſſumus ad rem licitam, ſed medio licito.

Inſuper ex communi doctrina convincuntur falſę; quia impedientes &c. non ſunt proximè auferentes rem, ſed remotè, & ita moraliter vix dari poteſt caſus, in quo aliud remedium adhiberi non poſſit ad damnum illud vitandum: & cùm diuturnitas temporis poſſit intercedere, novæ ſemper poſſunt ſuper-

pervenire circumſtantiæ, & via aperiri ad injuſtitiam illam repellendam, aliter quàm per occiſionem injuſtè impedientis.

9 Sequitur ex his, nec licere prævenire aggreſſorem, etiam, ſi moraliter incœperit aggreſſionis actum; ut ſi maritus pugionem jam collocavit ſub cervicali, vel venenum paravit ad occidendam uxorem adulteram. Vel ſi quis parat falſos teſtes in Judicio, aut deponit falſum, quo alter vita plectatur, vel bonis privetur. Similiter ſi homo accedit ad ſolvendos canes, ut alium lacerent; nam in talibus caſibus exerceretur actus occiſivus, non defenſivus, ad quem ſequeretur per accidens occiſio. Et certè in primo caſu ſi tempus ſuppetit, ut maritus occidatur; Cur non ſuppetet, ut pugio auferatur, vel alius modus juſtæ defenſionis exerceatur? In ultimo autem caſu licitum exiſtimo poſſe manus actu ſolventis canes vulnerare, quod de ſe eſt impeditivum damni, quod parat, ſi alius evaſioni non reſtat locus: quòd ſi ille, nec retineri poſſit, nec ejus manus impediri, nec precibus contineri, interim ad defenſionem ſe præparare poterit, quò meliùs vitam ſuam tueatur. Et ſi hæc dura videantur; nè obliviſcaris Aug. verba ſuprà relata: *De occidendis hominibus, nè ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium*. Et contra Aug. imò & ſacros canones, non adverſus me iraſcaris; qui non novas fingo opiniones.

PROPOSITIO XXXI.

Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

1 PRæmitto tanquàm certum: licitum eſſe aliquando occidere furem actu invadentem bona, dummodò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, & defenſio bonorum intendatur, & repellere latronem ab illis furandis, adeò ut per accidens in hujuſmodi defenſionis exercitio furis occiſio ſequatur, ſicut in præc. Propoſit. dictum eſt. Quod primò patet ex il-

ex illud *Exodi* 22. adducto à D. Th. 2. 2. q. 64. *art.* 7. *in arg. sed contra*, ubi dicitur: *Si effringens fur domum, sivè suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*: & licèt ibidem dicatur: *Diurnum furem etiam infringentem domum, si quis occiderit, reus erit homicidii*. Hoc tamen intelligitur absolutè, non in casu, quo aliter defendi non possit, & in foro judiciali, ubi non potest discerni, an aliter potuerit bona tueri, & an occiderit pro salvandis rebus suis, & intendens salvare, & consequenti, & per accidens sequuta sit occisio. Similiter nec obstat capitulum *Interfecisti extra, de homicidio*. Loquitur enim illa Decretalis, si occidatur fur in casu, quo absque occisione comprehendi poterat; cum pertractet casum oppositum praecedenti; in quo erat sermo, quando comprehendi non poterat, quod colligit Eminent. Cajet. ex illa particula. *Si autem te, tuaque liberando interfecisti*; quæ est adversativa præc. vide Cajet. 2. 2. q. 64. *art.* 7.

Secundò constat ex pluribus Juris textibus. Ita habetur *in l. furem ff. ad legem Corneliam de Sicariis, & l. 4. ff. ad legem Aquiliam*. Unde Cicero pro Milone ait: *Hæc lex non est scripta, sed naturalis, ut latrones, & insidiatores viarum in defensionem bonorum occidere possimus*. Et hoc extendunt communiter Doctores etiam ad Clericos, & Religiosos, ut colligitur ex *cap. Dilecto, de sententia excommunicationis*.

Ratio etiam id suadet (& simul præcluditur objectio de vita Proximi, quæ pluris esset existimanda, quàm res temporales) cuilibet imminet cura rerum suarum, præcipuè in ordine ad virtutem, non autem cura alienæ vitæ, nisi in casu necessitatis; sed quisque tenetur magis providere iis, quorum cura sibi imminet absolutè, quàm iis, quorum cura imminet in casu, quandò non urget casus: ergo magis tenetur quisque providere rebus suis, quàm vitæ Proximi extra casum necessitatis, & consequenter non debet prætermittere defensionem bonorum, & illam postponere vitę Proximi. Sed in casu quęstionis non sumus in casu necessitatis, quia invasor spontè se ponit in tali casu, inferendo talem injuriam Proximo: ergo non debet prętermitti defensio bonorum, etiam si inde sequa-

ſequatur mors invaſoris, ex conſequenti tamen, & per accidens.

1 Hoc limitandum exiſtimo quandò ſi Dominus bonorum prætermitteret illam defenſionem, quam non poſſet aliter exequi, niſi morte invaſoris; faciliter poſſet alia via res ſuas recuperare; putà ſi furem cognoſcit, & habet teſtes, quibus in Judicio probare poſſet furtum, & aliàs fur habet unde reſtitutio fieri poſſet à Judice; quia in tali caſu parvi momenti eſſet ad modicum tempus privari rebus ſuis, quod non videtur morte alterius compenſandum. Et ideò puto *Ex.* 23. homicidii reum judicari occidentem furem diurnum, quia, cum die cognoſci poſſet, in judicio poſſet contra eum procedi.

Et quamvis ipſe Dominus habeat jus ad defendendas res ſuas nè illis etiam ad tempus privetur: tamen ſi hæc dilatio notabile detrimentum ipſi non afferat, & certò moraliter ei conſtet, poſſe rem ſuam aliter recuperare, non videtur ſervaſſe moderamen inculpatæ tutelæ, ob defenſionem occidendo: ſecus verò ſi fur cognoſcatur, ſed ſit ex Sicariis, qui difficulter comprehendi poſſit, nec habet unde reſtituat domi, & ſi aliàs omiſſa defenſione aliud malum timetur perſonæ.

3 Sequitur ex his: licitum eſſe ad repellendam violentiam ſtupri, adulterii, ſodomiæ, impudicorum tactuum, amplexuum, & ſimilium honeſto juveni, honeſtæque puellæ, vel matronæ ſe defendere, etiam ſi mors invaſoris ſequatur ex defenſione, dum tamen moderamen inculpatę tutelę adhibetur, ut ſi minis cohiberi poſſit, prætermittantur verbera, ſin minùs, pugni, alapæ, verbera &c. adhiberi poſſunt, ſe tuendo; invaſoremque repellendo; & demùm ſi hæc ſint inutilia, & ille armis retundat, & aliter pudicitia ſervari nequit, armis ſe defendere poteſt, illumque repellere, etiamſi mors ejus indè ſequatur. Ità ferè communiter Doctores cum Cajet. loco cit. Ratio eſt, quia hoc eſt majus bonum, quàm facultates temporales, nempè libertas ſuorum membrorum, quę plùs rebus exterioribus exiſtimantur. Tùm etiam, quia infamia inde oritur. Tum denique periculum magnum conſenſus in delectationem imminet, qui contrariatur bono virtutis.

tis. Unde Tullius in orat. pro Milone laudabiliter commemorat militem adolescentem, qui nè turpiter pateretur à Tribuno militari, propinquo Caji Marii, ipsum interfecit.

4 Illicitum tamen existimo id, quod ait Tambur. *lib. cit.* §. 3. *n.* 7. citans de Lugo, asserens, quòd si osculum jam accepit juvenis, vel puella, potest laudabiliter pugnis, alapa, vel fuste statim, non tamen graviter repercutere; illicitum inquam existimo, & parem casum ei, qui post impactam alapam fugit: ac proindè eisdem rationibus in præc. Propositione adductis impugnatur. Minis potest terrere, verbis constantiam suam ostendere: quòd si nolit discedere, nec ipsa puella, vel juvenis possit alibi se recipere, ad ipsum expellendum potest fuste uti, cum ejus ibi commoratio esse posset suspecta puellę pudicitię, tunc enim actu damnum infert.

5 His igitur suppositis: Difficultas prędictę Propositionis consistit in hoc, quanti valoris debeant esse bona, ob quę tuenda possit quis furem occidere. Sotus asserit debere esse bona magni momenti. Bonac. debere esse bona magni valoris. Mol. non satis esse valorem trium, quatuor, vel quinque ducatorum. Et alii, quos legi, videntur insinuare notabilem summam requiri. Unde optimè prędicta Propositio damnatur, quę ait *regulariter &c.* quod est generaliter, & extrà casum: cum stabiliat tam parvam quantitatem, qualis est in se unius aurei, ut licitum sit occidere hominem.

6 Dico igitur, regulariter illicitum esse occidere furem pro defensione unius aurei. Probatur: Regulariter aureum, nec est ita necessarium ad vitam, ut sine ipso nedum simpliciter, sed etiam commodè vita substineri nequeat, nec ita prodesse potest acquisitioni virtutis, ut ipsius privatio possit ejus acquisitioni valdè nocere, sed ideò ęstimanda est pecunia, cum ad hos usus licitè sit ordinata: & immoderata ejus ęstimatio sit avaritię vitium: ergo non debet ita defendi, ut vitę hominis præferatur: si enim ob id licitè æstimatur, ob id quoque licitè defenditur: & immoderata defensio, utpotè à mala radice immoderatę ęstimationis proveniens, illicita erit.

Observa tamen ly *regulariter* nam in aliquo casu licitum potest esse alicui pro defensione unius aurei, cęteris adhibitis circum-

cumstantiis, occidere furem: putà cum alicujus inopis integrum patrimonium in illo aureo consistit. Unde, ut rectè observavit Tambur. summam, & valorem rei, pro qua licitum sit furem occidere, illam defendendo, non debere absolutè præfigi, dicendum est, sed ex circumstantiis personæ, & copiarum ejus pensandam esse: unde, vel debet esse magni momenti in se, vel in sui æstimatione, vel ex damno consequente.

7 Hinc sententiam Mol. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 16. *n* 7. receptam à Bonac. & Tambur. asserentis, quòd etiam pro valore unius aurei, vel minoris, si fur, resistente Domino, vel custode, vellet auferre, seu ejus possessionem occupare, possit interfici, quia non solùm est injustus, verùm etiam graviter contumeliosus Domino pręsenti, approbare nequeo: nam si valor non est magni momenti, nec gravis contumelia Domino infertur, si fur aliud non tenet, quam rem arripere. Et licèt aliqui magnifaciant actionem propter furis temeritatem, & magnam injuriam sibi fieri conclament, alii tamen pecuniæ cupidi parvifaciunt hanc injuriam: unde ex immoderato effectu pecuniæ, illi quærimonias evulgant: unde sæpè aliis inculcantibus, ob temeritatem interficiendum fuisse: alii animi liberalis, ob rem tàm parvi momenti, valdè indecorum, hominem occidisse fatentur.

Propositionem 32. & 33. require suprà Propositione 30. num. 8.

PROPOSITIO XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

1 IN nullo casu licere procurare abortum fœtus animati directè, & per se, certum est apud omnes. Immò pœna mortis hujusmodi procurantibus irrogatur, L. *penult.* C. *ad legem Corneliam*, & etiam pœnam excommunicationis incurrunt latam à Greg. XIII. etiam effectu non sequuto. Dixi directè,

& per ſe, itaut etiam ſi mater gravida ſit infirma, non poteſt pro ſua ſalute ſumere potionem directè ordinatam ad interemptionem fœtus; quia ſic occideretur directè innocens, quod eſt intrinſecè malum, Tùm etiam, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Quod etiam extendendum eſt ad fœtum inanimatum propter eandem rationem; licèt contrarium aſſerant aliqui apud Tambur. *lib.* 6. *in Decal. cap.* 2. §. 4. *n.* 4. quibus ipſe magis adhæret: nec ratio eorum eſt valida; nam æquè militaret de fœtu animato; non minùs enim aggreſſor eſt fœtus animatus, quàm inanimatus. Nec exiſtimandus eſt inſtar pravi humoris; quippè ille eſt homo in via; pravus autem humor eſt ſuperfluus individuo, nihilque ad conſervationem ſpeciei confert.

Tamen indirectè, & per accidens, abortum procurare etiam animatum licet: ut ſi prægnans ſumat pharmacum directè ægritudini expellendæ proportionatum: ex quo per accidens ſequatur fœtus occiſio, nam mater ex juſta cauſa utitur jure ſuo quærendi ſanitatem: nec facit malum, ut ſequatur bonum; ſed directè, & per ſe bonum, ex quo per accidens ſequitur malum; & actus morales ſumunt ſpeciem ab eo, quod eſt per ſe: non verò ab eo, quod eſt per accidens, ut dixi in ſimili de licita defenſione, ex qua ſequitur mors invaſoris. Vide infrà in Append.

Quantùm verò attinet ad præſentem Propoſitionem, eam docuerunt aliqui apud Dian. *p.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 11. *& p.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 37. contrariam tamen communiter docuere Theologi, & Juriſtæ. Candidus *tom.* 2. *diſquiſ.* 1. *art.* 1. ait; illam priorem eſſe improbabilem: imò Diana ait, ſuo tempore audiviſſe fuiſſe damnatam Romæ in Congregat. S. Officii.

2 Dicendum: omninò falſam, & à principiis Ethicæ alienam eſſe præfatam Propoſitionem.

Probatur primò. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut mala vitentur; ſed eſt intrinſecè malum procurare abortum ante animationem; quia contra finem naturæ impeditur generatio: ergo non poteſt procurari hic abortus, ut vitetur malum infamiæ, vel mortis puellæ prægnantis.

Secundò: quia ſic licitum eſſet reo ad mortem damnando propter delictum, cujus habet teſtes, occidere teſtes, ut ſic evadat

mor-

mortem: nam fœtus eodem pari modo innocens est, nec aliud damnum infert; nisi testificando delictum. Tùm etiam, quia eodem modo dici posset in pari casu de fœtu animato; nam etiam hic est occasio infamiæ, aut mortis puellæ; & eadem ratio militat, quia si verè esset aggressor (ut movet dubitando Caram. *in Theolog. fundament.*) non minùs hic, quàm ille esset aggressor. Nec refert animatio, vel inanimatio: nam non minùs est licitum se defendendo occidere animal brutum, quàm hominem, si alteruter sit aggressor, ut patet: ergo ad rem non facit disparitas animationis, vel inanimationis. Revera tamen neuter est aggressor, sed occasionem præbens parentibus, sivè cæteris; & cum ortum ducat à culpa mulieris, sibimet imputare debet: fœtus namque non est culpandus, quia manifestat crimen occultum; quia consequitur naturaliter ad actum antecedentem; nec voluntariè, aut sua electione hoc præstat, sed necessaria, & naturali sequela. Tùm etiam, quia si hoc liceret etiam licitum esset sumere venenum sterilitatis, vel etiam seminare extra vas: quia magis licitum est impedire aggressorem, & impedimenta ei objicere, nè ad aggressionis actum perveniat, quàm actu aggredientem occidere. Hæc autem quis unquàm admittet absurda? Probatur tertiò ex supra tradita doctrina. Non licet actione directè ordinata ad alterius mortem uti, etiam propter defensionem honoris, vel vitæ; sed in præsenti casu directè ad interemptionem fœtus ordinaretur potionis sumptio: ergo.

PROPOSITIO XXXV.

Videtur probabile, omnem fœtum quandiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere cum paritur ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

1 CAramuel in sua *Theol. fundam.* à *n.* 1623. *usque ad* 1628. duas refert opiniones extremè oppositas quorundam medicorum, alteram asserentem præsentem Propositionem: alteram verò asserentem à principio conceptionis fœtum statim

animari anima rationali. Hanc posteriorem mihi quondam ajebat Medicus quidam, cujus ingenium satis novi, se rationibus magni ponderis, tàm philosophicis, quàm ex Medicina desumptis probare, si dubium aliquod contra Ecclesiæ constitutiones non esset; de eaque consuluit Messanæ Adm. R. P. Magistrum Fratrem Thomam Arcuri, doctrina, & moribus eximium, à quo consultus fuit, nè in re tàm gravi, ad quam irregularitas, & Ecclesiasticæ censuræ sequuntur, contra praxim Ecclesiæ aliquid novi evulgaret. Communis tamen opinio ex Arist. animationem tribuit mari post 40.dies, mulieri post 80. licèt aliter ex Hippocrate *lib. de natura fœtus* alii sentiant. Pro eo autem, quod ad præsens spectat.

2 Dicendum, improbabilem, & contra S. Scripturam esse prefatam Propositionem. Patet primò ex illo Jerem. 1. *Antequam exires de vulva sanctificavi te*. Sanctitatis autem, quæ fit per gratiam non est capax, nisi anima rationalis. Idem patet de S. Joanne Baptista, quem in utero matris sanctificatum colit Ecclesia ex S. Scriptura. Estque communis praxis Ecclesię, quam SS.PP. Theologi, & communiter fideles amplectuntur: quomodo ergo probabile est quod S. Scripturæ, communi Ecclesię sensui, SS. PP. Scholasticis, & omnium fidelium menti repugnat?

PROPOSITIO XXXVI.

Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

1 PRæmitto primò, necessitatem rerum temporalium trifariam dividi. Alia est extrema, alia gravis, alia communis. Necessitas extrema est illa, qua Proximus, ita auxilio indiget, ut si eo careat, brevi sit moriturus; vel malum morti simile sit incursurus; nempè morbum incurabilem, amissionem membri principalis, vel sensus corporis. Ita Bann. Angelus, Soto, & passim alii, brevi, autem intelligitur in una hieme, in uno vere, immò longius ait Soto, dùm tamen certò constet, ni succurratur, in prędicta mala prolapsurum, taliter quod

peri-

periculum sit præsens, & certum, & dispositiones in actu pro attingendo termino futuro.

Necessitas gravis est; quando quis est constitutus in gravi periculo, at non certò morbi incurabilis, vel gravis, vel abbreviationis vitæ, vel captivitatis injustæ, vel cadendi notabiliter à suo statu. Et hæc necessitas habet plures gradus, sicuti majora, vel minora sunt prædicta mala.

Necessitas communis est, qua quis, non cadendo notabiliter à suo statu, laborat indigentia aliquarum rerum, cui ipsemet cum aliqua morali sollicitudine succurrere potest.

2 Præmitto secundò: certum esse apud omnes licitum esse furari in extrema necessitate, immò veriùs (ut ait Caiet. 2. 2. *q.* 66. *art.* 7.) licitum esse accipere sine furto ad sic indigenti subveniendum sivè ipsummet indigentem, sivè alium; ut probat S. Th. loco mox cit. Nam in tali necessitate, omnia sunt communia, & ita in tali necessitate constitutus, non alienum accipit; sed quod sibi factum est commune. Secundò quia Jus naturale non potest derogari per Jus gentium, vel positivum; de Jure autem naturæ est, ut res inferiores, & temporalia bona deserviant hominum necessitati; ideò enim à Deo sunt instituta: divisio autem hujusmodi est ex Jure gentium, & positivo; ergo non potest per hanc divisionem derogari illi in necessitate constituto, ut ex illis suæ necessitati subveniatur, quod est de Jure naturæ.

Dubium igitur est de gravi necessitate: & de hac ait Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.* 6. *§.* 1. *n.* 2. sibi esse certum licere; & alios citat. Contrarium tamen est de mente D. Th. *loc. cit.* Caiet. & Bonn. *ibid.* Turr. Azor. Sot. & aliorum: & nunc jam certum Summi Pontificis declaratione. Pro quo.

3 Dicendum: non est licitum furari in gravi necessitate. Hæc conclusio est expresse D. Th. in loc. cit. ubi in corpore distinguit duplex genus necessitatis: aliud, in quo non licet necessitatem patienti accipere; sed in quo pro arbitrio suo potest necessitatem patientibus distribuere bona sua, qui habet unde subveniat: aliud, in quo licitum est necessitatem patienti accipere res alienas, quorum secundum est extrema necessitas; ac proindè excludit gravem, ut possit quisque accipere. Quòd autem

hoc concedat ſoli extremæ neceſſitati, patet ex ejus verbis nam ait: *Si tamen adeò ſit evidens*. Ecce periculum certum. *Et urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum; putà cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt*. Ecce ſigna extremæ neceſſitatis. *Tunc licitè poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſivè manifeſtè, ſivè occultè ſublatis; nec hoc habet propriè rationem furti, vel rapinæ*. Et ad ſecundum clarè ſe explicat loqui de extrema neceſſitate; dùm ait: *Uti re aliena occultè accepta in caſu extremæ neceſſitatis non habet rationem furti &c.*

Probatur primò, ex *Cap. Si quis, extrà de furtis tit.* 18. *in* 5. *Decr.* ubi dicitur: *Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus pœniteat hebdomadas tres*. Pœnitentia autem non imponitur, niſi peccanti & quamvis rectè explicetur prædicta Decretalis, quòd non loquatur in caſu extremæ neceſſitatis, ut eam explicat S. Th. *loc. cit. ad* 1. tamen ex ipſis verbis patet, ſermonem eſſe de gravi, in qua quis indiget cibo, vel veſte.

Probatur ſecundò ratione. In gravi neceſſitate conſtitutis non tenentur divites ex Juſtitia dare eleemoſynam, ut malè autumat P. Navarr. ſed ex Charitate, & Miſericordia, ut optimè probat Sayr. & alii communiùs; ſed Charitas, & Miſericordia relinquunt poteſtatem cuique diſtribuendi res ſuas: ergo ſi ab alio auferrentur eſſet rationabiliter invitus Dominus, & læderetur ejus libertas: conſequenter ſic auferens peccaret mortaliter. Tùm etiam, quia cum multi ſint in gravi neceſſitate conſtituti, ſi omnibus liceret aliena accipere, furtis eſſet repletus mundus. Tùm etiam, quia pro hujuſmodi graviter indigentibus, cum ſit in poteſtate Domini; cum non poſſit omnibus, quibus voluerit ſubvenire, non poteſt, niſi illicitè privari hoc jure, cùm accipit ille, cui non erat paratus ſubvenire; & etiam læditur ille alius, cui dives volebat ſubvenire; cum tamen ſit in pari caſu neceſſitatis. Tùm denique, quia exercitium Beneficentiæ à divitibus, & meritum patientiæ à pauperibus prorſus auferretur; dùm illi non ſinerentur dare, & iſti deſinerent petere, & mendicare; quia iſti raperent; ab illis unde eleemoſynam facerent auferretur. Vide quæ dixi ſuprà de Eleemoſyna Propoſ. 12.

PRO-

PROPOSITIO XXXVII.

Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

1 PRæmitto primò, ex tract. de Restit. tanquàm certum apud omnes Doctores, licitam esse occultam compensationem, dùm tamen sequentes concurrunt conditiones. Prima est, ut debitum sit liquidum, & certum; quia liquidi ad non liquidum non datur compensatio, & quia in dubiis melior est conditio possidentis. Secunda est, ut res, in qua fit comlpensatio sit debita ex justitia, non verò ex Charitate, pietate &c. quàmvis contrarium sentiat P. Navarr. Tertia est, nè plus accipiatur, quàm sit debitum; illud enim plus est furatum, & invito Domino acceptum: Quarta est, ut non pateat alia via, ut per Judicem compelli possit debitor ad solvendum; vel quia negat, & convinci non potest; vel quia imminet creditori periculum vitæ; vel magnum incommodum, si coram Judice debitorem conveniat. Quinta conditio est, ut hæc compensatio fiat in rebus ipsius debitoris, non alterius apud debitorem quomodolibet depositis: vel in re ipsius creditoris apud debitorem existente, si nolit eam restituere.

2 Hinc ergo oritur dubium; an famulus: vel quilibet operarius possit sibi compensationem facere à domino, si ei minùs detur, quàm opus mereatur; circa quod existit præsens Propositio damnata, pro cujus explicatione.

Præmitto secundò, quòd hujusmodi famuli; vel serviunt gratis, sperantes ab heri gratitudine remunerari, & in hoc casu certum est, nihil posse accipere titulo compensationis; quia compensatio solùm licita est in rebus debitis ex justitia; vel serviunt pro mercede, de qua convenerunt, & in tali casu si minùs accipiant salario jam pactuito, possunt in reliquo compensationem facere, quia hoc est eis debitum ex justitia, & in hoc non habent minus jus, quàm cæteri creditores, quibus permissa

N 4 est

est compensatio, dùm tamen reliquæ conditiones relatæ serventur. Neque hoc intendit damnare Summus Pont. aliàs omnem compensationem damnasset: & meliùs patebit ex ponderatione verborum.

Alio modo potest contingere, ut recipiant salarium pactuitum, sed ipsis videatur tenue, & non satis operibus suis: & in hoc casu distinguendum est sic: vel enim liberè convenerunt de illo pretio, vel coactè. Et rursùs, vel opus quod præstant est illud ad quod se obligarunt, vel aliud ultrà quod se obligarunt: & iterum vel hoc exhibent liberè, & gratis, sivè etiam spe gratitudinis, vel coactè. Si hoc secundum, certum est eis à dominis titulo justitiæ aliquid ultrà salarium deberi, & in hoc posse famulos, vel operarios compensationem sibi facere, sicut & cæteri creditores: si verò titulo gratitudinis, & spontè exhibuerunt, non posse. Patet ex suprà dictis. Si tamen exhibent opus ad quod se obligarunt, sed coactè, metu illato ab extrinseco, convenerunt de exiguo pretio, possunt etiam in hoc compensationem facere; quia ab ipsis invitis aufertur quod ex justitia debetur. Si autem liberè convenerunt de exiguo pretio, etiamsi adsit involuntarium mixtum, quia scilicèt ob indigentiam, & paupertatem ad illud pactum devenerunt, non possunt compensationem facere. Et in hoc sensu intelligenda est damnatio præsentis Propositionis; dicit enim: *ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Ubi observanda est illa particula *Judicant*, non enim est opus non pactuitum; nec quia non solvitur salarium, de quo convenerunt. Et in hoc sensu eam docuit Suar. *de Sacr.disp.*86. *sect.*4. *§. unde consequenter*, Pro resolutione.

3 Dicendum: non licere famulis, & famulabus spontè se offerentibus, vel non invitis, pro opere pactuito aliquid surripere ab heris pro compensatione, dùm recipiunt ab eis salarium conventum. Idem dicendum est de operariis.

Probatur, quia spontanea conventione cesserunt juri suo de majori salario; ac proindè ad aliquid ultrà salarium conventum non habent jus.

Quòd si quær imonias audiamus operariorum,& famulorum ita discurrunt: se ob indigentiam locasse opera sua illo pretio

& ideò

& ideò præter conventionem aliquid aliud ſurripiunt , ut reſpondeat ſalario, vel mercedi, quæ ipſis videtur competens & in hoc volunt ſervari regulam, quantum ſolvebatur opus annis retroactis.

Hę autem quærimoniæ audiendę non ſunt; quia illud pretium eſt juſtum, pro quo plures alii famuli, vel operarii inveniuntur; unde falluntur qui plus ſibi deberi exiſtimant, quia annis pręteritis plus locabatur illud opus, dum tamen hodie minùs ſolet locari; nam pretium pro hoc tempore conſuetum, & pro quo alii reperiuntur eſt juſtum; unde juſtum pretium accipiunt, licèt ipſis videatur minus, conſequenter non poſſunt aliquid aliud ſurripere, & accipere; quia eſt plus juſto. Nec mirum ſi minùs locentur hodie opera quàm antea, nam ſicut cęteræ merces vileſcunt tempore magnę copię, ita, & opera famulorum, & operariorum. Tùm etiam, quia quare tempore indigentię operariorum, ut tempore meſſis, vel vindemię licitum eſt ipſis pluris ſe locare, plus petere, & plus accipere quàm ſi hęc indigentia non eſſet, cur non eſt licitum dominis minùs offerre, quandò plures ſunt operarii, & non habent ubi operentur? Tandem cur dùm non coguntur illi pacto ſe ſubjiciunt? quia non habent quomodo vivant, aut cui inſerviant, reſpondent: ergo ſicuti tempore inopiæ emptorum merces vileſcunt; ita & modò: conſequenter malè judicant operam ſuam majorem ſalario, quod recipiunt; quia ſalarium poteſt augeri, & minui pro varietate temporum. Contrarium autem eſſet, quando quis inveniret majus ſalarium, & ab aliquo cogeretur ad ſibi ſerviendum pro minori.

4 Sed quia rationes adductæ eò videntur maximè tendere; quia ſcilicet alii operarii, vel famuli invenirentur pro eodem pretio; in quo caſu id concedit Tambur. *in meth. celebrandæ miſſæ lib. 3. cap.* 1. §. 3. *n.* 39. & rationem adducit, quia in tali caſu eſt cauſa damni ipſi domino, nè alium conducat, qui minori pretio ſerviat.

Petes quid dicendum ſit in caſu; quo dominus non reperiret famulum, vel operarium, qui pro illo ſtipendio ſerviat?

Tambur. loco cit. n. 60. reſpondet: poſſe famulum in tali caſu occultè aliquid ſurripere ad compenſationem, quia in eo caſu nul-

nullum damnum dominus pateretur, cum pro minori pretio non invenisset.

Verùm mihi videtur alia distinctione utendum; vel enim famulus, vel operarius quærit cui operam suam locet, & ipse spontè se offert pro illo pretio exiguo, inferiori justo infimo, pro quo alii se locare consueverunt; vel quæsitus à Domino, spontè tamen, & liberè se offert pro illo pretio; vel tandem quæsitus, & renitens convenire pro illo pretio, sed demum gravi metu ductus illi pretio exiguo consentit.

In primo casu, puto falsam esse sententiam Tambur. & etiam in secundo, & ad eam extendendam esse damnationem præsentis Propositionis: in tertio verò casu veram esse, nec sub damnata comprehendi.

5 Ratio primi est; quia etsi illud pretium sit inferius justo; tamen non est debitum aliquid ulterius ex justitia: quia illa spontanea oblatio facit minùs valere rem; nam merces ultroneæ vilescunt, & consequenter famulus non habet jus ad illud, quod salario consueto deest, ut compensatione utatur. Tùm etiam, quia potest esse, quòd si majori pretio fuisset eum dominus conducturus, famulatu se privasset, & alio modo servitia illi commissa peragi curasset.

6 Ratio secundi est; quia in eo casu famulus spontè pro illo pretio se offerens, (quod contingit, quando duobus concurrentibus, alter, ut ipse præferatur, se offert pro minori) cessit juri suo plus habendi, & gratis condonavit; unde illud ex justitia ei non debetur: ac proindè dominus in eo, quod famulus surriperet, esset rationabiliter invitus: invitus quidem; quia ad hoc, & non majus salarium se obligavit: rationabiliter autem, quia pacto convenit de illo. Nec valet id, quod ait Tambur. famulum vendidisse suum famulatum dignum tanta mercede, licèt pro minori exhibuisset. Non inquam valet; quia ultrò pro minori se exhibens, reliquum remisisse censetur. Tùm denique, quia contra fidelitatem, & justitiam peccaret famulus, dùm stipendio minori ex promissione, & contractu mutuo se obligavit; & transgredi hanc in materia justitiæ, est contra justitiam, & fidelitatem.

Confirmatur. In casu, quo Sacerdos acceptat stipendium exi-

exiguum pro tot Missis, & illas promisit, nam etiam si illud pro tot missis non sit sufficiens, non posse tamen pauciores celebrare, respondit Sacra Congregatio: at illa responsio non fundatur in aliqua speciali ratione petita ab ipsa ratione missæ, sed in illis generalibus motivis, quibus motus fuit Urbanus VIII. videlicet, nè obstricta benefactoribus fides violetur, &c. ergo in casu, quo eadem ratio militat, etiam id, quod indè infertur, æqualem habet rationem.

7 Ratio tertii est, quia ille non censetur liberè remittere justum pretium, cum coactè, & metu ductus pro minori convenerit, ac proindè non amisit jus ad justum pretium, nec dominus justè illam diminutionem pretii retinet, sicut communiter dicitur de eo, qui necessitate ductus vendit rem suam minori pretio, non enim amittit jus ad justum pretium, nec emens potest sibi illud plus retinere: & hoc sensu intelligenda est objectio, quam adducit pro Suar. de Lugo *de Just. & jure tract.* 1. *dub.* 15. *sect.* 4. §. 2. *n.* 82.

PROPOSITIO XXXVIII.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantùmcumque sit magna summa totalis.

1 DUbium hoc agitabam Castriveterani occasione tractatus de peccatis, ad illam quæstionem: an plura venialia possint efficere unum mortale, & jam peccato mortali obstringi, per pauca furta pervenientem ad summam notabilem, & sub peccato mortali ad restitutionem teneri resolveram, quando ad me pervenerunt Propositiones damnatæ, quas impugnandas statim assumpsi. Est igitur sciendum: certum esse apud omnes DD. illum, qui in primo furtulo rei levis habet intentionem continuandi, & furandi magnam quantitatem, peccare mortaliter: quia aderat advertentia, deliberatio, & materia sufficiens ad peccatum mortale: si verò ille talis non habuit hanc intentionem in principio, sed tamen conti-

nuans modica furari, ad notabilem pervenit quantitatem, quæ aliquantulum major debet esse, ac si simul raperetur, & cum advertentia ad priora furta; excepto Navarr. *in man. cap.* 17. *num.* 139. communiter docent Doctores, tunc peccare mortaliter ratione acceptionis; licèt Navarr. concedat peccare mortaliter ratione retentionis; & teneri sub mortali ad restitutionem. Ratio est, quia ultima acceptiuncula, licèt in se, & præcisa relatione ad præcedentes sit venialis; tamen, ut dicit ordinem ad præcedentes, complet notabilem quantitatem, & sufficientem ad peccatum mortale, nec minùs illa quantitas continuatur in ratione retentionis, cum possit esse jam consumpta, quam in ratione acceptionis, nec minus est mortale retinere notabilem quantitatem, quàm accipere, ergo peccat mortaliter, non solùm, quia retinet, sed etiam quia accipit. Nihilominus.

2 Dicendum est: teneri sub mortali ad restitutionem, qui per pauca furta pervenit ad materiam notabilem sufficientem ad peccatum mortale, etiam si ratione acceptionis mortaliter non peccaverit.

Hæc Conclusio manet probata ex ratione adducta, quia scilicet summa illa totalis, licèt per pauca furta sit ablata, est tamen in unum collecta, & continuata, & facit notabilem quantitatem, non minùs, quàm si simul sublata fuerit, & affert ejus retentio notabile nocumentum Proximo: ergo obligat ad restitutionem sub mortali. Tùm etiam, quia aliàs per ista pauca furta posset quis omnibus bonis spoliari, sine spe aliquid recuperandi, cum surripiens non teneatur ad restitutionem.

Dixi: etiam si ratione acceptionis mortaliter non peccaverit, quia aliquando potest aliquis furari quantitatem, quę unita cum præcedentibus conflat summam sufficientem ad peccatum mortale, sed non advertendo ad priora furta: in tali enim casu non peccat mortaliter accipiendo, ex defectu advertentię, sed tamen postmodum advertendo, si retineat; peccat mortaliter, & incipit obligari ad restitutionem sub mortali, ratione retentionis rei notabilis nocivę Proximo. Quòd si statim, ac advertit proponit restituere, & incipit idipsum exequi, obligationem sub mortali præcavet: nec peccatum retentionis committit.

3 Petes primò: An idem dicendum ſit de furante modica à multis?

Reſpondetur affirmativè cum Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tr.* 2. *cap.* 3. §. 2. *n.* 1. Ratio eſt quia, licèt leve nocumentum fecerit cuique particulari, fecit tamen notabile detrimentum toti Communitati, & Reipublicæ: nam ſic iſte talis ditaretur cum gravi Reipublicæ detrimento, & omnes illi, à quibus levia ſublata ſunt, eſſent rationabiliter inviti. Quod etiam extendendum, ſi hæc modica à perſonis vagis furatus eſt: omnes enim illi conſtituunt unam communitatem damnificatam, & faciunt unum moraliter. Adverte tamen majorem, arbitrio prudentis, requiri quantitatem in hoc caſu ad conſtituendum peccatum mortale, & ad onus reſtitutionis ſub mortali.

4 Petes ſecundò: An iſte ſic paulatim ſurripiens teneatur ad reſtitutionem totius quantitatis ablatæ; vel ſufficiat reſtituere illam quantitatem, quæ complevit ſummam notabilem, & ſufficientem ad peccatum mortale?

Tambur. *loc. cit.* §. 1. *n.* 10. aſſerit: eſſe probabiliſſimum taliter ſurripientem ſolum obligari ſub mortali ad reſtituendam illam quantitatem, quę complevit ſummam notabilem; citatque Rebell. Petr. Navarr. & Molinam. Mihi tamen videtur contrarium aſſerendum. Ratio eſt, quia in hujuſmodi modicis furtis, illa quantitas complens in ultima acceptione ſummam notabilem, erit modica; & reſpectu totius ſummæ parva: ac proindè iſte talis retineret ſibi majorem partem E. G. Supponamus ad peccatum mortale ſufficere quatuor tarenos; & ultima acceptio ſit unius tareni (etiam minor poſſet eſſe) poſſet ſibi tres retinere, & unum reſtituere; & ſic majorem partem ſibi retineret. Unde non remaneret exigua quantitas, ut vult Tambur. nec eſt ſimile de illo, qui debens reſtituere centum, retineat ſibi duos julios, quem poſſe ait Mol. nam hæc eſſet modica reſpectu totius ſummæ. Tùm etiam, quia qui per modica furta pervenit ad notabilem quantitatem, non peccat, nec tenetur reſtituere ratione ultimæ acceptionis præcisè, qua illam complet; hæc enim ſeorſim à præcedentibus, eſſet parva quantitas; ſed tenetur ratione continuationis cum præcedentibus; & ratione totius ſummæ in unum collectæ: ergo totam ſum-

mam,

mam, quę eſt ratio obligandi, tenetur reſtituere, & ſolùm permitti poſſet, ut paucos nummos, qui reſpectu totius ſummæ ſunt parva quantitas, ſibi retineat. Tùm denique, quia iſte talis poſſet ditari aliena pecunia, pluries id faciens cum pluribus, & retinens ſibi reliquum, reſtituens ſolùm id, quod complet notabilem quantitatem, quod pro inconvenienti adductum eſt num. pręc. ex ipſo Tambur.

Dices: antequàm quis acciperet ultimam quantitatem, non obligabatur priora furtula reſtituere: ergo nec poſt acceptam ultimam quantitatem; ſed ſufficiet reſtituere id, quod complet notabilem quantitatem.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio eſt, quia ante illud complementum erat parva quantitas non ſufficiens ad mortale; modò autem eſt materia gravis non præcisè ratione ultimæ acceptionis; ſed ut continuatæ cum præcedentibus, & ſic obligatio conſurgit ratione totius ſummæ.

5 Ex dictis collige plures caſuum reſolutiones. Primò: ſi plures ſcienter notabile damnum inferunt tertio, etiamſi unuſquiſque per ſe parvam quantitatem furetur, peccant mortaliter, quia ſimul ſumptum illud damnum eſt notabile: & tenentur ſub mortali ad reſtitutionem. Si tamen poſtquam plures notabile damnum intulerunt, alius accedat, & parvam quantitatem furetur, iſte non eſt cenſendus peccare mortaliter, nec ſub mortali teneri ad reſtitutionem, quia iſte non fuit cauſa damni notabilis quod jam erat ab illis illatum, & illa parva quantitas addita damno notabili, non eſt notabile damnum, ſed illud ſupponit. Ita paſſim Doctores.

6 Ex hoc oritur dubium: an quando tres ex gr. intulerunt leve damnum alicui, & deindè ſuperveniens ſeorſim alius, damnum quoque leve infert, quod tamen conjunctum cum pręcedenti eſt grave: an iſte peccet mortaliter, & teneatur ſub mortali ad reſtitutionem? Ad hoc mihi dicendum videtur, quòd iſte talis, vel inſcius erat damni pręcedentis, vel conſcius, ſi inſcius non videtur peccare mortaliter; quia per ſe non infert damnum notabile, & licèt ex parte effectus continuetur damnum, & evadat notabile, reſpectu tamen ipſius *eſt* pręter intentionem, ſi tamen fuit conſcius, dicendum *eſt* peccare mor-

re mortaliter, quia ex ſua actione Proximo reſultare videns notabilem læſionem, ab ea non abſtinuit. Et reſpectu ipſius ſcientis materia damnificationis continuatur cum præcedenti, non ſolùm in effectu poſito, ſed etiam in objecto ſuæ voluntatis, licèt non reduplicativè, quia non intellexit illud leve damnum, ut notabile ratione præcedentium, ſed ſpecificativè, quia illud ut notabile junctum cum aliis cognovit, & non abſtinuit.

7 Collige ſecundò in materia Jejunii, cum quis unica die pluries pauca comedit, ita ut perveniat ad magnam quantitatem, in materia voti, cum quis omittit per plures dies eleemoſynam, vel recitationem, quam vovit per annum, licèt quælibet ſeorſim fuerit parva quantitas. Similiter in materia officii Divini pro eadem die, ut cum quis omittit parvam quantitatem in matutinis, & etiam parvam ad Primam, ad Veſperas &c. ita ut unita fiat notabilis quantitas. Similiter in materia intemperantię, cum quis excedit una die, & in ſequentibus, uſque dùm ultimus exceſſus, licèt parvus notabiliter ſaluti noceat. In omnibus per ultimum actum committi peccatum mortale: quia hæc omnia, quò ad effectum continuantur, & ſimul ſumpta, habent rationem materiæ gravis.

Secùs verò dicendum eſt in iis, quę non continuantur, ut ſi quis quolibet die parvam quantitatem officii omittat, pręceptum enim unius diei cum alio non continuatur. Similiter ſi quis quolibet die jejunii parvam quantitatem comedat: idem ſi votum eſt addictum determinatis diebus, & feſtivitatibus, ita ut quodlibet inducat ſpeciale præceptum, ſi ſingulis parvam quantitatem omittat. Similiter ſi quolibet die feſto parvam Miſſę quantitatem omittat; præcepta enim illa alligata diei, ceſſant tranſacto illo die, & non continuantur ad invicem.

8 Quæres: ſi aliquis plura vota emittit pro eadem die, putà recitare plures orationes Angelicas, uno voto unam, alio aliam &c. quę omnes ſeorſim ſint parva quantitas, & non obligent ad mortale, ut probabilis fert ſententia (cujus tamen contrarium cenſeo) at unitę ſint magna quantitas. An omnes omittens peccet mortaliter.

Bonac. *tom. de legibus disp.* 2. *q.* 3. *punc.* 5. *num.* 29. & Sanch. *in opere mor. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. asserunt mortaliter peccare. Ratio eorum est, quia violat præceptum Religionis in materia gravi per omnes illas omissiones simul sumptas, & illa omnia sunt paris conditionis, & obligant pro eodem tempore ex virtute, & præcepto Religionis, sicuti à pari, qui pluribus vicibus promittit aliquam materiam parvam, itaut omnes simul promissiones efficiant materiam notabilem, sub mortali tenetur stare promissis; quia violat Justitiam in re gravi.

Sed contra hoc est, quòd licèt illa vota sint pro eadem die; tamen pertinent ad diversa præcepta, & duo præcepta etiam numero distincta non continuantur inter se, ut patet de recitatione quotidiana officii. Unde non obstat disparitas, quam assignant inter illum, qui tenetur ad recitationem salutationis Angelicæ in aliquibus diebus festivis, quæ pluries intermissa, non affert peccatum mortale, & inter istum, dicentes, quòd ibi lapsu temporis cessat, & non continuatur illa materia; hic autem pro eadem die continuatur. Non inquam obstat, non enim hæc à tempore continuari possunt, cum ex se sint discontinua, tempus enim est mensura physica, distinctio autem illorum votorum discontinuat illa moraliter.

Quòd si fortè dicas: continuari in ratione honoris, & cultus Deo debiti; nam ad hoc omnia illa tendunt, & per omnium illorum omissionem tollitur, & subtrahitur Deo magnus cultus: ita etiam possem dicere de officio Divino, nam si intermittatur quotidie parva quantitas, in anno subtrahitur Deo magnus cultus.

Potest etiam impugnari ex hoc, quod ipsemet Sanch. admittit, quòd si plura præcepta Ecclesiastica violaret in eodem die, putà si in die Festo parvam quantitatem Missę audire omittat, & parum temporis operi servili incumbat, & si sit Clericus parvam quantitatem officii prætermittat, etiam si simul junctæ faciant magnam quantitatem, non peccaret mortaliter: & tamen per omnia illa violatur virtus Religionis in materia gravi. Unde hanc sententiam tenet Meroll. *tom.* 1. *disp.* 2. *de vitiis & peccatis cap.* 4. *coroll.* 7. *num.* 231. *ubi pro eadem citat*

tat

tat Suar. Lorcam, & Garziam. Et ad paritatem de promissione, respondet quòd ex una virtute non potest argui ad aliam illa autem est in materia Justitiæ : hęc verò in materia Religionis .

9 Ego autem, suppositione disp. gratia admissa , limitarem hoc modo sent. Bonac. & Sanch. Primò, si Vota sint de eadem materia , ex.gr. de recitatione plurium orationum dominicalium, vel plurium eleemosynarum , non autem si sint de diversis materiis, & sic potest assignari disparitas ad impugnationem factam.

Secundò limitarem hoc modo, vel enim omnia illa vota circa eandem materiam adunantur per se in eadem die putà ex intentione voventis, qui pro tali determinato die omnia illa vota simul emisit, videtur enim tunc ejus intentio ultimata fuisse de toto illo cultu illa die Deo reddendo, quem tamen deinde in magna quantitate Deo subtraheret: & præcipuè si simul illa emisit, quia tunc objectum ipsi pręsens, erat tota illa materia collectivè, licèt per partes pluribus votis divisa. Et in tali casu censeo peccare mortaliter, vel per accidens materia omnium illorum votorum adunatur in illa die, putà si quis promisit ex voto salutationem Angelicam quolibet die, alio voto promisit eandem quolibet die Dominicæ, alio, qualibet prima die mensis: alio, quolibet die quadragesimæ, & alio, die alicujus Sancti, quæ omnia incidant in eadem die, tunc enim non habuit intentionem circa totam illam materiam collectivè, & circa totum illum cultum, quapropter verè sunt discontinua, & militat ratio supra adducta: unde existimo non peccare mortaliter. Similiter si diverso tempore emisit illa plura vota, etiam pro determinato die; videtur enim tunc non habuisse intentionem circa totum illud collectivè, sed verè fuisse omninò discontinua, tàm in particulari, quàm in communi, & maximè si quando unum emisit, non advertit ad aliud votum antea emissum.

O PRO-

PROPOSITIO XXXIX.

Qui alium movet , aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati .

1 PRemitto, aliquem inducere posse alium ad grave damnum vel jussione, vel consilio. Jussio autem seu mandatum, vel potest esse respectu sibi subditi, vel non subditi: prius est verè, & propriè mandatum: at secundum, licèt non habeat verè, & propriè rationem mandati; quia hoc est proprium habentis auctoritatem: nihilominus mandans appellatur, quando ex ejus jussu procedit exequutio. Hoc autem fieri potest precibus, blanditiis, promissionibus, dummodò intuitu illius exequens id prestet. Consilium autem est, quando in gratiam exequentis, aliquid consulitur, quod etiam potest fieri exhortatione, directione, instructione; ut qui consulit homicidium, furtum, rapinam, incendium, destructionem predii &c. Hoc premisso.

2 Dico: qui alium movet, aut inducit, sivè mandato, sivè consilio, ad inferendum grave damnum tertio, si ex hoc mandato, & consilio sequitur illud damnum, tenetur ad restitutionem damni illati. Est communis opinio; quam expressè docuit S. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. distinguens duo genera concurrentium ad damnum inferendum, unum directè, aliud indirectè & de primo genere ait: *Directè quidem, quando inducit aliquis alium ad accipiendum, & hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo, movendo ad ipsam acceptionem, quod quidem fit præcipiendo, consulendo; consentiendo expressè, & laudando aliquem, quasi strenuum de hoc, quòd aliena accipit.* Unde infrà subdit illos versus tam vulgatos, & communiter receptos etiam suo tempore, quibus continentur omnes, qui ad restitutionem tenentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Nescio igitur quomodo contra communem, & antiquatam opi-

opinionem invexerit prædicta. Propositio asserens, prædictos ad restitutionem non teneri.

3 Probatur de jubente: nam jubens est principalis causa damni; cum exequens sit ejus minister: & voluntatis ipsius exequutor; sed quicumque est causa injustæ acceptionis, vel damni, tenetur ad restitutionem, cum lædat Justitiam commutativam, ex quo oritur obligatio restituendi: ergo &c. Quod confirmari potest ex illo ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm, qui faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus*. Sed jubens magis influit in damnum, quàm consentiens: ergo &c. Huic simile est illud, quod dicitur 2. *q.* 1. *c. Notum sit*. *Facientem, & consentientem par pœna constringit*, & illud aliud: *Cap. si culpa, §. sanè, de injur. & damno dato. Dans occasionem damni, damnum dedisse videtur*.

4 Probatur de consulente; & primò patet authoritatibus jam adductis. Secundò ratione: supponendo, quòd verè ex illo consilio, exhortatione, &c. motus sit alter ad damnum inferendum, ut in Propositione, quam impugnamus, supponitur. Tale consilium est causa efficax damni: ergo consulens tenetur ad restitutionem. Consequ. patet, quia est causa injustę acceptionis; vel damnificationis: Ant. probatur, quia Arist. 2. *phys. cap.* 3. vocat Consiliarium causam efficientem. Et in Jure, consiliarius, & consentiens pari pœna puniuntur, ut constat *ex Cap. Notum sit*; mox cit: sicut ipse delinquens, & *ex Cap. Sicut dignum de homic.* & *ex Cap. Nuper de sentent. excommunic. & ex l. Qui servo, ff. de furtis, & l. prima de servo corrupto*.

5 Dixi in conclusione: si ex illo mandato, vel consilio sequatur illud damnum; quoniam sivè damnum non sit sequutum, vel ex illo mandato, vel consilio non sequatur, sed aliundè, mandans, & consulens non tenetur ad restitutionem. Tunc autem non sequitur ex mandato, quando mandans tacitè, vel expresè revocavit mandatum, & hoc mandatario innotuit, vel quando mandatarius excessit, id enim in quo excessit, mandanti non imputatur.

Consulenti autem non imputatur, quando æquè paratus erat alter damnum facere, ac si consilium præstitum non fuisset: secùs verò si alius consilium dedisset, si ipse, non consu-

luisset, dum ex consilio sequitur damnum. Idem dicendum est de adulatore, qui palpo dicitur, quando ex sua approbatione alter movetur ad damnum inferendum, sed de his fusiùs in *tract. de Restit.*

PROPOSITIO XXXX.

Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem Personæ cum Contractu retrovenditionis prævìè inito, cum intentione lucri.

1 PLures contractus licitè fieri posse cum pacto retrovenditionis, ut sunt onera census bullalis; venditiones cum carta gratia redimendi &c. qui videri possunt apud Sot. Mol. Bonac. Tambur. & alios: qui nisi vitientur ex aliqua prava circumstantia, liciti sunt: non enim ex hoc quòd sit pactum retrovenditionis, sivè in favorem emptoris, sivè in favorem venditoris vitiatur contractus.

Contractus igitur Mohatra non est quicumque factus cum pacto retrovenditionis, sed est ille, quo res cariùs venditur credito, ut statim viliùs ematur numerata pecunia: qui teste Tambur. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 7. *§.* 8. *n.* 9. alicubi dicitur Porro, alicubi, Pillizza, alicubi, Baratto, & teste Bonac. *de restit. disp.* 3. *q.* 2. *punc.* 3. *n.* 20. lingua Italica appellatur Stocco, lingua Hispana à Mich. Salon. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. appellatur Mohatra.

2 Casus igitur est, cum Titius vadit ad Mercatorem, & emit ulnam panni credito, triticum, vel quid simile: deindè eidem mercatori eandem rem vendit numerata pecunia, an possit cariùs mercator vendere, & viliùs redimere?

Circa hoc sunt notandæ aliquæ conditiones, quæ possunt adjungi, nam in primis si nullum pactum extet retrovenditionis; nullaque intentio redimendi viliùs præcesserit in mercatore, nec scientia, an Titius panno indigeret, an pecunia, & an illum debeat retrovendere, sed bona fide pannum vendat credito, vendatque justo pretio, sed rigoroso; non intuitu

expe-

expectandæ solutionis (in quo posset esse difficultas) & deindè à Titio, vel tunc statim rogetur, vel post breve spatium redeunte, ut pannum redimat, etiam si Titius ideò emerit, ut retrovendat, dùm hęc intentio mercatori non innotuerit, potest mercator redimere infimo justo pretio numerata pecunia. Patet hoc, quia nulla fraus intercedit, nulla palliatio mutui, nullaque species injustitiæ; quia potest vendere rigoroso, & emere infimo intrà limites justi pretii. Tùm, quia merces ultroneę vilescunt. Tùm; quia mercator iste, quia vendidit credito non evadit deterioris conditionis, quàm quilibet alius, qui pretio infimo posset emere.

3 Alio modo potest esse, ut mercator sciat Titium non indigere panno, sed pecunia, & revenditurum pannum viliori pretio, & ipse vendat rigoroso pretio, cum intentione redimendi viliori, nullo tamen pacto interveniente, nec implicito nec explicito, nec per se, nec per alios. Et in hoc casu, puto licitum esse, redimere viliori: quia istę sunt duæ emptiones, & venditiones distinctæ, & ambæ justæ. Et quamvis illa intentio præcedat in mercatore; dùm tamen pactum non intercedit nullum onus injustum imponitur Titio: nec illa intentio est illicita, licèt tendens ad lucrum; aliàs emere viliùs, ut cariùs vendatur, quod est negotiatorum intentum, illicitum esset. Tùm; quia dùm non præcessit pactum, posset Titius cuicumque vendere illo infimo pretio. Si tamen Titius, si alteri venderet, medio pretio esset venditurus: & mercator illi dicat, ut sibi retrovendat, & offerat infimum pretium, sciens ob verecundiam, quia ab ipso accepit credito, consensurum, videtur illicitè agi, quia intuitu expectatæ solutionis exigi videtur illud, in quo pluris vendidisset Titius, si aliis vendiderit. Unde securius est mittere ad forum, ut vendat, & quantum repererit, sibi potiùs, quàm aliis retrovendat, non in pactum hoc deducendo, nec ante venditionem, sed post, & liberum ipsum relinquendo, si velit sibi potiùs, quàm aliis vendere.

4 Alio modo potest contingere, ut Titius à mercatore petat pecuniam mutuo, sed is se pecuniam non habere respondens, offerat ei merces ad valorem pecuniæ postulatæ, ea intentione, ut vendat rigoroso pretio, & redimat infimo, cum sciat

ipſum propter pecuniæ indigentiam ad hoc deventurum: licèt hoc non deducat in pactum, ſed hoc intendat, & in hoc caſu putò mercatorem non excuſari à labe uſuræ: quia revera illud pluris quo vendit, pro mutuo accipit, eſtque palliata venditio, revera mutuum, vel quaſi mutuum. Et quamquàm pactum non præcedat, unde poſſet alteri vendi; tamen moraliter exiſtimatur, ut Titius non ſit diſſenſurus, ſi Mercator ab eò petat ſibi retrovendi; tum propter indigentiam pecuniȩ; tùm ne quȩrat cui vendat, cum difficile ſit ſtatim emptorem invenire; tùm in gratiam mercatoris credito vendentis.

5 Denique poteſt contingere, ut mercator vendat cum pacto retrovenditionis, & vendat credito, rigoroſo pretio, ut redimat numerata pecunia, viliori, & cum intentione hujus lucri: & hoc ex ſe illicitum eſt, & in prȩfata Propoſitione damnatum. Probatur: in primis hæc eſt palliata venditio, & emptio, revera in intentione eſt mutuum: ſed illicitum eſt, & *labe* uſuræ infectum aliquid plus accipere pro mutuo: ergo &c. Secundò, quia illud onus, quod mercator imponit, ut ſibi retrovendat, eſt pretio æſtimabile, & aliàs ſupponimus vendere pretio rigoroſo: ſed quicquid, ultrà pretium rigoroſum, oneris imponitur eſt injuſtum: ergo &c. patet hæc minor, quia quicquid imponitur ultrà limites juſti pretii, ipſumque excedit, eſt injuſtum: at in tali caſu venderet mercator pretio rigoroſo, quod eſt ſummum intrà limites juſti pretii, illud onus retrovendendi apponendo, ergo hoc onus eſt injuſtum. Quod expreſſit Angelicus 2. 2. *q.* 78. *art.*2. *ad* 7. ubi inquit. *Si aliquis cariùs velit vendere res ſuas, quam ſit injuſtum pretium, & de pecunia ſolvenda emptorem expectet, manifeſtè uſura committitur.* Cariùs autem vendere non ſolùm importat augmentum pretii ultrà juſtum, ſed quodcumque onus pretio ȩſtimabile, ut in corpore ejuſdem art. docuerat S. D. dicens: *Ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expreſſo quodcumque aliud acceperit, cujus pretium pecunia menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit.* Et ad 3. hoc aliquid plus etiam ad obſequium à manu, vel à lingua extendit: quod certè minus eſſe poteſt illo onere ſibi retrovendendi, quo privatur jure ſuo in rem emptam, & commoditate reperiendi majus pretium eo, quod mercator offert. Et hȩc locum habent,

etiamſi

etiamsi nullum pactum intercesserit determinati pretii in retrovenditione: si enim etiam hoc intercedat, manifestum mutuum, & usura est censenda.

PROPOSITIO XXXXI.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

1 PRæmitto usuram, quæ est lucrum immediatè proveniens ex mutuo, esse illicitum, tùm in Jure Ecclesiastico, ut constat ex toto titulo Decret. *de Usuris*. Unde in Conc. Vienn. sub Clem. V. damnantur ut hæretici, qui pertinaciter affirmaverint exercere usuras non esse illicitum, & peccatum, sic enim habetur in Clement. tit. de Usuris, *Cap. Ex gravi. Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum, velut hæreticum puniendum*. Tum etiam Jure Divino, dicitur enim. *Exod.* 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor, nec usuris opprimes*. Ezech. 18. *Qui usuram non acceperit*. Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Et Ps. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Huic scilicet dabitur ingressus in tabernaculum Dei. Tùm denique jure naturali, ut patet ex ratione naturali efficaci adducta à S. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. quia scilicet venditur id, quod non est, vel eadem res bis, quod manifestè injustum est; nam in pecunia, cujus principalis, & proprius usus est consumptio, cum teste Arist. 1. *Polit.* principaliter sit inventa ad commutationes faciendas, & in iis, in quibus usus est ipsarum rerum consumptio, non debet seorsum computari usus rei à re ipsa: unde cuicumque conceditur talium rerum usus, conceditur eo ipso res ipsa, & ideò in talium mutuo transfertur dominium: sequitur, quòd non potest seorsum vendi usus ab ipsa re; sed hoc esset bis vendere eandem rem, vel vendere id, quod

non eſt. Accipiens autem lucrum ex mutuo, cum accipiat pro ipſa re, nempè pecunia, æquivalens, illud plus acciperet pro uſu pecuniæ, & ſic venderet bis eandem rem, vel id, quod non eſt.

Unde miror Tambur. aſſeruiſſe, nondum plenè probatum eſſe Juri naturali repugnare uſuram, & eſſe ſecundùm ſe illicitam, cum tamen Philoſophus ratione naturali ductus 1. *Polit. cap.* 7. dixerit, quòd uſuraria acquiſitio pecuniarum eſt maximè prȩter naturam. Hoc prȩmiſſo.

2 In primis, falſum eſt numeratam pecuniam pretioſiorem eſſe numeranda. Nam pretium pecuniȩ non dependet à temporum variatione, & emptorum, vel venditorum copia, vel inopia, ut triticum, vinum, & ſimilia; ſed eſt taxatum, & prȩfixum immobiliter à Republica, vel Principe; & tanti valent centum Unceȩ hodie, quàm hinc ad menſem, vel annum: ergo non eſt pretioſior numerata pecunia, quàm numeranda. Immò etiamſi pretium monetȩ decreſceret juſſu Principum, ut ſi moneta aurea, quȩ modò valet Tarenos 40. valeret poſteà 38. non per hoc, quantùm ad mutuantem pretio decreſceret; mutuatarius enim 40. reddere debet, vel in alia moneta, vel ſi in eadem moneta aurea, cum ſupplemento pretii, in quo tunc temporis quando reddit, minùs valeat: niſi aliud ſit deductum in pactum: ergo ȩqualis pretii eſt numerata pecunia, quæ à mutuante traditur, ac illa quȩ à mutuatario redditur.

3 Alium valorem conſiderare poſſumus in pecunia, ſcilicet potentiam ad lucrum, in quantùm, vel per negotiationem, vel per emptionem agri, armenti, &c. eſt apta ad lucrandum & hoc habet pecunia præſens, non futura; & ſecundùm hoc dici poſſet numeratam pecuniam eſſe pretioſiorem numeranda.

Hæc autem potentia, ut obſervat Eminent. Cajet. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *§. Initium autem*, duplex eſt, altera, quæ eſt ipſius pecuniæ abſolutè, in quantùm poteſt eſſe inſtrumentum ad lucrandum, quæ comitatur ipſam pecuniam abſolutè: alia eſt potentia pecuniæ, ut ſubeſt induſtriȩ negotiatoris, vel emptoris, tali loco, vel tempore: & commoditate. Vel ut alii di-

cunt,

cunt, alia eſt potentia remota pecuniæ ad lucrum, alia proxima. Prima potentia convenit pecuniæ ſecundùm ſe, & à quocumque habeatur: ſecunda verò non convenit ei, niſi prout ſubeſt induſtriæ. Pecunia igitur cum ſua potentia primo modo non eſt pretioſior numerata, quàm numeranda; ſivè præſens, ſivè futura, quoniam hęc potentia communis eſt omni pecunię nec diverſum judicium faciendum eſt de ea, & de ſua potentia, ſed pro eodem computantur. Unde ex hac potentia non poteſt creſcere pretioſitas pecunię; ſicut (exemplum eſt Cajet.) triticum habet potentiam ſementinam inſeparabiliter annexam, in quantùm eo poteſt quis uti ad ſerendum: non tamen ideò plus valet propter hanc potentiam. Si verò accipiatur pecunia prout ſubeſt induſtrię, ſic habet majorem valorem, & eò plùs, vel minùs, quò magis, vel minùs proxima eſt lucro, & ſecundùm qualitatem negotii, & induſtrię negotiatoris, & hęc non convenit pecunię, niſi per ordinem ad aliquem, nec eam habet, niſi revera eſſet applicanda: quemadmodum idem triticum poteſt habere potentiam ſementinam proximam, ſi revera ſit paratum; & ordinatum ad ſerendum, & hæc poteſt ſuſcipere magis, & minùs, ſecundùm quòd magis, vel minùs proximum eſt: ſcilicet ſi adhuc eo fine retinetur domi: vel ſi eſt jam delatum ad agrum, vel etiam ſparſum.

Ex quibus ſequitur, quòd ſicut ſi triticum, quod poſſideretur ab aliquo, ut ſerendum, & paratum pro ſemine, ſi à latronibus eſſet ablatum non ſolùm deberet fieri reſtitutio ad ęqualitatem, quò ad menſuram tritici ablati; ſed aliquid plus correſpondens illi lucro percipiendo ex ipſo ſi ſeminaretur, ob damnum, ob id emergens domino tritici: ſi verò ad hoc non fuiſſet applicandum, non obſtante potentia ſementina, quam abſolutè, & in ſe habet triticum, non teneretur fur aliud reſtituere, niſi ęquale tritico accepto, nec pluris propter hanc potentiam ęſtimatur: ita pariter, ſi pecunia quæ mutuatur habet potentiam proximam ad lucrum, ſi revera erat applicanda negotiationi, vel emptioni habet majorem valorem, & pluris meritò ęſtimatur pręſens, quàm futura, non quia pręſens, ſed quia applicanda, & in potentia proxima ad lucrum, quod non habet pecunia futura. Unde propter hoc poſſet aliquid ultrà

trà ſortem exigi à mutuatario juxtà qualitatem negotii, deductis periculis, expenſis, &c. Sed hoc non eſſet ratione pecuniæ mutuatæ; ſed ratione lucri ceſſantis, quod omnes concedunt. Secùs verò pretioſior eſt æſtimanda pecunia præſens, ſi ab aliquo incluſa in arca poſſideretur, nulli negotiationi, vel emptioni applicanda; non obſtante potentia remota, vel quæ competit pecuniæ abſolutè, in quantùm poteſt eſſe inſtrumentum ad lucrandum, ut patet de exemplo tritici. Igitur præcisè, quia numerata, vel quia præſens, pretioſior non eſt numeranda, nec pluris æſtimari rectè poteſt, quàm futura.

4 Dices: pluris æſtimari rectè pecuniam præſentem, quàm futuram, etiam ſi nulli negotiationi applicandam, duplici ex capite. Primò, quia quidam caſus poſſunt contingere inopinati, in quibus maximè deſerviret ad evitanda aliqua damna, ad aliquas redimendas vexationes, vel quid ſimile, quod non poteſt fieri per pecuniam futuram; benè tamen per præſentem. Secundò ob periculum, & moleſtias, quas paſſurus eſt mutuans ad recuperandum capitale, quod, & quas non pateretur, ſi non mutuaret.

Reſp. ad primum, quòd ratione damni emergentis, vel periculi damni poteſt licitè mutuator paciſci cum mutuatario, ut damnum emergens ſolvat, ut ſe ſervet indemnem, ut rectè Bonac. *de Contract. diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 4. citans plures alios: dùm tamen ſervantur conditiones à DD. aſſignatæ pro damno emergente.

Ad ſecundum dicendum, poſſe evitari illud periculum, ſi fidejuſſorem, vel pignus mutuans expoſcat pro aſſecuratione capitalis. Secundò dicendum cum Bonac. & aliis ab ipſo citatis loco cit. punc. 5. poſſe pro hujuſmodi periculo aliquid accipi ultrà ſortem, quia hujuſmodi pericula ſunt pretio æſtimabilia, & mutuator ea gratis ſubire non tenetur. Quapropter cum in proverbium tranſiit: melius hodie ovum, quàm cras gallina, non alia ratione dici conſuevit, niſi ratione periculi, cui ſubeſt futurum. In neutro autem caſu aliquid accipitur: quia plus valet pecunia præſens, quàm futura. Nec prædicta Propoſitio loquitur ob prædicta damna, vel pericula; ſed de pecunia liquida: & ſolùm majorem valorem refert, quia præſens eſt, vel futura.

5 Ex

5 Ex quibus omnibus ſequitur: quòd ſi ab aliquibus pluris æſtimetur pecunia pręſens, quàm futura, quando nullum ceſſat lucrum, nullumque damnum emergit; nec periculum amittendi capitale, ſed otioſa maneręt pecunia in arca, & perſonę ſecuræ, & cum debitis cautelis mutuo tradatur; hæc major æſtimatio non eſt conſona rectę rationi, ſed immoderata & ex nimio affectu pecuniæ, & avaritiæ vitia proveniens. Quapropter ob hujuſmodi vitioſam aliquorum æſtimationem non poteſt creditor aliquid ultrà ſortem exigere à mutuatario, & eo titulo ab uſura excuſari.

6 Ex dictis colligitur falſitas dictę Propoſitionis, quæ fundatur in illo principio: numeratam pecuniam eſſe pretioſiorem numeranda, & pluris æſtimari pecuniam pręſentem, quàm futuram, quam docuiſſe Caram. in *Theol. mor.* refert Gonet.

Inſuper probatur ratione jam adducta S. Th. qua probat uſuram eſſe illicitam, falſum eſſe, poſſe creditorem aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, etiam admiſſo numeratam pecuniam eſſe pretioſiorem numeranda; hoc modo: vel hoc majus pretium, quod habet numerata pecunia, eſt quid intrinſecum conveniens ipſi abſolutè, vel ratione alicujus extrinſeci, quia ſcilicèt ſubeſt induſtriæ, vel quia deſervire poteſt ad aliqua damna vitanda: ſi hoc ſecundum, jam concedimus poſſe aliquid ultrà ſortem creditorem accipere, ſed hoc reducitur ad damnum emergens, vel lucrum ceſſans: ſi primum, malè indè infertur, poſſe ob id creditorem aliquid accipere ultrà ſortem: ergo &c. Probatur minor: quia uſus pecuniæ pro eodem computatur cum ipſa, non poteſt aliquid pro uſu accipi, diſtinctum ab ipſa pecunia (hæc eſt ratio D. Th.) aliàs eadem res bis venderetur: ergo, quia hæc pretioſitas pecuniæ numeratæ eſt aliquid intrinſecum ipſi, nec ut quid diſtinctum computari poteſt ab ipſa pecunia numerata; nec aliquid pro hac pretioſitate ultrà ſortem accipi poteſt, aliàs eadem res bis venderetur.

7 Confirmatur 1. Quando poſt tempus quis ſolvit mutuum, jam tradit pecuniam numeratam: ergo hæc æquivalet in pretio illi, quę tunc fuit mutuata. Probatur conſequentia: hęc non eſt ampliùs numeranda, nec futura, ratione cujus ęſtimabatur minoris pretii, ſed pręſens; & ceſſante ratione, quare aliquid ſit

tale,

tale, debet cessare id, quod ad ipsam sequitur. Et licèt admittatur, quòd dum erat solvenda, ratione, qua futura, & numeranda, fuisset minoris pretii, quia erat in spe, & non in re; tamen quando fit pręsens, & in re, jam cessat ratio minoris pretiositatis: & per hoc solùm, quòd solvatur, redditur ęquivalens illi pecunię tunc mutuatę: ergo aliquid plus, quod solveretur ultrà sortem, esset indebitum, & contrà ęqualitatem rei ad rem: & consequenter contra Justitiam. Et hoc est, quod dixit S. Th. loco cit. ad 5. *Ille, qui mutuare non tenetur, recompensationem potest accipere ejus quod fecit, sed non ampliùs debet exigere. Recompensatur autem sibi secundùm æqualitatem Justitiæ, si tantùm ei redditur, quantùm mutuavit.*

Nec quia intrà illud tempus, quo nondùm facta est solutio, erat minoris pretii, poterat aliquid accipi: nam si hoc tunc accipiatur, cum defacto solvit, computandum est cum sorte principali; cum per meram solutionem ęquivalentis pecuniæ jam constituatur æquale.

8 Confirm. 2. nam si ob hoc, quia traditur numerata pecunia pro numeranda, & præsens pro futura, posset aliquid ultrà sortem creditor accipere, jam hoc acciperetur ratione mutui, & esset lucrum immediatè proveniens ex mutuo; sed hæc est propriè usura, ut patet ex ejus definitione: ergo ob hanc rationem non posset ab usura excusari.

Probatur seq. De intrinseca ratione mutui est, tradi pecuniam numeratam pro numeranda, immò expectandi solutionem post aliquod tempus, quod est tradi præsentem pro futura formalissimè: ergo quicquid hac ratione accipitur, accipitur formalissimè ratione mutui, & esset lucrum immediatè proveniens ex mutuo.

9 Confir. 3. Admissa prædicta opinione nulla unquam committeretur usura; & frustrà in Scriptura, & sacris canonibus contra ipsam declamaretur; nam semper, & in omni mutuo impræscindibiliter datur pecunia numerata pro numeranda, & præsens pro futura: ergo si ob hanc rationem licitum esset aliquid ultrà sortem accipere, & à labe usuræ excusaretur accipiens, nulla unquam committeretur usura.

10 Conf. 4. Si hoc esset licitum, etiàm licitum esset aliquid ultrà

ultrà sortem exigere ratione carentiæ pecuniæ; in idem enim redit carentia pecuniæ, & numerata pro numeranda; quod tamen est contra communem sensum DD. & ratio quam adducunt, utrobique æquè militat. Similiter licitum esset res cariùs vendere ratione expectatæ solutionis, quàm sit justum pretium; quia si venderet numerata pecunia, hæc esset pretiosior illa numeranda. Cujus tamen oppositum docent DD. cum S. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 7. ubi sic ait: *Si aliquis cariùs velit vendere res suas, quàm sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifestè usura committitur; quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui*. Ecce his verbis adductis pro causali quomodo S. Th. redarguit Propositionem, quam impugnamus. Quid namque aliud est aliquid ultrà sortem exigere, quia traditur numerata pecunia pro numeranda; nisi expectatio pecuniæ solvendæ? Et hanc, ut suprà dicebamus, dicit habere rationem mutui; unde esset lucrum immediatè proveniens ex mutuo, quod est propriè usura. Unde concludit S. D. *Quicquid ultrà justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ*. Ubi apponit ly, *quasi*, quia sermo est de venditione, non de propriè mutuo. Hæc satis de præsenti Propositione.

PROPOSITIO XLII.

Usura non est dum aliquid ultrà sortem exigitur tanquàm ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur tanquàm ex Justitia debitum.

1 PPro hujus resolutione, & intelligentia advertendum est: aliud esse aliquid accipere, aliud verò exigere; accipere enim importat actum, quem exercet aliquis accipiendo sponte datum, & gratuitum, nullo pacto interveniente, nec tacito, nec expresso; nulla petitione facta ab accipiente; nec quia putetur ex obligatione datum, sed tanquàm mera gratuita, & liberalis donatio. Exigere autem importat, vel pactum taci-

tacitum, vel expressum, vel ex aliqua obligatione datum, vel saltem petitionem aliquo modo ad dandum, veluti impellentem, non solùm intercessivam, vel amicabilem, ex parte accipientis præsupponit.

2 Advertendum est etiam, quid intersit inter debitum ex Justitia, & ex gratitudine, seù benevolentia: nam revera debitum, loquendo de civili obligatione, in ordine ad aliquid dandum, videtur pertinere ad Justitiam; tùm quia intercedit saltem pactum implicitum, aliàs non transiret in civilem obligationem, sed esset liberalis donatio; & materia circa quam versatur est materia Justitiæ: unde S. Th. *loco cit. Propos. præc. art.* 2. *in corpore*, quicquid cadit sub pacto tacito, vel expresso, dicit esse contra Justitiam, si accipiatur ob mutuum: nec alio modo distinguit gratuitum donum, quod licitè potest accipi, ab eo quod illicitè, & contra Justitiam accipitur; nisi per hoc, quòd non adsit aliqua obligatio, nec tacita, nec expressa. Et certè gratuitum non est, quod debitum est, cum gratis dare, & debere, inter se opponantur, licèt impropriè gratitudo possit dici debitum. Lusus ergo verborum, & palliatio usuræ est id, quod asserit prædicta Propositio: & si dicatur à contrahentibus hoc exigi, non ut debitum ex Justitia, sed ex gratitudine, frustrà apponitur illa limitatio; nam eo ipso, quòd solvitur, ut debitum, & exigitur, ut debitum, non potest esse ex gratitudine.

3 Accipere igitur aliquid ex mutuatarii benevolentia, & gratitudine, non tanquàm debitum, sed tanquàm gratuitum donum, nec intuitu mutui, seù tanquam mutui pretium licitè potest mutuator; ut docet S. Th. loco proximè cit. dicens: *Si verò accipiat aliquid hujusmodi, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat*. Cujus rationem assignat dicens: *Quia etiam antequàm pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc quod mutuavit*. Divum Thomam sequuti sunt Mol. Less. uterque Navarr. Rebell. Arragon. Salon. Ban. Salàs, Bonac. & alii; licitè aliqui magis extenderint assertum D. Th. ut mox dicam.

Aliqui Doctores extendunt hanc Propositionem, ut asserant non peccare, nec obligationem contrahere restituendi (verba

sunt

sunt Tambur. *lib.* 9. *de Contract. tract.* 1. *cap.* 3. §. 1. & similia habet Bonac. & alii) si mutuet quis intendendo, immò, & habendo aliquid ex mutuatarii benevolentia, gratitudine, liberalitate, amicitia, quamvis intentionem habeat non mutuandi si re sperata careat. Ratio eorum est, quia non intenditur, tanquàm pretium mutui, sed tanquàm gratuitum donum, nec ut debitum. Hæc opinio est probabilis, nec in damnata continetur: attamen mihi videtur inesse periculum usuræ mentalis, dùm ita aliquis afficitur, ut non esset mutuaturus si re sperata careat; per hoc enim videtur illud donum intendere ob mutuum, & quasi debitum: undè cautè incedendum est.

4 Igitur sensus in quo est damnata prædicta Propositio, est quando ultrà sortem aliquid exigitur; (non quandò spontè oblatum accipitur) & tanquam debitum, licèt ex gratitudine, non ex Justitia, sumpto debito propriè pro civili obligatione: unde excluditur quodcumque debitum. In hoc sensu videntur eam tenuisse Covarruv. *l.* 1. *var. cap.* 77. *num.* 4. qui refert Major. & alios ut tradit Bonac. *de Contract. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 11. *num.* 8.

5 Falsitas hujus Propositionis patet primò ex dictis in secundo notabili; eamque rejectam esse à D. Th. constat ex verbis cit. num. 3. ubi negat aliquid accipere posse mutuatorem, quasi exigens, vel quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa. Item patet ex eo, quod ait in resp. ad 2. ubi inquit: *Debito ex amicitia non competit civilis obligatio, per quam inducitur quædam necessitas, ut non spontanea recompensatio fiat.* Item in resp. ad 4. ait: *Licet mutuanti unum, aliquid aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* In quibus locis patet D. S. nil prorsùs velle exigi posse, ut debitum, neque id, quod ex benevolentia, & gratitudine potest accipi.

6 Probatur ratione deducta ex eodem D. Th. locis cit. quoniam non licet aliquid exigere in mutuo ultrà sortem, quod sit pretio æstimabile; sed obligatio, & debitum additum gratuitæ compensationi est aliquid pecunia æstimabile, ut docet idem S. D. ergo &c. Major patet; quia aliàs plùs exigeretur eo, quod mutuatur. Minor etiam constat, quia obligatio, & debitum est onus quoddam, maximè si sit tradendi aliquid pretio æstimabile.

Unde

Unde Cajet. *in comm. loco cit.* advertit, quòd nequè potest obligari mutuatarius ex pacto ad remutuandum tunc, quandò naturali jure teneretur; idque deducit ex textu, quia illi naturali obligationi adjicere civilem obligationem est pecunia æstimabile: ac proindè plùs exigitur eo, quod mutuatur, quod est manifesta usura. Concedit tamen Cajet. posse mutuatorem respicere ad gratitudinem, vel ingratitudinem mutuatarii: sed hæc sine pacto ex affectu animi expectantur, tanquam ex naturali jure.

Confirmatur. Ex eodem D.Th. ex dictis ad 2. exigens aliquid, ut debitum ex gratitudine ut plurimùm est causa, ut mutuatarius coactè & involuntariè præstet, vel promittat donum, sed hoc est aliquid extorquere per injuriam: ergo injustè agit sic exigens.

7 Pro complemento nota, non solùm damnari in hac Propositione posse adjici initio mutui pactum de aliquo præstando, ut debito ex gratitudine, sivè expressum, sivè tacitum, sed etiam postmodum, etiam si nullum intercesserit pactum, posse aliquid peti, ut debitum ex gratitudine, ut cum quis pluries instat, & mutuatarium interpellat; ut sibi aliquid tradat, inculcans hoc sibi ex gratitudine deberi: hoc enim importat illud verbum *exigitur* positum in præfata Propositione, utroque enim modo videtur aliquid exigi.

PROPOSITIO XLIII.

Quidni nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

1 DEtractio definitur à S. Th. 2. 2. *q.* 73. *art.* 1. est denigratio alienæ famæ per occulta verba, in quo differt à Contumelia, quæ est per verba manifesta, seu in faciem ejus, cui infertur. Fama autem, ut tradit Sot. *lib.* 4. *de Just. & Jure q.* 6. *art.* 3. *ad* 4. est communis, clara opinio, & æstimatio bonæ, & inculpatæ vitæ, voce manifestata, quam de aliquo habent homines.

2 Octo modis potest exerceri detractio. 1. Imponendo alicui falsum crimen. 2. Augendo, & amplificando verum crimen. 3. Manifestando crimen occultum. 4. Interpretando, & explicando factum honestum alicujus in sinistram partem; ut si dicat prava intentione factum, & his quatuor modis dicitur directè quis detrahere: qui hoc versu continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Aliis quatuor modis indirectè dicitur quis detrahere; quorum Primus est negare rectè facta, & bona alterius. Secundus diminuere rectè facta. Tertius malitiosè reticere bona alterius loco, & tempore, quo ejus reticentia vergit in vituperationem illius, ut si cæteri ex ejus taciturnitate falsam esse laudem concipiunt; vel aliter in ejus opprobrium redundat. Quartus est ita remissè, & frigidè laudare, ut cedat in vituperationem laudati. Hunc quartum modum non explicavit D. T. quoniam ad secundum vel tertium reducitur, & hi quatuor modi hoc alio versu explicantur.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè,

3 Detractio formalis de se est peccatum mortale, nisi ob parvitatem materiæ excusetur, ut ait D. T. *loco cit. art.* 2. quem sequuntur communiter DD. & patet primò ex sacris litteris; nam 1. *Machab.* 7. detractores Judæ Machabæi apud Regem Demetrium, vocantur impii, & iniqui. Ibid. *cap.* 10. illi, qui voluerunt detrahere Jonathę apud Regem Alexandrum, vocantur viri pestilentes. Et 2. *Machab.* 3. & 4. Simon, qui detraxit Onię Pontifici apud Regem Antiochum vocatus est impius. Ad *Rom.* 1. dicuntur detractores Deo odibiles. *Jacaobi* 4. dicitur: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei, qui detrahit fratri, detrahit legi*, idest; ut exponit S. Th. 2. 2. *q.* 74 *art.* 2. *ad* 3. Contemnit præceptum de dilectione proximi. Et Ps. 100. dicitur: *Detrahentem secretò Proximo suo hunc persequebar.*

Probatur etiam ratione D. T. læsio Proximi in re gravi est peccatum mortale: utpotè contra præceptum dilectionis Proximi; sed per detractionem læditur Proximus in re gravi, nempè in fama, quę est pretiosior inter res temporales, ut dicitur Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit*

 tibi,

tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi; ergo detractio secundùm se est peccatum mortale.

Confirmatur: furtum ex se est peccatum mortale, quia aufertur Proximo res temporalis, nisi parvitas materię excuset: ergo multò magis est peccatum mortale detractio, cum per ipsam auferatur fama, quæ est pretiosior divitiis, ut dicitur in Parabolis Salom. cap. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. His igitur præmissis ad Propositionem positam descendamus.

4 Casus, in quo loquitur prefata Propositio est, cum quis aliquem in gradu sublimi constitutum adversarium habet, cujus auctoritas est ipsi noxia, & ipse potest se liberare à nocumento, quod sibi inferendum timet, si ipsi detrahat, falsum crimen ei imponendo, an hoc faciendò peccet mortaliter, & respondet, tantùm peccare venialiter, interrogatio enim illa affirmationi æquivalet. Non habeo prę manibus, qui illam doceat, sed.

5 Dicendum omninò falsam, & meritò damnatam prędictam Propositionem.

Probatur primò ex dictis. Detractio ex se est peccatum mortale, ut probatum est, at impositio falsi criminis est potissimus & pessimus modus detractionis: ergo &c.

Secundò: impositio falsi criminis est prohibita 8. Decalogi præcepto, estque contra Charitatem: ergo est peccatum mortale.

6 Dices: licèt absolutè, & in se esset peccatum mortale, tamen in casu posito, quia sumitur ut medium ad propriam defensionem, ut effugiat damna, quæ possunt ei obvenire, non est peccatum mortale, sicut qui alium occidit ob sui defensionem, mortaliter non peccat: quamvis homicidium absolutè sit peccatum mortale.

7 Sed contra primò, quia, ut sępè dictum est ex D. Aug. mendacium officiosum, etiam ad defensionem propriæ vitę, vel ad consulendum saluti Proximi non est licitum, & quia ex genere suo est veniale, etiam eo fine dictum veniale est: ergo mendacium perniciosum, quale est imponere falsum crimen alicui, etiam ob propriam defensionem non est licitum, & quia

quia ex genere ſuo eſt mortale, etiam eo fine dictum, mortale erit.

Secundò: pręcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper, & in nullo caſu ceſſat eorum obligatio, nec excuſat eorum tranſgreſſio; ſed octavum Decalogi præceptum eſt negativum, & obligans ſub mortali in re gravi: ergo non excuſatur quiſquam ab ejus tranſgreſſione, etiam ob propriam defenſionem.

Ideò autem occidens hominem ob ſuam defenſionem non peccat, quia ut diximus Propoſ. 30. exercet ſuam defenſionem & hanc intendit, non ejus mortem, & præter intentionem ſequitur homicidium. Unde ſi intenderet homicidium, etiam ut medium ordinatum ad propriam defenſionem, eſſet peccati mortalis reus, ut ibi ex D. T. diximus, fusèque probavimus. Ex qua doctrina radicitùs evertitur prædicta reſponſio, & fundamentum, cui inniti videtur prędicta Propoſitio, ſicut ex oppoſita doctrina omnes hę falſitates eruperunt. Unde patet, quàm ſolidè illud S. Th. principium ſit tenendum, ac verè venerandum ut baſis totius Ethicæ.

PROPOSITIO XLIV.

Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam Juſtitiam, & honorem defendat, & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

1 PRæmitto hanc Propoſitionem eſſe modalem, non de ineſſe, ut loquuntur Dialectici, in moralibus enim ac Theologicis, modi ſunt, probabile, improbabile, erronea, errori proxima, & ſimiles: unde, quia afficitur illo ſigno, probabile, eſt modalis. Unde cum generaliter in Decreto Sanctiſſimi cæteræ damnentur, ut ſcandaloſę, & in praxi pernicioſę, hęc ex ſpeciali ſua damnatione etiam improbabilis cenſenda eſt, oppoſitum namque ejus, quod aſſerebat, tenendum eſt. Unde non ſolùm dictum eſt falſum, ſed etiam tale dictum eſſe probabile ſpeculativè, falſum eſt. Duo igitur hìc pręſtanda, & falſitas dicti, & improbabilitas ejus breviter oſtendenda.

2 Quò ad primum proponam casum in particulari, qui proponitur à de Lugo, Tambur. Diana, & aliis, ut faciliùs explanetur sensus ejus. Sit ex.gr. testis aliquis, qui in judicio falsum crimen contra Titium testatus est, ob quod damnandus esset ad triremes, ad mortem, pellendus in exilium, vel gravis infamia ei redundat: an Titius, ut hæc mala effugiat, ut Justitiam suam, & honorem defendat, possit imponere falsum crimen testi, quo habeatur, ut infamis, & impotens ad testificandum in Judicio, ut sic ejus falsum testimonium retundat.

Circa hoc Diana 3. *p. tra.* 5. *resol.* 4. refert opinionem Joann. de la Crux, Bann. Orellanæ, Ledesmæ asserentium, tantùm Titium in hoc casu peccare venialiter: at revera hi auctores non negant absolutè Titium peccare mortaliter, sed asserunt non peccare mortaliter contra Justitiam, quod etiam docet de Lugo *tom.* 2. *de Just. disp.* 40. *sect.* 6. *n.* 26. & sic explicat cit. auctores. Idem docet esse certum Tambur. *lib.* 9. *Decal. cap.* 2. *§.* 2. *n.* 5. & alii cum quo tamen stat posse peccare mortaliter, vel contra Charitatem, vel contra Relig. Unde de Lugo sustinet peccare mortaliter, sed nonnisi peccato perjurii, ut colligitur ex ratione, quam adducit *loc. cit. n.* 25. dicens: *Hoc falsum crimen testis erit probandum per alios testes, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens eos ad hoc hortari erit mortale*. Malderus cit. à Diana, & alii dicunt peccare mortaliter ratione mendacii. Tambur. autem loc. cit. *n.* 6. & sequentibus dicit incertum sibi esse, an peccet mortaliter, etiam ratione perjurii, cum per Castropal. etiam in Judicio possit adhiberi æquivocatio in juramento. Et tandem concludit nodum hunc in aliud tempus reservare: tamen.

3 Dicendum tale crimen falsum imponentem peccare mortaliter, etiam præciso perjurio. Patet ex dictis Propos. præc. & ampliùs.

Probatur; imponens falsum crimen alicui directè, & ex intentione exercet actum offensivum Proximi in re gravi, licèt hoc ordinet ad sui defensionem, sed actus humani specificantur ab intentione, nec possunt actus mali de se, reddi liciti (nisi sint præter intentionem, & sequantur per accidens ex exercitio actus honesti; cujusmodi est homicidium per accidens sequu-

ſequutum ex actu defenſivo) per hoc quòd ad bonum finem ordinentur, aliàs etiam furtum ob faciendam eleemoſynam eſſet licitum: ergo &c.

Ubi inſuper obſerva, quòd in tali caſu finis operis eſſet offenſa Proximi, ejus nempè infamatio, ſicut ſi quis directè intenderet homicidium & defenſio ad quam prędicti actus ordinantur, eſſet finis operantis: actus autem humani ſumunt ſpeciem eſſentialem à fine operis, non à fine operantis, ut ſępè dictum eſt, & docent cum D. Th. 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. ſanior, & communior Theologorum pars.

4 Hinc patet falſitas modalis; nam repugnat evidenter principiis Ethicæ; unde miror audaciam Caramuelis in poſtremis verbis, ut tàm probabilis viſa ſit ei, ut ſi non ſit probabilis, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia; cum tamen à principiis Ethicæ tàm ſit aliena, tàm in ſe fœda, ut planè ſit evidenter falſa; cum non ſint facienda mala, vel ut veniant bona, vel ut mala vitentur. Nemini reddendum eſſe malum pro malo doceat Apoſt. Inimicis benefaciendum prædicet Chriſtus. Nec habeat locum ut probatum eſt illa excuſatio, quòd ſit ob propriam defenſionem. Unde Arragon. 2. 2. *q.* 72. *art. ult.* notat, ob propriam defenſionem objicienti in faciem crimen falſum non licere aliud crimen objicere, ſed ſolùm poſſe dicere, mentiris, quod eſt directa defenſio, licèt per accidens ſit contumelia, innixus doctrinæ jam traditæ S. Th. quòd ſcilicèt, licet ſe defendendo, & defenſionem intendendo invaſorem occidere; non tamen licet occiſionem intendere ob ſui defenſionem, quam doctrinam animadverſione dignam exiſtimavit Cajet. à qua recedentes, & à S. Th. aberrantes, de ipſis impletum eſt illud Innoc. VI. dictum, ut qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus; altero Innocentio nunc fęliciter regnante, id comprobante.

PROPOSITIO XLV.

Dare temporale pro ſpirituale non eſt Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituale, aut è contra.

1 MAteria Simoniæ adeò eſt difficultatibus implicata, ob quotidianas inventiones effugiorum ad palliandum hoc teterrimum vitium; ut quamvìs in Jure Canonico integer extet titulus de Simonia, totque graviſſimi Auctores latè de ea diſſeruerint, nova ſemper ſuperveniant dubia. Breviter igitur aliqua præmittendo, ad puncta in Propoſitione contenta deſcendam.

2 Simoniæ nomen à Simone Mago in novo Teſtamento acceptum eſt, qui, ut legitur Act. 8. obtulit pecuniam Apoſtolis ad ſpiritualem poteſtatem emendam, ut ſcilicet, quibuſcumque manus imponeret reciperent Spiritum Sanctum, ut deindè ex venditione ſignorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur, ut dicitur 1. *q.* 3. *Cap. Salvator.* Definitur; Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Quam definitionem optimè explicat S. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. ejuſque Commentatores ibidem. Eſt prohibita tùm Jure Divino, ut patet ex illo Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Eſt etiam prohibita Jure humano poſitivo, ut patet, ex *Decret. toto tit. de Simonia*, & etiam contra Jus naturæ peſſimum vitium eſſe conſtat duplici ratione adducta à D. T. loco cit. (tertia enim de Jure Divino poſitivo procedit) quarum prima eſt, quia res ſpiritualis ex ſe eſt materia indebita emptionis, & venditionis. Nam non poteſt aliquo terreno pretio compenſari: unde D. Petrus Simoni Mago reſpondit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Secundò, quia non poteſt eſſe debita venditionis materia, cujus venditor non eſt Dominus;

unde

unde loquendo de Simoniacis dicitur: 1. *q.* 1. *cap. Eos, qui per pecuniam. Isti verò eundem Spiritum Sanctum efficiunt servum suum omnis enim Dominus, quod habet si vult vendit, sivè servum, sivè aliquid aliud eorum, quæ possidet.* Prælati autem Ecclesiæ, & quicumque alii non sunt Domini spiritualium rerum, sed dispensatores, ut dicitur 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

3 Sciendum quoque spiritualia, quæ sunt materia Simonię esse in multiplici differentia, quædam enim sunt spiritualia secundùm essentiam, ut Gratia gratum faciens, Charitas, &c. & de his nemo dubitat emi, aut vendi nequaquam posse. Alia sunt spiritualia; quia sunt causa rerum spiritualium, ut Sacramenta, alia sunt spiritualia, quæ sunt effectus rerum spiritualium, seu usus donorum, & gratiarum, quę dicuntur gratis datæ, ut gratia sanitatum, prophetię donum, &c. tandem alia sunt annexa rebus spiritualibus, ut Beneficia Ecclesiastica, officia, Prælaturæ &c. de quibus omnibus duo quærenda sunt, quę in prædicta Propositione proponuntur. Primò, an liceat darę temporale pro spirituali, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi spirituale. Secundò, an sit Simonia dare temporale pro spirituale, tanquàm gratuitam compensationem, vel è contra. Reliqua ad hanc materiam pertinentia vide apud Cajet. Sotum, Bann. Raph. de la Torre. Passer. *tom. de elect. canon.*. Arragon. Suar. Ugol. Bonac. & alios.

4 Pro primi quæsiti explicatione pręmitto primò: stipendia licitè accipi posse pro Missa, pro Capellania, pro funeribus, & aliis hujusmodi consuetis, quia non accipiuntur, ut pretium spiritualis actus, sed pro substentatione ministrorum Ecclesię, juxta illud 1. ad Cor. 9. *Nescitis quoniam, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deserviunt cum altari participant?* Ut tradit S. Th. loco cit. art. 2. in corpore, & ad 2. Nec benè sentiunt, qui hujusmodi stipendia asserunt, accipi posse pro labore corporali annexo talibus operibus; nam ut inter cęteros novissimè tradidit Passer. Vir nostro ęvo celeberrimus, in *lib. de statibus, & officiis hominum tract. de stipendio Missæ*, non potest licitè accipi aliquid pro corporali

laborare neceſſario, & inſeparabiliter annexo exercitio rerum ſpiritualium.

5 Præmitto ſecundò, quòd licèt cauſa motiva poſſit ſe tenere ex parte efficientis, vel propriæ, vel diſpoſitivæ; ut juſſio, conſilium, preces, & alia extrinſeca: vel concupiſcentia, affectus, ſuggeſtio Diaboli, &c. nihilominùs etiam ſe tenere poteſt ex parte cauſæ finalis, ut ſanitatis amore, ſcientię comparandę gratia, & ſimilium plura fiunt, & hęc ſe habent, ut cauſa movens; inter quæ hęc eſt differentia, quòd omnis cauſa finalis, eſt cauſa motiva; non tamen è converſo. Vel etiam motivum poteſt eſſe occaſio, in quantùm ex aliquo extrinſeco ſumit occaſionem Intellectus diſcurrendi, & proponendi voluntati quid ſit agendum. Attamen reſpectu cauſæ liberę motivum extrinſecum, & inanimatum non poteſt pertinere ad genus cauſæ efficientis, utpotè nullam exercens cauſalitatem in voluntate, vel Intellectu, ſed tantùm objectivè poſſit movere, unde vel poteſt habere rationem cauſę finalis, vel occaſionis. Igitur in præſenti, vel illud temporale eſt motivum occaſionale vel finale ex parte accipientis, ut conferat ex.gr. Ordines, Beneficium, ut miniſtret Sacramenta &c. nam motivum non poteſt eſſe mera conditio: at, ut aſſeritur in prædicta Propoſitione motivum finale potiùs videtur, nam dicitur: *Tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale*: quod non competit propriè motivo occaſionali: unde cum non poſſit movere efficiendo, ſed alliciendo, quę eſt motio finis, ad cauſam finalem pertinebit, ſivè ſit finis adęquatus, ſive partialis conferendi, vel efficiendi ſpirituale. Ex parte tamen dantis adhibetur, ut medium ut ille faciat, vel conferat, & eo utitur directè ad finem conſequendi ſpirituale; licèt non tanquam pretio. His premiſſis.

6 Dico primò: Dare temporale pro ſpirituale, ut motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale eſt Simonia.

Probatur primò ex D.T. *loc.cit.art.* 2. *ad* 5. ubi docet, quòd antequam alicui acquiratur jus in Epiſcopatum, vel quamcumque Dignitatem, vel Præbendam per electionem, vel proviſionem ſeù collationem, ſimoniacum eſſet adverſantium obſtacula pecunia redimere, ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Et tenent communiter DD.

& ha-

& habetur expresſè : *Cap. Matthæus de ſimonia*, *& Cap. Sicut. eodem tit.* Ubi dicitur, quòd dare pecuniam ad redimendam vexationem electoris, qui denegat Beneficium digno, vel Confirmatoris, qui non vult confirmare eum, qui jure electus eſt, eſt Simonia. Ratio eſt, quia per pecuniam parat ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam; ſed magis eſt dare temporale pro ſpirituali, tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, & eadem ratio militat, quia per temporale parat ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: ergo etiam hęc eſt Simonia. Minor probatur; quia vel temporale eſt motivum occaſionale, ut collator v. g. recedat à propenſione, quam habebat erga indignum, vel ut deponat averſionem, quam habebat erga ipſum, adhunc tamen effectum conferendi ſpirituale, & ſic coincidit cum caſu poſito in majori: vel datur temporale, ut ſit motivum finale; ut gratia temporalis fiat, vel conferatur ſpirituale, & hoc eſt magis, quia hìc directè tendit ad comparandam rem ſpiritualem mediante temporali; ibi verò ad tollenda impedimenta.

Probatur ſecundò. Si conferens alicui Beneficium ad preces alterius, intendat ex hoc ſibi comparare favorem humanum eſt ſimoniacus, ut docet D. Th. *loco cit. art.* 5. *ad* 3. ergo multò magis ſi id conferat motivo rei temporalis traditæ. Patet conſequentia; nam magis eſt pretio æſtimabilis res temporalis, quàm favor humanus; illa enim rė, pretio æſtimatur: hic verò ęquivalenter ad rem, quæ ab ipſo provenire poteſt. Nec minùs eſt interdictum munus à manu, quàm à lingua, vel ab obſequio: ergo etiam tradens temporale propter motivum conſequendi ſpirituale eſt ſimoniacus. Patet hæc conſequ. quoniam ſicut accipere, ita & tradere ad vitium Simonię ſpectat.

Probatur tertiò. Id quod datur pro re non habita, ſed motivo habendi illam, dùm non datur alio juſto titulo, licèt non detur, ut pretium formale, datur tamen virtualiter, ut pretium illius, ut patet primò ex dictis in prima probatione: Secundò ratione, nam id, quod datur, in ſe eſt pretium, & exercet totum id, quod pretium formale, cum vi illius obtineatur res ſpiritualis: ut motivum obtinendi datur, dùm alio juſto titulo non datur, & fit intuitu commutationis rei ſpiritualis cũ temporali

dum

dum est motivum consequendi spirituale in dante, conferendi in accipiente: quæ omnia, & nihil aliud desideratur ad veram, & realem emptionem; solùmque deficit intentio dandi ut pretium, quo constitueretur pretium formale: ergo est virtuale pretium, & interpretativa emptio, & venditio rei spiritualis dare temporale,ut motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; quod sufficit ad Simoniam; committitur enim per quodcumque æquivalens emptioni, & venditioni. Patet hęc conseq. nam esse interpretativè, & virtualiter tale consequitur ad naturam, & munus rei, ita quòd idem, quod accedente intentione expressa, formaliter V. G. ordinatur, & refertur in Deum, deficiente hac intentione, ex se, & interpretativè refertur in illum; ut constat de Eleemosyna, &c.

Confirm. nam Bonac. *q.* 1. *de Simon. prop.* 2. *num.* 2. Suar. Valent. Regin. Azor. & alii ab ipso citati, asserunt, Simoniam esse, etiam si formaliter non detur res temporalis pro spirituali; quia deest directa intentio dandi temporale pro spirituali, solùm per hoc, quòd sit virtualis intentio dandi temporale pro spirituali; quod colligitur quando non dat alio motivo honesto, scilicèt titulo gratitudinis, vel debitæ substentationis: quantò magis ergo in pręsenti casu est censenda Simonia, cum adsit directa intentio dandi temporale pro spirituale, & tanquàm motivum, solùmque deficiat intentio dandi, ut pretium?

Conf. ampliùs. Peccans mortaliter, licèt non intendat expresè constituere suum ultimum finem in creatura; tamen facto ipso illam habet pro ultimo fine, quia facto se, & omnia sua refert in creaturam: ergo similiter, qui dat temporale pro spirituali, licèt non intendat illud dare, ut pretium; tamen facto ipso dat, ut pretium; quia mediante temporale intendit consequi spirituale, cum enim dat, ut motivum, ordinat illud, ut medium ad spirituale acquirendum, quod est proprium pretii, & emptionis, sicut est proprium ultimi finis, ut omnia ordinentur ad ipsum.

Probatur denique. Si admitteretur in prædicto casu Simoniam non committi, in nullo fere casu, in quo pactum non intervenit, committeretur Simonia, & sic non daretur Simonia realis, sed sola conventionalis; ampla aperiretur via dandi pro

Bene-

Beneficiis, & Prælaturis pecuniam, omniaque per pecuniam fierent; ſed hæc videntur abſurda: ergo. Prob. ſeq. nam neminem puto rectè ſentientem de ſpiritualibus, dare temporale, ut pretium, maximè cum ei ſufficiat ad conſequendum finem dare, ut motivum; ſed in hoc non committeretur Simonia: ergo in nullo caſu. Similiter ſi hoc à Simoniæ labe excuſaret, nemo eſſet, qui hoc medio non uteretur, ſicque omnia per pecuniam fierent, fruſtrarenturque ſacrorum canonum ſanctiones, quæ, ut pecuniam propulſarent ab Eccleſiæ limine, tàm ſalubria ediderunt ſtatuta.

Alia ratione poſſet impugnari; quia, ut notavimus, illud temporale ſe habens ut motivum reſpectu conferentis, ſe haberet, ut finis; ac proindè tranſiret in pretium: at hanc ſequenti Propoſ. expendemus.

7 Pro ſecundi quæſiti explicatione, valdè notanda ſunt verba in Propoſitione poſita; dicitur enim: *Quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituale, aut è contra*. Ubi notanda eſt differentia inter gratuitum donum, & gratuitam compenſationem; per gratuitum enim donum, vel non intenditur aliquid aliud accipere, & ſine intentione lucri: unde qui hac intentione dant, ut accipiant, potiùs mercenarii, quàm liberales, & grati cenſentur: vel ſi fiat poſt acceptum beneficium, non fit intentione remunerandi conferentem pro re collata; ſed pro affectu quo, id fecit: ut ait S. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. & hoc donum gratuitum non reprobatur dùm damnatur prædicta Propoſitio; per hoc enim Simoniam non committi tenent omnes DD. & probat uſus Eccleſiæ, dùm à petentibus Sacramenta aliquid gratis datum accipitur. Gratuita autem compenſatio ſupponit rem jam acceptam, & pro ea ſatisfacere intendit: unde non reſpicit affectum dantis, ut ipſum recognoſcat; ſed rem collatam, pro qua ex æquo intendit aliquid dare. Recompenſatio enim teſte Calepino, idem eſt, ac rependere pari pondere, & ex æquo: & à Berchorio dicitur idem eſſe, ac retributio, quæ ſupponit rem acceptam, pro qua aliquid tribuitur, & idem, ac ſatisfactio. Unde licèt dicatur gratuita, quia nullum initum eſt pactum, nec aliqua civilis obligatio contracta eſt, ſed ſpontè tribuitur aliquid; tamen

men non eſt omninò gratuita donatio, cum intendatur, ut ſatisfactio.

Hæc autem gratuita compenſatio, vel poteſt eſſe rei temporalis pro ſpirituali, ut cum poſt acceptum aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum, aliquid tribuitur ſpontè, ſed animo compenſandi illud acceptum: vel è contra, quando, quis poſt acceptum ab alio aliquod temporale emolumentum; vel obſequium, tribuit illi aliquod ſpirituale, ut compenſet, & ſatisfaciat pro illo temporali, intendens ſe exonerare ab illa obligatione. Ut ſi Epiſcopus, ut compenſet obſequium, vel famulatum, ei ab aliquo exhibitum, vel aliquid aliud temporale, confert ei Beneficium, ut illa compenſet, ut ſe exoneret ab illa obligatione, ut illi ſatisfaciat: his præmiſſis.

8 Dico ſecundò. Dare temporale pro ſpirituali tanquàm gratuitam compenſationem, vel è contra, Simoniæ crimen cenſendum eſt. Eſt expreſsè S.Th.*q.*13.*de malo art.*4.*ad* 13. ubi poſtquam de mutuante conceſſit poſſe ſperare aliquam amicabilem compenſationem abſque obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſolùm gratuitam: hoc ipſum denegat conferenti ſpiritualia, ſcilicèt ſperare gratuitam compenſationem, & diſparitatem aſſignant inter uſurarium, & Simoniacum ſic dicens: *Alia tamen ratio eſt de ſimoniaco, & de uſurario, quia ſimoniacus non dat id, quod eſt ſuum, ſed id, quod eſt Chriſti. Et ideò non debet ſperare aliquam recompenſationem ſibi fiendam, ſed ſolùm honorem Chriſti, & utilitatem Eccleſiæ. Sed uſurarius nihil alteri præſtat, niſi quod ſuum eſt: unde poteſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare, per modum prædictum.*

Probatur: Utrobique, nempè tàm dando temporale pro ſpirituali, tàm è contra, tanquàm gratuitam compenſationem, exiſtimatur res ſpiritualis pretio æſtimabilis, dùm, vel temporale exibetur, ut proportionata merces, & æqua ſatisfactio ſpiritualis; vel res ſpiritualis, ut merces, & proportionata retributio pro temporali, quod æquivalet emptioni, & venditioni, & facto ipſo eſt commutatio rei ſpiritualis cum temporali, ſed hoc labe Simoniæ non caret; cum in hoc radix Simoniæ conſiſtat, ut expreſſit D. Petrus *donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere*, in quibus verbis, ait S. Th. ſimonicam labem in ſua radice con-

condemnasse: ergo dare temporale pro spirituale, vel è contra, Simoniæ crimen est censendum. Unde S. Th. 2. 2. *loc. cit. art.* 5. *ad* 1. ait de clerico, qui remuneratur spirituali Beneficio ab Episcopo, quia ipsi præstitit obsequium ad carnalia ordinatum, putà, quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel aliquid hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum.

Hìc advertere oportet: quòd cum temporale tribuitur, ut compensatio pro spirituali, vel spirituale pro temporali, dependeat à voluntate, & intentione dantis, ut detur tanquam donum gratuitum, vel tanquàm compensatio; potest tribuens committere Simoniam hac intentione præstando, non tamen accipiens, putans sibi, ut gratuitum donum præstari: nisi aliundè ei constet, vel valdè probabilia indicia habeat, hac intentione ei tradi: similiter dicendum est de accipiente, dùm hac intentione accipit, quam potest non habere tradens.

9 Hinc patet ad casum, quem adducit Bonac. de Simon. *q.* 1. §. 1. *n.* 12. nempè si Cardinalis, vel Episcopus aulicum nobiliorem conduxit, tradito victu solito, quam partem vocant consistentem in moderata quadam panis, & vini mensura, & julio, aut moneta, non longè minutiori, vel aliquantò majori, pro rata singulorum dierum: tunc Prælatus, non tenetur quidem ex Justitia huic majorem mercedem tribuere; nihilominus ex gratitudine, seu obligatione antidorali procurare ei solet pensionem, vel Beneficium, ut expensas, quas aulicus in decenti habitu, & vestitu fecit, aliqua ratione compenset (hæc sunt verba Bonac.) in quo casu à labe Simoniæ eum excusat.

Patet inquam Simoniam esse, nam non solùm committitur, quandò tribuitur spirituale loco mercedis ex Justitia debitæ, sed etiam quando præstatur ex gratuita compensatione, quod accidit in præsenti casu. Tùm quia, procuratur Beneficium, ut compensentur expensæ &c. quod est respicere ad rem, non ex simplici benevolentia, & sic æstimatur tanquàm merces expensarum, facto ipso, & saltem virtualiter, posset tamen à Simonia excusari, si non ad expensas compensandas, vel obsequium, sed gratitudine quadam, & habendo respectum ad aulici affectum, id præstet.

10 Ex quo explicandum eſt quomodo, & quando non ſit Simonia tradere Beneficium, vel Prębendam, ut exoneret ſe ab obligatione antidorali, in quo Doctores moderni Simoniam non committi aſſerunt, contrarium ſentientibus Innoc. Sylv. Ang. Jaſ. & Auctore Direct. Inquiſ. Ord. Pręd. Pro quo: ſciendum eſt, quòd obligatio antidoralis eſt illa, qua natura obligamur, ut benefacienti benefaciamus, ut tradit Ugol *tab.* 1. *de Simon. cap.* 58. *ʃ.* 4. *n.* 2. unde qui ab alio accepit aliquod gratuitum donum, vel ab ejus parentibus, vel obſequia, vel Eccleſiaſticam dignitatem, ex obligatione antidorali tenetur, vel ei, vel ſuis benefacere. Quęritur ergo: an ſi, ut exoneret ſe ab hac antidorali obligatione, conferat aliquod ſpirituale, Simoniam committat.

Pro quo: diſtinguendum eſt, an talis intendat ſatisfacere benefacienti pro dono accepto, vel obſequio, vel intendat animi gratitudinem oſtendere: ſi primum intendat, Simoniam committit, ut patet ex præcedentibus, & in hoc caſu valet ratio Innoc. qui ait; quoniam ex hoc tollitur ea obligatio, & remittitur (quò ad rem ſcilicèt acceptam) & ob id videtur dari, ideò Simoniam committi: ſi ſecundum intendat, Simoniam non committit, quia per gratitudinem animi reſpicientis benefacientis affectum, non æſtimatur pretio res ſpiritualis, nec benefacientis affectus eſt pretio æſtimabilis, ex quo ad debitum pręſtandum obligatus non tenetur, ut dixit S. Th. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt DD. contrarii.

Adverti tamen volo, aliter computandos eſſe benemèritos de Eccleſia, rebuſvè publicis, alter benemeritos de nobis, ut notavit S. Th. *loc. cit. q.* 100. *art.* 5. *ad* 1. illis enim ſi conferantur Eccleſiaſtica Beneficia, & officia, non titulo antidoralis obligationis, ſed titulo meriti, nam ex obſèquio Eccleſiæ præſtito, & miniſtris ejus, in ordine ad ſpiritualia, redditur, ſicut & propter alia bona opera, Eccleſiaſtico Beneficio dignus, ut dixit S. Th. ſecùs verò de iis, qui ſunt benemeriti de nobis, unde in iſtis, ſi habeatur reſpectus ad obſequium compenſandum, Simonia committitur, ut patet ex rationibus ſuprà adductis, & verbis D. Th. in probatione allatis. Hoc autem notare volui, quia Ugol. *cap. cit.* in eadem linea ponit utroſque,

& be-

& benemeritis de Ecclesia, & Prelatis ejus in ordine ad ministeria spiritualia servientibus, putat ex antidorali obligatione deberi Beneficia Ecclesiastica, pariformiter ac iis, qui deserviunt Episcopis in ministerio temporali: unde jure optimo, non ex obligatione antidorali, sed quia inserviendo Ecclesię in arduis ejus negotiis, benemeriti sunt de illa, & ob rerum peritiam, supremę Ecclesię Dignitates, nempè Cardinalatus, Nuntiis Apostolicis, Auditoribus, & similibus à Summis Pontificibus conferuntur.

11 Ex his infertur: non posse deduci in pactum antidoralem obligationem, vel gratuitam: est contra Cœlestinum *in comp. Theol. mor. tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 3. Ghilinum *in practic. resolut. casuum consc. verb. Beneficium num.* 7. qui ait in obtinendis Beneficiis licèt pacisci de aliquo temporali retribuendo, tanquàm motivo, seù compensatione gratuita, & in hoc non committitur Simonia, citatque Valent. & Tanner. quos sequutus Diana *p.* 2. *tract.* 2. *miscell. resolut.* 39. deindè *p.* 6. *tract.* 7. *miscell. resol.* 42. se explicat existimasse hanc sententiam speculativè probabilem, at putare in praxi non esse amplectendam. His adde Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 20. *num.* 4. & Major. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 29. cit. à Raph. de la Torre 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *disp.* 3. *conclus.* 3. Oppositum tamen docuere Raph. *loc. cit.* Cajet. loquens de usura *q.* 78. *art.* 2. *§. in resp. ad* 2. Soto *lib.* 5. *de Just. q.* 1. *art.* 2. quos sequitur Navarr. *in man. cap.* 23. *n.* 1006. *ad* 4. Filliuc. *tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 10. *n.* 24. Franciscus Sylvius *in resolut. variis verb. Simon. conclus.* 2. Bonac. *disp.* 1. *de Simon. q.* 6. *punc.* 1. *num.* 7. qui ait esse communem.

Patet ex supradictis de usura Prop. 42. Constat ex verbis relatis ibid. D. Th. *num.* 2. *&* 5. & etiam ex *q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 5. ubi ait: *Obligare autem ex certo pacto ad beneficium recompensandum, non competit amicitiæ honesti, quia in tali amicitia amicus benefaciens, affectum amici inclinat, ut sibi gratis, & liberaliter recompenset, cum opportunitas fuerit*; lege si libet totam prędictam responsionem.

12 Probatur Primò. In Jure Canon. reprobantur omnia pacta, & conventiones in materia spirituali: *Cap. fin. de pactis cap. Quam pio, & cap. Quæsitum de rerum permutatione*. Nec dicas

repro-

reprobari conventiones, quæ ex genere ſuo ſunt illicitæ, non autem illæ, quę ex natura ſua non ſunt tales, cujuſmodi eſt iſtud. Nam contra eſt: etiam admiſſo, quòd hoc non ſit pactum ex genere ſuo illicitum, poteſt tamen Eccleſia illud prohibere, ſicut vetuit permutationem Beneficiorum, renunciationem cum retentione penſionis, quę tantùm jure poſitivo Eccleſiaſtico ſunt ſimoniacæ: cum factę auctoritate Summi Pontificis ſint validæ: ergo ſimiliter hoc pactum, etiam ſi aliàs eſſet illicitum, poteſt Eccleſia illud prohibere: ergo cum omnia improbet, hoc etiam improbaſſe dicendum eſt, cum ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus.

Probatur ſecundò ratione. Pactum illud inducit novam obligationem diſtinctam ab obligatione naturali, nempè, vel ex Juſtitia, vel ex fidelitate; ſed utrumque eſt pretio ęſtimabile: ergo exigens hoc pactum, exigit aliquid pretio ęſtimabile, & conſequenter committitur Simonia. Et quamvis dicatur, hoc promitti ex gratitudine, facto ipſo deſtruit ſeipſam illa promiſſio, quia dùm initur pactum, jam initur contractus non gratuitus: nec eſt verum, quòd ibi tantùm exprimitur, quod de jure ineſt, quia dùm deducitur in pactum, jam inducitur nova obligatio, conſequenter additur aliquid naturali obligationi.

Prob. tertiò, quia ſic lata via aperiretur Simonię, nam famuli poſſent promittere Pręlatis tot annorum famulatum gratis exhibendum, ſi liberaliter conferet beneficium: alii pecuniam gratis ſe daturos, &c. ſimiliter Pręlatus poſſet dicere confero tibi Beneficium, ut gratis meum affinem ſuſtentes, in recognitionem antidoralis obligationis; quę omnia ſunt abſurda.

Dices cum Cœleſtino. Si finis eſt licitus, etiam media ad finem ſunt licita, ſed obligatio antidoralis, & donum gratuitum poteſt intendi pro ſpirituali collato: vel è contra, pro temporali obſequio, poteſt intendi gratis conferendum Beneficium ſpirituale: ergo etiam poteſt apponi pactum ad id conſequendum.

Reſp. primò, quòd ſi finis eſt licitus, etiam media ad finem ſunt licita, ſi aliquo Jure poſitivo non ſunt vetita,

quia

quia etiam aliqua licita, ratione periculi, vel alia justa causa potest vetare: in præsenti autem casu conventiones, & pacta sunt prohibita Jure positivo, ut patet ex supradictis.

Resp. secundò: quòd media sunt licita pro fine licito, quando non variant naturam finis; in præsenti autem, per illud pactum variaretur ex gratuito in debitum alio titulo, ut constat ex secunda probatione. Quam veritatem habeat minor prædicti argumenti, mox in sequenti Propositione examinabimus.

PROPOSITIO XLVI.

Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiam, si sit finis ipsius rei spiritualis; sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

1 HÆc Propositio est extensio præcedentis; cum enim in prȩcedenti dictum sit, quòd dare temporale pro spirituali, tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi spirituale non est Simonia, in ista extenditur ad motivum principale, & etiam, si sit finis &c. pro quo.

Notandum: quòd motivum potest esse principale, & primarium, vel minùs principale, & secundarium. Tunc est minus principale, quandò illud temporale respicit, & tendit ad aliud, ex consequenti verò, & secundariò, ad spirituale, ex. gr. quis præstat obsequium Prȩlato, ut suam benevolentiam, & amicitiam comparet, vel quodcumque aliud motivum honestum intendens, & secundariò alicujus Beneficii provisionem. Ubi tamen adverte, quòd ly *primariò*, non sumitur primitate ordinis, sed finis, itaut i neo sistat intentio per se, si enim hoc ordinet ad ulteriorem finem Beneficii, illud erit medium ad hoc, & hoc erit ultimus finis, ac proindè principaliter intentum; unde ly, *secundariò*, idem est, ac ex consequenti & veluti per accidens, hoc enim modo est motivum minus principale. Similiter potest è converso tribui spirituale pro tempora-

li, non primariò, & principaliter intento, sed secundariò, & ex consequenti: ut Canonicus surgens ad matutinas preces, animo laudandi Deum, & satisfaciendi suę obligationi: & secundariò, ut distributiones consequatur: similiter Clericus frequentans Ecclesiam, ut Deo prętet obsequium, & ex consequenti, ut ad Dignitates ascendat. Et in his, & similibus casibus non committitur Simonia, ut constat *Ex Cap si officia dist.* 59.*ex cap. Quid proderit, ex Gloss. cap. Cum esset de Simon. & cap. Cum ad nostram de electione.* Et ratio est, quia rectus ordo servatur; nam temporalia non ordinantur ad spiritualia; itaut existimentur illis commensurata.

Tunc autem est motivum principale, quandò per se primò intenditur spirituale mediante temporali, itaut temporale se habeat ut medium ad spirituale, tanquam ad finem ultimatum, & è contra, spirituale ordinetur ad temporale.

Ad cognoscendum autem in foro exteriori (nam in interiori dependet ab intentione operantis, quando nam sit principale motivum, vel non; sit regula, quando nullum aliud motivum honestum adest: undè cum in præcedenti Propositione dicatur: temporale tanquam motivum conferendi spirituale, & cum asseratur directè ad id tendens, & non ad aliud motivum honestum, optimè ibi dixi, illud motivum se habere tanquam finem.

2 Tota hæc doctrina est S. Th. 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. ubi loquens de favore humano intento à conferente spirituale, sic distinguit, *& ideò si aliquis principaliter ad hoc intendat, Simoniam committit.* Ecce oppositum Propositionis damnatę. Subdit deindè regulam, quam modo tradidi, ad cognoscendum, si sit principale motivum, dicens: *Videtur autem principaliter adhoc intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum.* Quia videlicet tunc non adest alius titulus honestus, quo moveatur, quod declarat S. Th. ab opposito, subdens. *Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum:* audi rationem, & perpende, quod dixi. *Quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur:* quod est idem ac dicere, quia adest aliud motivum honestum; à quo moveri possit, ex quo potest cognosci

favo-

favorem humanum non esse principale motivum. Quòd si non obstante justo titulo, tamen, non ab illo moveatur conferens sed à favore humano principaliter intento, Simoniam committi docet, & hoc quantùm ad forum interiorem. *Tamen potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.* En pręclaris verbis confutata prędicta Propositio.

Ex his intelliges: neque compensationem gratuitam pro re spirituali, latè dictam, prout scilicet affectum dantis respicit, posse intendi à conferente spirituale, principaliter: quod patet ex verbis relatis D. Th. Propos. præc. num. 8. ubi id denegat conferenti spirituale, quod concedit mutuanti: mutuanti autem non permittitur accipere, & sperare aliquid pro mutuo, sed pro affectu, quo id fecit, quæ tamen limitanda est secundùm præsentem doctrinam, ut scilicèt illa recompensatio sit principaliter intenta, & finis à quo movetur conferens spirituale, vel è contra. Pro majori tamen præsentis Propositionis impugnatione.

3 Dicendum est. Simonia committitur ab eo, qui in conferendo spirituali habet pro principali motivo, seu fine (cum enim est principale motivum, est etiam finis, ut diximus) aliquod temporale, sivè traditum, sivè tradendum; nam illa prior est Simonia realis, hæc posterior est Simonia mentalis. Hanc conclus. docuere antiqui Doctores. Major, Alensis, Dur. Altisiodor. Corduba, Cajet. & ex Canonistis *Glos. in c. unico de Cleric. non resident. in* 6. *Navarr. in man. cap.* 23 *num.* 100. *§.* 4. *& sequentibus*. Constat etiam ex Capitibus paulò ante cit. quę utrumque docent.

Ipsam expressè doceri in *Cap. Tua nos de Simon.* patet, ubi de quodam, qui bona sua conferebat Ecclesiæ, eo animo, ut admitteretur ad Canonicatum, & permitteretur habere bona sua pro præbenda, & de Canonicis illum admittentibus ait Pont. *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tàm iste, quàm illi*

apud strictum Judicem culpabiles judicantur. Quid clarius? Quis dicet hujusmodi damnari, quia intendebant temporalia tanquam pretium, non tanquam motivum?

4 Idipsum, preter loca supra adducta, docuit S. Th. *quodlib.* 8. *ar.* 1. ubi quærens: an Canonicus Ecclesiam frequentans, ob quotidianas distributiones, sit simoniacus, respondet in corpore, sic: *In prædicto casu distinguendum est: si enim hujusmodi distributiones respicit quasi finem sui operis, principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat: si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi finem, sed sicut id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat.* Nec valet id, quod ait Raph. de la Torre D. Th. intelligendum, quando Canonicus intendit distributiones, tanquàm pretium; cum immediatè ante cit. verba dixerit: *Simoniam committit, qui hujusmodi actus*, scilicet spirituales, *vendere intendit, in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis.*

Non inquam valet, nam eo ipso, quòd est finis principaliter intentus ipsum temporale, habet rationem pretii virtualis, vel æquivalentis, ut probavi Propos. præc. num. 3. prob. 3. & hoc sufficit ad Simoniam, ut Raph. ipse concedit: unde D.Th. hoc ipsum probat, & hoc modo procedit ejus discursus. Quicumque vendere intendit actus spirituales committit Simoniam; sed qui habet pro fine principaliter intento temporale, in ipsis actibus spiritualibus, vendit res spirituales: ergo Simoniam committit. Hanc Minorem probat in illis verbis, *in qualibet enim venditione pretium accipitur quasi finis*. Quod est dicere, qui habet temporale pro fine, intendit ipsum tanquam pretium, quia pretium est finis cujuscumque venditionis, sed qui intendit tanquàm pretium ipsum temporale, vendit actus spirituales: ergo &c. & quia in his verbis mentionem fecit de fine, sine addito, per quod probaretur quemcumque habentem pro fine ipsas distributiones, vendere actus spirituales, subdit illam distinctionem, de fine principaliter intento, & de fine secundario, quæ non esset ad rem, si intelligendus esset de pretio formali, & de explicita intentione vendendi

res spirituales. Et certè D. Th. loquitur de pretio æquivalente, quod habetur, quandò temporale est finis principaliter intentus; quia proposita difficultas erat, an habens pro fine distributiones sit simoniacus, in quo non poterat intelligi de voluntate formali vendendi spiritualia: quis enim de hoc dubitare posset? unde respondens affirmativè, assumpsit ad probandum, illam Propositionem apud omnes certam: *Quicumque vendere intendit, &c.* Ubi de venditione virtuali intelligendus est. Et similiter, in eo quod subdit de pretio: aliàs nihil probaret, & ad aliam solvendam difficultatem, quæ non indigebat discussione, diverteret. Ponderentur quæso hæc.

5 Probatur ratione. Ratio, quare res spiritualis non sit vendibilis, & illicitè vendatur, est, quia non est pretio æstimabilis; sed qui eam ordinat ad temporale, ut ad principale motivum, seù finem; ipso facto, licèt non habeat hanc formalem intentionem, ipsam æstimat, vel parem, vel inferiorem re spirituali, quia finis melior est iis, quæ sunt ad finem; & commutabilem cum re temporali, quod est virtualiter pretio illam æstimare. Similiter, qui dat temporale pro spirituali, æstimat, facto ipso, rem spiritualem esse acquisibilem mediante re temporali, quod, licèt non sit pretium, dum tamen est principale motivum, est medium, quo utitur ad illam adipiscendam: ergo pari modo est Simonia, ac si ut venalis existimetur. Unde, ut dixi Propos. præc. D. Th. *q. cit.* 2. 2. *art.* 1. dicit, quòd D. Petrus simoniacam pravitatem in sua radice condemnavit, cum dixit Simoni: *pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.* Ex quo colligitur radicem Simoniæ in hoc consistere, quòd existimetur acquisibilis medio temporali res spiritualis.

6 Ex quo patet, quàm sit abominabilis ultima pars prædictæ Propositionis, qua dicitur: *sic ut illud* (nempè temporale) *pluris æstimetur, quàm res spiritualis;* quod si speculativè assereretur hæresis esset: hæretica namque est hæc Propositio: pluris valet res temporalis, quàm spiritualis. Dùm tamen practicè, & in affectu sic existimatur, licèt hæresis labe careat; gravi tamen peccato, & irreverentia Deo, & rebus sacris non vacat: sicut, si quis speculativè assereret creaturam esse ultimum

finem hominis, hæreticus esset: hoc tamen practicè exequens in creatura suum ultimum finem constituendo, hæreticus non est, sed mortaliter peccat quoniam sicut perversionem ordinis continet speculativè, id asserere, ita eandem continet practicè id facere.

PROPOSITIO XLVII.

Cùm dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent. Concilium vel primò videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò loquutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos; non verò dignos: vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

1 DE electione dignioris latè disputat Passer. *in lib. de elect. canon. cap.* 30. ex quo nonnulla summariè præsupponenda utile censeo. Et primò mortaliter peccare eos, qui digniorem ex iis, qui possunt haberi non eligunt ad Beneficia curam Animarum habentia, ut docet S Th. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. & *quodlib.* 4. *art.* 15. *quodlib* 6. *art.* 9. & *quodlib.* 8. *art.* 6. D. Anton. Turrecrem. Cajet. Bann. & alii innumeri cit. à Passer. *loco cit. num.* 1. licèt in foro externo electio, seu provisio digni, excluso digniore, valida sit; nec possit in eo foro impugnari; ut post Angelicum 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. communiter asserunt Doctores. Hoc autem peccatum est contra Jus Divinum, & naturale, ut cum D. Th. locis cit. ex 2. 2. plures alii docent; quod esse peccatum contra Relig. seu Justitiam Christi, contra fidelitatem, contra Justitiam legalem, & contra Justitiam distributivam probat Passer. *n.* 57.

2 Præmitto quoque, quòd dignus, vel dignior in præsenti non censetur ille, qui coram Deo, & in ordine ad se dignus est sed in ordine ad alios, cum oves Christi pascere debeat: unde non solùm debet esse in gratia constitutus: & Charitate ornatus,

natus, sed etiam scientia, prudentia, & diligentia in agendis præditus, ut aptus sit ad docendum, & corrigendum alios. Dignus itaque simpliciter esset, quem descripsit Apost. 1. *ad Timoth. cap.* 3. scilicet in omnibus prudens, in doctrina fidei magister, ornatus omnibus virtutibus, & coram populo in omnibus irrepræhensibilis; qui si reperiretur dignissimus esset. Dignus autem in aliquo genere est, qui licèt non habeat in gradu excellenti omnes virtutes, tamen habet omnia requisita à jure positivo, nempè, quòd sit legitimus, in ætate debita constitutus, nullaque censura, aut irregularitate, sivè inhabilitate impeditus, & in gradu mediocri habeat saltem conditiones requisitas ex Jure Divino, scilicèt scientiam, prudentiam, & morum bonitatem, quantùm sufficiat ad alios regendos.

3 In hoc igitur genere quæritur dignior principaliter, quia licèt in illo priori genere possit dari latitudo & inter optimos unus posset esse alio melior: nihilominus, hi paucissimi sunt, de quibus dicere possit Deus: inveni hominem secundùm cor meum. Unde dignior, non tàm importat intentionem perfectę dignitatis, quàm accessum majorem ad dignitatem, & perfectionem, quæ necesse esset haberi, & majorem recessum ab imperfectione, scilicèt in quantùm magis elevatur ab infimo gradu dignitatis omninò necessario, & magis accedit ad illum gradum dignitatis optimi Pastoris ovium Christi: unde dignior potest dici quis comparativè ad cæteros minus dignos, & secundùm quid.

4 Hinc deducitur, quòd inter hujusmodi dignos, nisi provideat dispensator de digniore, qui reperiri potest, non satisfacit Juri naturali officii sui, quod debet esse ordinatum ad utilitatem Ecclesię, quoniam inter hos dignos, cum nemo sit simpliciter dignus, sed quia meliores non reperiuntnr, & respectivè, non potest reperire omninò dignum, & aptum simpliciter, & talem qualem indigentia Ecclesiæ exposcit; cum ut dicit Trid. *sess.* 6. in Decr. de reformat. *Tam difficile est regimen Ecclesiæ, ut sit onus etiam Angelicis humeris formidandum, nec in terris inveniatur, qui pro meritis, & quantùm Ecclesiæ necessitas requireret, illud exercere valeat*; solùm poterit reperire dignum, qui sit talis ob defectum dignioris, & aptioris, ergo elector,

provisor, &c. inter istos tenetur ex vi officii sui eligere digniorem. Probatur Conseq. primò: quia aliter non eligit dignum, cum non sit talis simpliciter, & in se, neque r spectivè, cum reperiatur aptior, & dignior; licèt non sit positivè indignus. Secundò, quia non potest per hujusmodi dignum providere Ecclesiæ quantùm ejus necessitas exigit; cum non sit simpliciter dignus; ergo tenetur saltem quantò magis poterit, ejus necessitati providere, & per majorem accessum ad dignum simpliciter, quod fit per digniorem. His præmissis.

5 Dicendum est, Conc. Trid. per illa verba adducta, intelligendum esse de digniori, qui reperiri potest inter dignos, etiam quandò non sit concursus. Est contra Filliuc. *tom.* 3. *tr.* 41. *cap.* 4. *q.* 9. qui probabilem judicavit Propositionem, quam impugnamus; quando non sit concursus. Regin. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 41. *num.* 107. qui hoc concedit habentibus jus providendi Beneficia per provisionem liberam. Idem probabile judicavit Diana, Trullench, & alii à Passer. cit. *cap.* 30. *q.* 4. *num.* 58.

Probatur. Quoniam per illa verba Conc. Trid. non imponit novum præceptum, sed reducit ad memoriam, quod jam erat, nempè Divinum, & naturale, ut observat Card. de Lugo super ipsa verba Trid. *num.* 12. & constat ex verbis ipsis, nam *sess.* 24. *in Decr. de reform. cap.* 1. (ubi habentur cit. verba) loquens cum habentibus jus promovendi ad Dignitates Ecclesiasticas, ait: *Hortatur, & monet, ut in primis meminerint nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, &c.* Ubi non præcipit, sed, meminerint, ait; atqui de Jure Divino, & naturali, ut omnium ferè Doctorum consensu constat (nam licèt aliqui Canonistæ contrarium videantur sensisse, eos explicat Soto *lib.* 3. *de Just. quæst.* 6. *art.* 2. loquutos fuisse de electione, ut valida, & quæ non possit impugnari in foro externo) est, ut dignior eligatur, ut etiam probavimus: ergo in hoc sensu loquitur Trid. nec sumit comparativum pro positivo, nec ut excludat indignos.

Et

Et cum loquatur habentibus jus promovendi, qui ſolent hoc facere ſine concurſu, etiam quandò non fit concurſus, intelligenda ſunt illa verba.

Et quantum ad hanc ultimam partem confirmatur. Quoniam in eodem cap. Conc. ſubdit de Cardinalibus, qui ſine concurſu fiunt, & Paſtoribus, quos Eccleſiæ Summ. Pont. ſolet pręficere. *Poſtremò eadem S. Synodus tot graviſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium quàm ut Beatiſſimus Rom. Pont. quam ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debeat, eam hìc potiſſimùm impendat, ut lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales aſciſcat, & bonos maximè, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat.* Ubi notat, *lectiſſimos tantùm*, pro Cardinalibus, *& bonos maximè*, pro Paſtoribus poni.

Confirm. ſecundò ex aliis verbis Conc. *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *de reform.* ubi habetur. *Confidens itaque per Domini, ac Dei noſtri Miſericordiam, providamque ipſius Dei in terris Vicarii ſolertiam, omninò futurum, ut ad Eccleſiarum regimen, onus quippè, Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint &c. aſſumantur.* Ubi nota ly, *maximè digni*, & ut conſtat ex contextu antec. ubi ſermo eſt de Patriarchis, Metropolitanis, Primatibus &c. patet Conc. loqui de iis officiis, ac Dignitatibus, quę ſine concurſu conferri ſolent.

6 Quòd verò non poſſit ſumi comparativum pro poſitivo, nec ad excludendos indignos, patet ex alio loco Conc. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ubi pluries repetitur, nam primò loquendo de omnibus idoneis ab examinatoribus approbatis, ait: *Ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicaverit; atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre*, & parum infrà; loquens de Eccleſia juriſpatronatus dicitur: *Is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Si verè inſtitutio ab alio, quàm ab Epiſcopo eſt facienda; tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat;* quid clarius ad repellendam primam, & ſecundam expoſitionem, quæ minùs aptè Concilii verbis tribuitur? En quomodo digniorem ſumit comparativè ad dignos, &

magis

magis idoneò comparativè ad idoneos, non pro positivo, aut ad excludendos indignos.

7 Dices in favorem primæ, & secundæ expositionis. Conc. Trident. *seß.* 7. *cap.* 3. solùm dignitatem exigit, dùm ait: *Inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus &c.* Tùm etiam quia in eisdem locis à nobis allegatis: & primò in iis *seß.* 24. *cap.* 1. dicitur. *Nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ indoneos promoveri studeant.* In quo loco solùm positivum requiritur; & solùm indigni excluduntur: ergo in eodem sensu sumenda sunt verba sequentia, cum subditur: *nisi quos digniores*. Similiter in loco allegato ex eodem cap. loquens de Cardinalibus, ante verba à nobis citata dicitur: *quos Sanctissimus Rom. Pont. ex omnibus christianis nationibus, quantùm commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet.*

Pro tertia verò explicatione objicitur locus ex *seß.* 24. *cap.* 18. ubi post verba à nobis adducta, dicitur: *quòd si juspatronatus laicornm fuerit, debeat qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut suprà examinati, & nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Cujus discriminis ratio, quare scilicèt in antecedentibus verbis posuerit, digniorem, in his verò posuerit, idoneum, alia reddi non potest, nisi quia anteà erat sermo, quandò fiebat concursus, in his verò loquitur de præsentato sine concursu aliorum: ergo similiter sic intelligenda sunt verba Conc. ex *cap.* 1. *seß.* 24. allata.

Ad loca adducta pro prima, & secunda expositione resp. illa magis nostram sententiam confirmare; nam cum priùs dicat, idoneos, deindè digniores, potiùs dicendum est illa priora debere sumi in sensu sequentium, ubi in primo loco fit mentio præcepti, & peccati mortalis; in secundò loco necessitatis Ecclesiæ. Et ratio, quòd sic debeat intelligi, est, quam adduximus n. 3. & 4. quia scilicèt idoneus, vel dignus non est ad præsentiam dignioris, & quando dignior pro gubernanda Ecclesia reperitur. Ita Passer. *loc. cit. q.* 4. *n.* 62. Ille verò locus *seß.* 7. intelligendus est de electione valida in foro exteriori, & non cassanda, ad quod sufficit, quòd electus seù præsentatus sit dignus.

gnus. Et in hoc etiam sensu intelligenda sunt, quæ habentur *Cap. Monasterium* 16.*q*.7.*& cap. Cum dilectus de elect.*

Ad locum pro tertia expositione adductum dico: In verbis à nobis allegatis poni digniorem, quod etiam ponitur à Conc. cum loquitur de obligatione conferentium, quia loquitur de institutione, seu electione; in institutione autem debet seligi dignior: in loco autem allegato in objectione, sermo est de confirmatione, ut patet, ad quem effectum sufficit, si confirmandus sit dignus, ut tradit D. Th. 2.2.*q*. 63.*art*. 2.*ad* 1. & post eum Scholastici, & Canonistæ communiter; unde ibi dicitur, *& nonnisi idoneus repertus fuerit*, *admitti*. Præsentatio enim, quam facit, habens jus Patronatus ęquivalet electioni, & Episcopus, vel Summ. Pont. in iis approbandis solùm de dignitate inquirunt. Patet autem ex aliis locis à nobis adductis, quòd hujusmodi præsentantes monet, ut digniores eligant, & promovere studeant.

8 Ad uberiorem doctrinam, & multorum desiderio satisfaciendum, nonnulla summariè ex Passer. perstringam ad discernendum quinam sit dignior reputandus.

Primò igitur notandę sunt aliquæ regulæ generales: prima regula, & basis sit, quòd cum dignior quò ad regimen Ecclesiæ non debeat esse ad seipsum, ut scilicet sanctitate polleat, sed in ordine ad alterum, ut scilicet habilis sit ad alios regendos, scilicet diligentior, prudentior, aptior ad docendum, & corrigendum; hinc fit, quòd dignior non est; qui est simpliciter sanctior, vel doctior; sed qui in extrinseco Ecclesiæ regimine est utilior. Ita D. Th. 2.2.*q*. 63.*art*. 2. *in corp*.*q*.183. *art*. 3. Cajet. *in summ. v. electio*, & cęteri DD. communiter.

Hinc solvitur quæstio; an pœnitens postponendus sit innocenti? Cui respondetur, cæteris paribus, prępronendum esse innocentem: nam maxima dignitas est innocentiam immaculatam custodisse, paucis concessa, qui supponi potest à passionum affectu solutus, in suis affectibus temperatus, & prudens, cum sciverit mundi, carnis, hostisque vitia, & tentationes effugere. Ita habetur *Cap. Nos consuetudinem dist.* 12. ibid. Turrecrem. & Anchar. Lavor. *cap*. 21. Peyr. *tom*.3. *cap*.10. *num*.31.

num. 13. & alii cit. à Paſſer. *cap.* 30. *q.* 1. *num.* 8. Si autem pœnitens ſit aptior ad regimen, quia ſit oculatior, & magis expertus, ut diſcolorum aſtutias cognoſcat, & infirmitatibus ſubditorum magis compatiens, poteſt innocenti prçponi, ut habetur *Cap. Conſiderandum*, & *cap.* *Fidelior*, Gloſſ. *ver. gratiam diſt.* 50. Panormit. *Cap. Et ſi clerici*, *ſſ. de adulteriis num.* 21. & alii quos affert Paſſer. *loco cit.* Tamen pęnitentia debet eſſe talis, ut deterſerit coram hominibus infamiam ex pravis pręteritis actibus ortam, quia non debet eligi, qui cauſam ſcandali in populo eſt prębiturus. Ita *Cap. Omnipotens* 4. *de accuſ.* Panormit. in *cap.* 1. *num.* 6. *de Simon.* Eminentiſs. Ottobonus deciſ. 202. & alii apud Paſſer. loco cit.

9 Conſiderandum autem eſt, quòd regimen Eccleſiæ in tribus actibus præcipuè conſiſtit, ut advertit Cajet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. nempè docere, defendere, & pacificè gubernare. Docere quippè verbo, & exemplo; defendere à lupis, ſivè ſint hæretici, ſivè alii ad quodcumque malum inducentes ſicque dirigere, juſta decernendo, ut inter ſe fideles pacificè vivant. Ex quo patet regimen Eccleſię principaliter eſſe ſpirituale, & ad ſanctificandas animas, & in ſanctitate conſervandas ordinatum. Sed nihilominùs etiam ad temporale commodum ordinatur, videlicet redditus Eccleſiæ conſervandos, & augendos, pupillis, orphanis, viduis, & deſolatis corporaliter ſubveniendum: unde qui in utroque pollet dignior eſt cenſendus; ſed qui in regimine ſpirituali alteri præeminet, licet eo, quò ad temporale ſit inferior, dignior cenſeri debet, illa enim aptitudo circa ſpiritualia eſt principalior.

10 Ulteriùs conſiderandum eſt hanc aptitudinem non debere attendi metaphyſicè, & in actu ſignato, ſed practicè, & in actu exercito: unde ſi ſit aliquis ſanctior, doctior, & prudentior, qui aliundè ſit impeditus, ut gubernio exercitè attendat, eſt poſtponendus minùs docto, qui tamen ſedulò invigilabit gregi paſcendo, diligentiori cura, induſtriori charitate, nullis parcendo incommodis, ſuarum ovium bonum procurando ita Soto *lib.* 3. *de Juſt.* *q.* 6. *art.* 2. poſt concluſ. 9. Sanch. *lib.* 2. *opuſc.* *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 5. Unde qui in ſua Eccleſia reſidebit, ſemper pręſens indigentiis ſui gregis; licèt minùs bonus, & minùs doctus,

ctus, dignior est censendus. Ita præter mox cit. Ledesma *tract.* 7.*cap.* 2.*concluſ.* 7.*dub.* 9. Salon Arragon. & Passer. *loco cit.num.* 14.

11 Circa scientiam est sciendum, quòd ad Episcopandum sufficit laurea Doctoratus suscepta in aliqua Universitate; sivè in Jure Canonico, sivè in Theologia; vel in altera ex his facultatibus suscipienda, præsentatus: vel alicujus Universitatis testimonio, sufficientis doctrinæ ad alios docendos comprobatus. Ita Conc. Trid.*seſſ.* 22.*cap.* 2.*de reformat.* Attamen in Canonista aliqua materiarum Theologicarum, & sacræ scripturæ notitia; & in Theologo aliqua Canonum notitia est necessaria; ut habetur in Conc. Tolet. 4. *cap.* 24. & habetur *cap.* 1.*diſt.* 38. & ex Cœlestino Papa *Cap. Nulli* 4. *ex* 7. *Synodo cap. Omnes* 6. *diſt.* 6. *& diſt.* 23. *&* 24. *ſæpè.*

Difficultas tamen est: an excellens Theologus sit præferendus excellenti Canonistæ? Cui resp. affirmativè cum Passer. *loc.cit.n.* 16. *&* 17. De Lugo *tom.* 2. *de Juſtit.diſp.* 55.*n.*4. Cajet. *q.* 185.*cit. art.* 3. Sot.*lib.* 3.*de. Juſt.q.* 6. *art.* 2.*concluſ.* 10. Bannes 2.2.*q.* 63.*art.* 2 *dub.* 2. Lavor. *cap.* 21. *n.* 67. & alii, apud Barbos. *in cap.Cum in cunctis* 7. *de elect.n.* 21. Ratio est quia objectum scientiæ ejus, qui habet curam animarum est objectum fidei, lex Divina, & naturalis; & lex positiva in sacris Canonibus contenta; ex quibus objectum fidei est totum fundamentum salutis; Lex Divina, & naturalis, quæ indispensabiliter obligat, nulla consuetudine adversus eam prævalente, & rarò ejus ignorantia excusat: unde hæc sunt magis necessaria tàm populo, quàm eorum curam habenti, quàm Lex positiva, cujus ignorantia excusat, contra quam consuetudo prævalet, & majus periculum imminet ex ignorantia illorum, quæ subvertere potest omnia fundamenta Religionis; quàm istius, quæ accessoriè se habet. Tùm etiam quia: excellens Theologus, qui principia sciendi callet, & principia Legis Divinæ, & naturalis penetrat, ex quibus Lex positiva descendit, faciliter Canones intelligit, & eorum sensum intimè attingit. Et quamvis Episcopus habeat regimen externi fori; nihilominus, cùm principaliùs ei conveniant esse fidei magistrum, & morum instructorem, quàm Judicem foren-

forensem; & magis decens sit, quòd per ministros judicet causas forenses; potiùs debet esse excellens Theologus, ad quem illa duo prima pertinent, quàm excellens Canonista. Ex quo sequitur à fortiori de Parocho, potiùs debere esse Theologum, quàm Canonistam; hic enim non habet regimen externi fori; sed ad eum pertinet verbum Dei prædicare; fidei mysteria docere, & suorum confessiones audire, quæ omnia sunt Theologi munera. Lege per otium de Lugo loco cit.

12 Similiter, qui lauream Doctoratus in aliqua Universitate accepit, dignior censetur non Doctore. Ita Riccius, Barbosa, ad *cap.* 18. *seß.* 24. *Concil. Trid. num.* 131. inter Doctores, præfertur Doctor in Jure Pontificio Doctori in Jure Civili. Valenzuel. *cons.* 24. *num.* 64. Baccalaureus censetur dignior non Baccalaureo: ut constat ex pluribus Rotæ decisionibus, sicut etiam, & duo præcedentia dicta. Vide Passer. *loco cit. num.* 18. qui tamen addit verè doctum, & qui majori scientia pollet, etsi non laureatum, Doctori præferri debere; non enim laurea, sed scientia idoneum ministrum facit, & hanc requirunt sacri Canones in ministro habente curam animarum.

13 Sunt etiam aliæ conditiones extrinsecæ, ob quas aliquis dignior censetur altero. Prima est Ordinis prærogativa, cæteris enim paribus, præferendus est Sacerdos non Sacerdoti, quia censetur instructior circa Divina. Ita Roland. *cons.* 47. *num.* 75. Decian. *cons.* 542. *num.* 13. Perez. de Lara, quem refert, & sequitur Barbosa *loco cit. num.* 132. immò in pari casu prævalet, qui priùs sacros Ordines est assequutus, ut idem Barbos. ex Io: de Platea, & Natta, Pax Jordan. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 216. & 217. Passer. *loco cit. num.* 18. apud quem vide plurimas Rotæ decis.

Secunda est indigentia alicujus dispensationis, nam qui nulla indiget, præferendus est ei, qui aliqua indiget. Ita Decian. *cons.* 542. *num.* 14. Rota *decis.* 767. *coram Seraph. num.* 2. Passer. *loco cit. num.* 20. Similiter Beneficium nullum habens præferendus est habenti. Ita *cap. Is cui de Præbend. in* 6. Hostien. *in cap. Tuam*. Et ibi Butr. Barbos. *loco cit. num.* 134. Pax Jordan. *num.* 215. Passer. *num.* 21. & apud eundem plures Rotæ decis.

Ter-

Tertia est ætas, quæ multum conferre potest, unde senior dignior censendus, quàm juvenis. Barbat. *volum.* 1. *consf.* 23. *post num.* 13. Lambertin. *de jure Patronatus p.* 2. *lib.* 1. *q.* 2. *art.* 26. *num.* 4. Rodericus à Cumba in *cap. Consuluit* 9. *num.* 2. *dist.* 74. Pax Jordan. *num.* 210. Passer. *num.* 24. asserens plures Rotæ decis. qui tamen addit seniorem dici potiùs à sapientia, & moribus, quàm ab ætate ex Rota *decis.* 61. *n.* 1. *p.* 1. *in posthum.* Farinac. Valenzuel. *consf.* 34. *num.* 59.

Quarta est origo, seu locus; nam cęteris paribus, qui est ejusdem loci originarius præferendus est extraneo, quia regulariter magis diligit Ecclesiam, faciliùs resìdet, civium experientiam, & morum habet. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 4. Soto *lib.* 2. *de Just. q.* 6. *art.* 2. *ante* 10. *conclus.* Donatus *p.* 3. *tract.* 4. *q.* 27. *num.* 10. & innumeri alii relati à Passer. *num.* 26. & à Barbos. *de Off. Episcop. alleg.* 60. *num.* 102. Eadem ratione, qui est de Diœcesi, non Diœcesano præfertur, & etiam qui callet idioma Patriæ; ut sacramenta ministrando, & alia sui muneris exercendo, intelligere, & à suis ovibus intelligi queat.

Quinta est consanguinitas cum dispensante Beneficia; quæ si cætera sint paria, potest præponderare, cum consanguinei soleant esse magis fideles, diligentiùs sibi commissa exequantur, & cum majori amore inserviant. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *ad* 1. Sylv. V. *acceptio personarum num.* 3. Tabien. *num. ult.* Passer. *num.* 27. Duo autem scopuli in hoc sunt cavendi, ut monet idem S. Th. primus est, scandalum, & species mali, quam posset afferre hujusmodi electio: secundus, nè affectus judicium obnubilans, inducat deceptionem, dum æque idoneus existimetur, qui longè inferior est.

14 Denique considerandæ veniunt divitiæ, nobilitas, ac potentia consanguineorum; an pauper in pari causa sit præferendus diviti, nobili, ac potenti. Et quidem utrinque scopuli; hinc Scyllam, hinc Caribdim prospicio: nam de paupere avaritiam, & rapacitatem in damnum Ecclesiæ timeo; divitis verò potentiam formido, nè nimia gravitas, diligentiæ, & sedulitati, ac pauperum charitati, & pietati obsit nè item malorum consanguineorum affectus, vel famulorum, & ad-

& adhęrentium, in perniciem Ecclesię vergat, Ex una parte pauperis indigentię, ut habeat undè commodè vivere possit consulendum videtur, ut habet Cæsar de Grassis *decis.* 1. *num.* 10. *de jure patron.* Pax Jordan. *lib.* 10. *tit.* 8. *num.* 205. Rota *in Calagurit. Beneficii* 28. *Junii* 1652. *coram Rojas*, *& coram Eminentiss. Ottobono decis.* 248. *num.* 8. & alii quos citat Passer. *num.* 22. Ex alia verò parte divitiæ, potentia, & nobilitas, multùm prodesse possunt ad jura Ecclesiæ tuenda, ad scandala extirpanda, & disciplinam promovendam, si tamen aliàs persona sit doctrina, prudentia, & moribus commendabilis. Sylv. *V. acceptio personarum num.* 3. *&* 6. Fernandez *in exam. Theol. mor. par.* 4. *cap.* 4. §. 1. *num* 5. Barbosa in *cap.* 18. *sess.* 24. *Conc. Trid. num.* 135. Pax Jordan. *loco cit.* & alii. Summoperè tamen curandum, nè dives præponatur pauperi digniori, ut monet D. Th. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.* debet tamen pluris fieri ille de cujus bonis fundata est Ecclesia; ut probat Glos. *Cap. Neminem V. sine possessionis dist.* 70. & alii quos citat. Passer. *num.* 25. & Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 60. *num.* 101. quapropter sunt etiam pręferendi, qui sunt de familia fundatoris. Passer. *loco cit.* Pax Jordan. *num.* 218.

15 Pro hujus igitur, & pręcedentium conditionum advertentia, est sciendum, quòd istę extrinsecę conditiones tunc pręponderant, & ad eas promotor debet respicere ex lege, & fidelitate sui officii, qnando concurrunt ad augendam utilitatem Ecclesię, tunc enim faciunt subjectum dignius, quia utilius, ut rectè Passer. *n.* 28. ex D. Th. *loc. cit.* 2. 2. unde arbitrio prudentis electoris, attentis circumstantiis, potest dives pauperi, vel pauper diviti pręferri, cęteris paribus. Si verò prędictę conditiones non concurrunt ad augendam spiritualem, vel temporalem Ecclesię utilitatem, sed respiciunt interesse subjecti, possunt ad quandam ęquitatem pertinere, & hujusmodi sunt laurea, origo, sacerdotium, &c. ubi verò plures ęqualiter sunt digni, vel digniores, & utiles Ecclesię, debet prudens dispensator alias attendere qualitates, prout sibi attentis circumstantiis benè visum fuerit. Videatur Garzias *par.* 9. *cap.* 2. *n.* 250. *&* 213. Pax Jordan. *lib.* 10. *tit.* 8. *n.* 222. asserentes duas Rotę decis. & multa in speciali de hoc differentes.

16 Alia etiam est servanda regula: ut scilicet certitudo moralis dignitatis alicujus personę præponderet probabili dignitati alterius, non enim debet promoveri ignotus, nec est in conscientia tutus, qui ignotum promovet ad curam animarum. Sylv. *V. electio* 1. *q.* 16. *num.* 18. Tabien. *num.* 15. Sanch. *lib.* 2. *opusc. cap.* 1. *dub.* 12. *num.* 1. unde idoneus, & dignus, cujus mores sunt probati, & morali certitudine noti, præferendus est doctiori, cujus vita ignoratur, & hoc tanquàm decisum à Sac. Congreg. Conc. tenent Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 4. *num.* 112. Garz. *p.* 9. *cap.* 2. *num.* 111. & apud eum Genuen. Ugol. & Leo. Barbosa *ad dictum cap. Conc. Trid. & de offic. Episc. alleg.* 60. *num.* 202. & apud eum alii, & alii quos citat Passer. *num.* 29. unde Episcopum, familiarem suum, aut consanguineum, aut amicum, sibi benè notum, ut idoneum, posse præferre incertę majori alterius idoneitati docuit Ledesma *tract.* 1. *cap.* 2. *concl.* 7. Lavor. *cap.* 21. *num.* 72. & hoc intellige de conditionibus omninò necessariis ad idoneum ministrum: sivè incertitudo sit singularum, sivè unius omninò necessarię; nempè doctrinę, vel vitę. Similiter nota, quòd si aliquem esse æquè dignum certò constat, probabiliter autem esse digniorem, preferendus est æquè digno, ut rectè de Lugo apud Passer. *num.* 29. ratio est quia cum sint paris conditionis quò ad merita certa, iste prę-eminet quò ad majorem dignitatem saltem probabiliter.

17 Summariè igitur recole, digniorem quò ad curam animarum esse illum, qui cum sit bonus, & vita commendabilis alteri pręeminet in virtutibus, quę sunt ad alterum, nempè doctrina, Charitate erga proximum, zelo salutis animarum compassione, sobrietate, benignitate, mansuetudine, patientia, liberalitate, pacis cultu, prudentia, sagacitate, justitia, diligentia, & similibus.

PROPOSITIO XLVIII.

Tàm clarum videtur Fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò dissonum videatur.

1 PRæmitto primò ex D. Th. 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *ad* 4. quòd licèt peccata alia sint mala, quia prohibita, alia verò sint prohibita, quia mala, comparativè ad Jus positivum, omnia tamen sunt mala, quia prohibita comparativè ad Legem æternam, & Jus naturale, quod primò continetur in Lege ęterna, & secundariò in naturali judicatorio rationis humanæ, unde formaliter nihil esset peccatum, & malum, nisi per aliquam Legem, sivè ęternam, & naturalem, sivè positivam prohiberetur. Differentia tamen est inter ea, quæ sunt intrinsecè mala, & ea, quę in se mala non sunt, sed solùm mala, quia prohibita, quòd illa, etiam si nulla Lege prohiberentur, quamvis non essent mala formaliter, & peccata, essent tamen mala fundamentaliter, in quantùm involvunt aliquid contrarium Divinis perfectionibus, & petunt ex se prohiberi per Legem æternam, & naturalem, quę in illa continetur. Ista verò si nulla Lege prohiberentur, nullam involverent ex natura sua malitiam: unde datur malum ex genere suo tale, & licèt antecedenter ad prohibitionem Legis æternæ (antecedentia quidem naturæ seu conceptionis) illud agere non esset formaliter peccatum, quia peccatum formaliter supponit aliquam Legem, cui contrarietur, esset tamen malum, & fundamentaliter peccatum. Et datur aliquod, quod ex genere suo non est malum, sed est tale, quia Lege aliqua positiva, sivè Divina, sivè humana est interdictum. Propositio ergo prędicta, non intendit Fornicationem non fore malam nisi Lege ęterna, & naturali esset interdicta; adeò ut in se esset mala fundamentaliter: sed intendit quòd in se, & ex genere suo nullam involvit malitiam, nec fundamentalem; unde non est Lege æterna, & naturali prohibita, sed in se mala non existente, mala est, quia interdicta, Jure scilicèt positivo.

2 Prę-

2 Præmitto secundò: certum esse, de fide, Fornicationem esse peccatum mortale, saltem, quia Jure Divino est prohibita: ut habetur. *In Clem. ad nostram de hæreticis, & ex Sacra Script.* Deuteron. 23. *non erit meretrix de filiabus Israel.* Tob. 4. *attende tibi à fornicatione, & præter uxorem tuam non patiaris, crimen scire.* Ad Hebr. 13. *fornicatores, & adulteros judicabit Deus.* Id-est condemnabit, & *ad Gal.* 5. postquàm præmisit Apost. fornicationem, & alia vitia, subdit: *Quoniam qui talia agunt Regnum Dei non consequentur.* Matt. 15. *de corde exeunt fornicationes, adulteria, &c. & hæc coinquinant hominem,* in Decr. 22. q. 1. cap. Prædicandum. *Nosse debent talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio spontè commisso, & de cæteris criminalibus vitiis.* Ubi Fornicatio ponitur inter vitia criminalia, seu mortalia.

3 His præmissis restat dubium: an sit peccatum ex genere suo, itaut Lege æterna sit prohibita; an verò quia Jure positivo est interdicta. Martinus de Magistris *q.* 3. *de luxuria*, & Dur. *in* 4. (licèt aliquibus conditionibus adhibitis) docuerunt solùm esse contra Jus positivum. Caramueli verò (cujus est hæc damnata Propositio) in *Theol. mor.* à *n.* 603. tàm clarum visum est fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, ut contrarium omninò dissonum visum fuerit. S. Th. tamen 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. & 3. *contra gent. cap.* 122. tàm claram adducit pro opposita sententia rationem, ut Eminentiss. Cajet. tàm solidam, & demonstrativam in suo ordine existimarit, ut ex ipsa absque aliis adminiculis omnes difficultates accidentes solvisse confiteatur; quia ut dicitur 4. *Phys.* quod quid est solvit omnes difficultates. Unde D. Th. sequuntur communiter D. D. illis paucis exceptis: immò Soto *lib.* 5. *de Justit. q.* 3. *art.* 2. contendit contrarium esse errorem in fide. Et in *Director. Inquis. p.* 2. *q.* 4. inter ceteros errores Rabbi Moysis n. 11. ponitur iste, quòd simplex fornicatio nullo modo est peccatum de Jure naturali; sed solùm ex prohibitione legis, unde ante legem datam fuisset licitum fornicari. Pro resolutione.

4 Dicendum: fornicationem ex se, & ex genere suo esse malam, & contra Jus naturæ, & non solùm malam, quia interdicta Jure positivo.

Probatur ratione D.Th. ſub hac forma. In ſimplici fornicatione habetur emiſſio ſeminis voluntaria contra rectum ordinem, & finem intentum à natura, quantùm eſt ex ſe, & ex fornicario actu; ſed omnis actio voluntaria ex ſe procedens contra rectum ordinem, & finem intentum à natura eſt ex ſe mala, quia bonum uniuſcujuſque, tàm ſcilicèt totius, quàm cujuslibet partis eſt, ut debitum finem ſortiatur; & malum ejus eſt, ut à debito fine divertat; & contra proprium finem tendat: ergo ſimplex fornicatio ex ſe, & ex ſuo genere eſt mala, & contra Jus naturæ: ſed actus ex ſe malus in re gravi non eſt veniale, ſed mortale peccatum, & actus fornicarius eſt contra finem intentum à natura in re gravi: ergo eſt peccatum mortale ex genere ſuo, non ſolùm veniale. Minor primi ſyllogiſmi patet ex probatione ibi ſubjuncta, & exemplis inductivè in omnibus actibus, qui ſunt intrinſecè mali; non enim aliundè eorum malitia colligitur; niſi ex hoc, quòd ſunt contra debitum ordinem, & finem ad quem ipſos natura ordinavit.

Major, in qua eſt difficultas, probatur, & explicatur. Ex ſe, & ex natura ſua ſemen humanum eſt ordinatum à natura ad propagationem ſpeciei; cum ſit inſtrumentum ad generationem deſerviens, & neceſſarium: ac proindè ejus emiſſio ex ſe (quicquid ſit, an per accidens non ſortiatur effectum, ratio enim petenda eſt ab eo, quod eſt per ſe, non ab eo, quod eſt per accidens) debet eſſe ordinata ad generationem, ſi eſt voluntaria: & quia fruſtra eſſet generatio hominis, niſi ſequeretur nutritio debita, quia genitum non remaneret, debita nutritione ſubtracta, & ſimiliter ad bonum hominis geniti pertinet conveniens educatio, hinc eſt quòd ſeminis emiſſio taliter ad generationem debet eſſe ordinata, ut ex ea quantùm eſt ex ſe; poſſit ſequi debita geniti nutritio, & educatio, & quoties ſeminis emiſſio ex ſe talis eſt, ut ex ea ſequi non poſſit generatio, ut evenit in mollitie, vel maſculorum concubitu (ex quo patet impugnatio ſequentis Propoſitionis) vel ut non poſſit ſequi debita nutritio, & educatio geniti, contra debitum finem intentum à natura divertitur. Atqui in ſimplici fornicatione, quantùm eſt ex ſe, illa ſeminis emiſſio eſt cõtra debitam hominis nutritionem, & educationem (quicquid ſit, an per accidens non impediatur, vel aliundè ſuc-

ſuccurratur, in quo ſenſu procedunt objectiones contra hanc rationem adduci ſolitæ) ergo in ſimplici fornicatione habetur emiſſio ſeminis voluntaria contra rectum ordinem, & finem intentum à natura quantùm eſt ex ſe, & ex fornicario actu. Probatur hæc minor; quoniam major declarata eſt. Ad debitam nutritionem, & educationem hominis geniti, quantùm eſt ex ſe, neceſſaria eſt, & natura id dictante, requiſita commanentia non ad modicum tempus, ſed ad longum tempus, viri cum muliere; ſed quantùm eſt ex ſe hæc commanentia non convenit fornicariis; quoniam de eorum ratione eſt acceſſus ad quamcumque, & quemcumque: nam quantùm eſt ex vi fornicarii actus, & quatenùs fornicator eſt formaliter; non prohibetur vir ad aliam, nec mulier ad alium accedere; quia actui fornicario ſecundùm ſe, & formaliter; non convenit, ut homo teneatur fœminæ commanere, ut optimè notat Ferrar. ſuper locum cit. D. Th. contra gent. & ratio ulteriùs eſt, quia eſt coitus ſolutorum, & nullum vinculum, & obligationem inducit ad commanendum; hæc enim inducitur per matrimonium. Unde per accidens eſt, quòd commaneant, ut concubinarii, vel quòd ſuperveniat promiſſio commanendi, quæ obligat ex fidelitate: ergo quantùm eſt ex ſe in ſimplici fornicatione illa ſeminis emiſſio, ſeù ille actus fornicarius eſt contra debitam hominis nutritionem, & educationem: nempè prolis, quæ quantùm eſt ex ſe, ex illo actu eſt naſcitura; quicquid ſit ſi per accidens non naſcatur; ad hoc enim ſemen eſt à natura inſtitutum.

Major hujus ultimi ſyllogiſmi continet duas partes, nempè: quòd requiratur commanentia, & quòd natura id dictet. Quò ad primam probatur: quoniam ſola fœmina per ſe loquendo non eſt ſufficiens ad prolis humanæ nutritionem, ad quam multa requiruntur, quæ per unum parari non poſſunt; licèt per accidens mater ſit, quæ poſſet ſufficere, vel quòd vir ei tribuiſſet ad hoc ſufficientes opes: rectitudo autem, vel obliquitas actus conſideranda eſt ex iis, quæ ſunt per ſe, & ordinariè, ac ut in plurimùm contingunt. Similiter quantùm ad educationem; cum prudentia non ſit indita homini, ſed experimento comparetur, oportet, ut filii à parentibus tanquàm ab expertis inſtruantur, cujus inſtructionis non ſunt capaces mox geniti,

ſed poſt longum tempus; & ad hoc non ſolùm requiritur inſtructio; ſed etiam repreſſio impetus paſſionis, quæ corrumpit æſtimationem prudentiæ: & ad hoc per ſe loquendo, non ſufficit ſola fæmina; ſed requiritur opus viri, qui eſt ipſa prudentior ad inſtruendum, & virtute potentior ad caſtigandum: quicquid ſit de eo, quod per accidens evenire poteſt; ut ſcilicèt fæmina dives ſuis opibus magiſtros aptos ad docendam, & corrigendam prolem inducat: vel ſi pauper, quòd in aliquibus civitatibus reperiantur loca publica, in quibus ſpurii recipiuntur, nutriuntur, & inſtruuntur. Immò, ut acutè obſervavit Eminent. Cajet. hoc ipſum teſtatur fornicarium concubitum eſſe inordinatum in ſe; nam ſi inordinatus non eſſet, non oporteret hujuſmodi proviſiones adinvenire, ut proles ſine nocumento evadat: remedium enim ſupponit malum. Unde licèt per hujuſmodi loca pia tollatur in hujuſmodi ſpuriis nocumentum nutritionis, & inſtructionis actuale, non tollitur tamen, quin ex ſe fornicarius concubitus ſit privatus naturali ordine ad debitam nutritionem, & educationem: ergo quantùm eſt ex ſe ad nutritionem, & educationem debitam prolis humanæ requiritur commanentia ad longum tempus viri cum fæmina; commanentia quidem aliquo vinculo naturali debita, quod habetur per matrimonium: unde omnis concubitus extrà matrimonium eſt ex ſe, & genere ſuo inordinatus.

Quò ad ſecundam partem, ſcilicèt, quòd hanc commanentiam natura dictet, probatur: nam experimur in animalibus, quæ naturæ inſtinctu ducuntur, in illis, in quibus ſola fæmina eſt ſufficiens ad prolis nutritionem (nam educatio in eis non eſt neceſſària, cum naturaliter habeant ſuas prudentias inſitas, quibus ſibi providere poſſunt) mas, & fæmina poſt coitum non commanent, ut patet in canibus, & ſimilibus: in iis verò, in quibus ſola fæmina non eſt ſufficiens, ut in avibus, in quibus pulli non poſſunt ſibi ſtatim quærere cibum, ac naſcuntur; & aliàs avis non nutriat lacte pullos, quod eſſet ſtatim à natura præparatum; ſed aliundè oporteat illis cibum quærere, & interim oporteat eos fovere; unde altero parente eunte ad cibum quærendum, alium neceſsè ſit remanere, ex Divina Providentia eſt naturaliter inditum mari, ut fæmellæ commaneat,

quo-

quousque prolis necessitas exigit: ergo cum in homine, ut probatum est, pro nutritione, & educatione prolis sit necessaria commanentia maris, & fæminę, per se loquendo, erit hujusmodi commanentia naturaliter exigita, quousque necessitas exposcit, quod in homine per longum tempus requiritur, ac proindè concubitus fornicarius, qui quantùm est ex se non inducit vinculum naturale ad commanendum, est contra finem à natura pręscriptum, & consequenter secundùm se, & intrinsecè malus.

Minorem subsumptam principali syllogismo adjeci, nè aliquis concedendo fornicationem esse intrinsecè malam, contendat ex genere suo leve malum esse, sicut mendacium jocosum. Sic autem probatur: privatio debitæ nutritionis, & educationis est grave malum prolis, sine nutritione enim vivere nequit: sine educatione verò benè vivere non potest: unde proles, cui hęc debentur, remanet notabiliter damnificata: ergo actus fornicarius ex se est contra finem intentum à natura in re gravi; ac proindè ex suo genere est peccatum mortale. Hinc à D. Th. ponitur hoc peccatum post homicidium, quo natura humana jam existens destruitur, quoniam privatio debitę nutritionis est per se connexa cum morte prolis: educationis verò debitę privatio magis nocet, quàm ablatio rerum externarum, cum sint majus bonum hominis interiora bona, quę per educationem comparantur.

5 Possent alię rationes adduci ex eodem S. Th. *loco cit. contra gent. cap.* 123. ubi probat indissolubilitatem matrimonii, eisdem enim malitia fornicationis probari potest: at quia hęc ratio sufficiens est, & efficax si rectè perpendatur, nam, ut ait Ferrar. procedit ex propositionibus, quę formaliter, & per se sunt verę, ex quibus rationes efficaciam habent, licèt aliquandò per accidens falsę esse videantur, & ut acutè observat Cajet. quod multos in hac, & aliis materiis moralibus decipit est, quia non penetrant, quòd rectitudo naturalis in humanis actibus, non est secundùm ea, quę per accidens contingunt, & quòd certitudo mathematica non est expetenda in moralibus, sed demonstrationes morales tunc sunt certæ, cum ostendunt id, quod per se, & ut in pluribus rectum, aut non rectum est, & hęc ad constructionem

universalis in moralibus sufficiunt, nisi apud disciplinæ incapaces: hæc Cajet.

6 Falsum est ergo, quod ait Tambur. *lib. 7. in. Decal. cap. 1.* §. 2. *num.* 1. nempè, quòd licèt hæc sententia communis sit vera, tamen ad eam probandam, nondùm rationem naturalem à priori esse compertam. Patet namque esse falsum, cum hæc S. Th. ratio, & naturalis, & à priori, nempè per causam finalem procedat. Unde Cajet. ait: nos gratias agemus D. Thomæ, qui nos hæc docuit. Immò Tambur. sibi contradicit, dùm in *tom. de Sacram. lib.* 8. *tract.* 5. *cap.* 5. agens de indissolubilitate matrimonii. §. 1. *num.* 3. assignans pręcipuam rationem, quam vocat à priori, utitur summariè ratione D. Th. immò ipsis verbis, quibus utitur S. D. 2. 2. dùm assumit pro antec. *Certum est concubitum vagum, & communicationem uxorum, & virorum indifferenter, esse illicitum*; quod deinde probat his verbis: *Probatur ex causa finali matrimonii, quæ est suscipere, & educare, beneque instruere prolem, ad quod omninò requiritur, ut certum ineatur matrimonium.* Ex quo infer hanc consequentiam: ergo ille actus fornicarius qui est extrà certum matrimonium, est contra educationem, & bonam instructionem prolis, si ad hoc omninò requiritur, ut certum ineatur matrimonium, & certè D. Th. ex eadem ratione, qua probat malitiam fornicationis, procedit loco cit. contra gent. ad probandam matrimonii indissolubilitatem, & 2. 2. obiter infert, matrimonium esse de jure naturali.

Confer quęso verba adducta Tambur. cum his, quę protulit D. Th. 2. 2. cit. in fine corporis, recapitulando rationem adductam. *Unde cum fornicatio sit concubitus vagus, utpotè præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideò est peccatum mortale.* Vide igitur quàm inconsideratè, nè rationem S.Th. approbaret, protulerit illa verba Tambur. *loc. cit. in Decal.*

7 Ex doctrina Eminentiss. Cajet. alias rationes Theologicas habemus ad probandum efficaciter fornicationem ex suo genere esse malam, & mortale peccatum. Illas legat studiosus *loc. cit.* sunt enim revera ejus ingenio dignę; & apud eundem fusiùs inveniet solutiones argumentorum, quę tamen ex benè ponderata nostra probatione diluta remanent.

PRO-

PROPOSITIO XLIX.

Mollities jure naturæ probibita non est . Unde si Deus eam non interdixisset , sæpè esset bona , & aliquando obligatoria sub mortali .

1 HÆc Propositio docetur à Caram. *in Theol. mor. n.* 1603 *ut citat.* Gonet. *in man. tom.* 4. *cap.* 3. *§.* 4. *in resp. ad* 3 manetque impugnata ex dictis Propos. prec. quoniam est effusio seminis contra primarium finem intentum à natura, qui est generatio, unde magis, quàm simplex fornicatio habet deformitatem, cum illa solùm sit contra secundarios fines, nempè nutritionem, & educationem prolis, qui sunt necessariò consequentes ad generationem. Hinc à D. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 11. & communiter inter vitia contra naturam computatur : addunt namque hæc vitia suprà alias species luxuriæ, ut rectè docet Angelicus, quòd ubi cæteræ luxurię species habent deformitatem, quia repugnant rectę rationi: ista repugnant etiam naturali ordini venerei actus, qui convenit humanę speciei, & propter hoc dicuntur contra naturam . Unde Gonet. *loc. cit.* contra hanc falsam opinionem adducit versus Martialis in Ponticum se polluentem, notatu dignos.

Hoc nibil esse putas? scelus est, mibi crede, sed ingens,
Quantùm vix animo concipis esse tuo .
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum .
Istud, quod digitis Pontice perdis, bomo est .



PRO-

PROPOSITIO L.

Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

1 ADulterium ex D. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. est accessus ad alienum thorum: unde tàm ex parte viri, quàm ex parte mulieris, vel etiam ex parte utriusque committitur adulterium, putà si solutus habeat copulam cum conjugata, vel conjugatus cum soluta, vel si uterque sit conjugatus. Certum est autem adulterium esse speciale peccatum distinctum à fornicatione, & speciem determinatam luxuriæ, cum habeat speciale deformitatem: dubium ergo est: an ista copula cum conjugata, consentiente marito (utinam non esset, in praxi hoc scelus) habeat deformitatem hanc specialem adulterii, vel potiùs retineat malitiam simplicis fornicationis.

2 Ratio dubii oritur ex hoc, quia specialis deformitas, quam addit adulterium ad fornicationem, consistit in injustitia, ut dicit S. Th. *q. cit. art.* 1. *ad* 2. in quantùm fit injuria marito, vel quia facit contra certitudinem prolis ejus, vel quia mulier adultera statuit sibi filios ex alio viro, quod est contra bonum proprię prolis: vel ex parte viri conjugati, quia agit contra fidem matrimonii, & contra jus in corpus suum, quod ex matrimonio uxor acquisivit. Constat autem, quòd nemini volenti fit injustitia, cum ut probat S. Th 2. 2. *q.* 59. *art.* 3. & docet Arist. 5. *Ethic. & sequentibus*, nemo patiatur injustum formaliter, nisi nolens. Quod etiam approbatur *de reg. juris in* 6. *reg.* 27. ubi dicitur. *Volenti, & consentienti non fit injuria, nec dolus*. Igitur cum in casu de quo loquimur, supponatur consensus mariti, nulla ei fit injuria, & injustitia non committitur, ac proindè cum non habeatur specialis illa deformitas constitutiva adulterii, solùm illa culpa haberet malitiam simplicis fornicationis.

3 Totus ergo conatus in impugnanda prædicta Propositione, & vindicando D. Th. ab hoc, quòd ex ejus doctrina, immò ex regulis juris prædicta Propositio videatur sequi, debet esse in enodanda prædicta ratione dubitandi, in qua fundatus Bonac. *de restit. in communi disp.* 1. *q.* 2. *punc.* 5. asserit: in prædicto casu non committi injustitiam, nec injuriam fieri marito consentienti; licèt expressè non asserat adulterium non committi; nam hoc enodato nihil dubii remanet, & ex se clarum est copulam cum conjugata esse adulterium, & adverte, quòd sermo est de consensu mariti simpliciter voluntario, non de mixto.

4 Sciendum est igitur ex Cajet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. §. *ad primum igitur dubium*: quòd consensus alicujus potest præstari, vel super his, quorum absolutè sumus Domini, & pro libito nostræ voluntatis possumus de illis ordinare: & hujusmodi sunt bona fortunæ: vel super his, quorum absolutè non sumus Domini, ut sunt bona naturalia; quæ ab altiori principio sunt nobis data, ut illis certo ordine, & quò ad aliquid, intrà certos limites utamur.

5 Hinc fit quòd illa doctrina D. Th. & Juris, non est intelligenda de his postremò enumeratis, sed de prioribus: unde licet (inquit Cajet.) manus tua sit tua, non tamen propterea potest de consensu tuo à te tolli sine injuria tua; esset enim mutilationis tuæ reus, qui hoc facinus patraret. Et eodem modo explicat D. Th. Arragon. *q.* 59. *art.* 3. *cit. conclus.* 2. & tàm Cajet. quàm Arrag. in speciali mentionem faciunt de marito consentiente copulæ uxoris cum alio, & ratio est, quia uxoris non est Dominus absolutè, ut pro libito possit illam prostituere, vel ea abuti, sed ut certo ordine ea utatur; ac proinde etiam ipso consentiente restat locus injurię, & injustitiæ, præterquàm quòd injuria propriæ prolis non potest à marito remitti, dùm ob incertitudinem alienę, bonis paternis privaretur quò ad illam portionem, quam aliena proles consequeretur, & licèt ex alieno concubitu uxoris proles non nascatur, vel aliundè huic malo succurratur, hæc sunt per accidens, per se enim ille concubitus est ordinatus ad prolis generationem, quæ per se proli legitimę debet in bonis communicare, obliquitas

autem

autem, vel rectitudo actus sumenda est ab eo; quod est per se, non ab eo, quod est per accidens, ut Propos. 48. dictum est.

6 Ita similiter dicendum est de consentiente in suam occisionem, vel in sui mutilationem: sic quoque stuprum committitur, etiam consentiente puella, ejusque patre propter eandem rationem, ut rectè Cajet. Arrag. *loc. cit.* Sayr. *lib.8. in Decal.cap.* 4. *n.* 11. & alii, quicquid in contrarium dicant alii. Unde tantùm abest, ut adulterii, ac stupri malitia, ex mariti, vel patris consensu minuatur, ut potiùs nova lenocinii malitia cumuletur.

7 Verum tamen est, quòd in his casibus à restitutionis obligatione pro injuria illata eximendus est adulter, vel stuprator, pro ea parte, quæ spectare posset ad consentientem, cum enim restitutio debeat fieri de bonis, quorum absolutè sumus Domini quò ad usum: nempè de exterioribus bonis; volens autem talem injuriam pati censetur illa condonasse, nisi aliud intercesserit pactum. Ita Arrag. *loc. cit.* & in hoc sensu locum habere potest sententia Bonac. & aliorum, quos ipse citat.

PROPOSITIO LI.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti, putà nè à domino malè tractetur nè torvis oculis aspiciatur, nè domo expellatur.

1 TAmbur. *lib.* 5. *in Decal.* §. 4. *à num.* 15. & infrà plures casus consimiles agitat, & pro regula generali statuit, quòd ex rationabili causa, justa nimirùm, & proportionata, non committit peccatum, nec consequenter onus restitutionis contrahit is, qui scienter participat, seu scienter cooperatur cum aliquo in actione, quæ non est intrinsecè mala, sed in se considerata indifferens est, si ipse illam actionem ordinet

ad fi-

ad finem bonum (audi qualis ſit finis bonus) ideſt, vel ad ſuam neceſſitatem avertendam, vel ad ſuam utilitatem conſequendam, quamvis alius ea abutatur ad peccandum: hæc Tambur. n. 16. ubi citat plures alios, & loquitur de ſciente, ut ex poſtremis verbis n. 15. patet, & deinde n. 19. pro cauſa juſta adducit hęc eadem verba prædictę Propoſitionis, ſcilicet nè à Domino malè tractetur, nè torvis oculis aſpiciatur, nè à domo expellatur, & inter cęteros caſus, in quibus ſit licitum, adducit hunc, nempè ſi dominum adjuvet ad aſcendendum per feneſtram, quo ingrediatur in locum, ubi peccaturus ſit.

2 In hoc igitur puncto exiſtimo non ſolùm damnari Propoſitionem in caſu expreſſo, ſed in cæteris ſimilibus, videlicet non ſolùm quando ad ſtuprandam virginem accedat, quotieſcumque adjuvat ipſum famulus, nec ſolùm ex parte cooperationis reſtringi ad illas actiones enumeratas, ſed etiam ad conſimiles extendi, ut patet ex eo, quod dicitur *aut quid ſimile cooperando*. Ratio eſt, quia ſtuprum non habet quid ſpeciale, ratione cujus cooperatio ad ipſum ſit mala, non autem cooperatio ad cætera peccata, & ſimiliter omnes aliæ actiones adjuvativę, vel cooperativę in hoc poſſunt differre, quòd ſint magis, vel minùs remotę, ſi autem loquamur de conſimilibus etiam in proximitate, & conjunctione cum fine, eadem debet eſſe ratio. Ea propter omnem cooperationem in communi ad quodcumque malum, dummodò ſcienter fiat, oportet excludere, & deindè caſus particulares deducemus.

3 Prædictæ regulæ quaſdam limitationes addit Tambur. n. 17. volens materiam debere attendi, an ſit contra Juſtitiam, vel contra alias virtutes, & quò majus eſt peccatum, eò majorem cauſam requiri, ut excuſetur famulus à cooperatione, & ſimiliter cooperationi proximiori excuſandę majorem cauſam requiri, quàm remotiori, nihilominùs.

4 Dicendum, nullam cauſam, nullum, ſcilicèt metum temporalis damni eſſe ſufficientem, ut famulus, vel quilibet alius excuſetur à cooperatione ad aliquod peccatum alterius; quamvis non directè in peccatum influendo; ſed in ea, quę pręviè concurrunt ad actum peccati, & ſunt media ad illum, niſi ignorantia invincibilis finis intenti à peccaturo excuſet.

Pro-

Probatur primò ratione fundamentali opposita rationi adversariorum, quæ est, quia actio illa exercita à famulo non est intrinsecè mala. Actio illa prævia ad peccandum, vel necessaria, vel valdè utilis, & adjuvans (non enim est sermo de illa, quæ per accidens est conjuncta cum peccato) est intrinsecè mala in talibus circumstantiis: ergo nulla ex causa, nulloque metu temporalis damni excusari potest. Patet hęc consequ. ex eo quòd sæpè dixi: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut mala vitentur, & quodcumque temporale damnum non est præferendum damno spirituali. Antec. probari potest, primò ex doctr. D. Th. 1. 2. *q.* 18. *art.* 9. ubi docet, non posse dari actum indifferentem in individuo: ergo vel est bona, vel mala; non bona quia est ordinata ad malum: ergo &c. Sed ut adversarios suis laqueis capiamus. Prob. secundò. Illa actio per ipsos est indifferens in individuo, quæ caret fine bono, vel malo, itaut tota basis adversariorum, quare possit dari actus indifferens in individuo est, quia possunt dari actus ad nullum finem ordinati: nec tenetur homo omnes suos actus dirigere in finem bonum: vel ut vult Scotus, tunc actus est indifferens in individuo, quandò nulla bona, vel mala circumstantia afficit objectum, sed in præsenti casu illa actio cooperativa non caret fine, cum ordinetur prævie ad peccandum, nec caret circumstantiis, cum sit malis circumstantiis saltem malis finis vestita cum assumatur ut medium ad peccandum: ergo non est indifferens hìc, & nunc, & in talibus circumstantiis: at non est bona, cum ordinetur ad malum, ergo hìc, & nunc, & in talibus circumstantiis est mala.

5 Dices: licèt ex parte domini illa actio sit mala; quia est ordinata ad malum finem (hoc est effugium Tambur.) non tamen ex parte famuli, qui eam ordinat ad bonum finem, nempè ad suum commodum.

Sed contra est, nam supponimus famulum scienter operari: ergo quantùm est ex se, & ex parte operis ad malum finem ordinat illa media, nam ex parte operis ordinat illa, ut deserviant fini intento à domino suo: ergo etiam ex parte famuli illa actio in talibus circumstantiis est mala: unde solùm potest esse ordinata ad bonum finem ex parte operantis, quod non tollit

ratio-

rationem culpæ; quia ut sæpè dixi, actus exterior, seù imperatus à voluntate sumit speciem essentialem ab objecto, seù fine operis; non autem à fine operantis. Tùm etiam, quia non potest dari actus malus ex objecto, & bonus ex fine. Tum quia actus indifferentes ex genere suo, in individuo sumunt speciem à prima circumstantia, quæ in individuo transit in rationem objecti. Tùm denique, quia media participant bonitatem, vel malitiam finis (quicquid sit, an etiam gaudeant bonitate propria distincta à bonitate finis) ut ex Tract. de malitia, & bonitate humanorum actuum, ex D. Th. *loc. cit.* suppono. Ex hac igitur radice, scilicèt pretermissione regularum universalium moralitatis, dum ajunt praxi se intendere, non speculationi, tot Moralistarum errores irrepsere, cum parvus error in principio fiat maximus in fine.

6 Probatur secundò ex ipsis Adversariorum dictis: nam si illa actio est indifferens: ergo etiam sine metu alicujus damni, & absque ulla justa causa non esset illicita: nam actiones indifferentes facere, etiam si nulla subsit causa, nullum malum est. Cur ergo quærunt causam, ut excusent à peccato? Signum est ergo esse in se malam (malam inquam, in individuo; concedo namque esse indifferentem ex objecto) quòd si ipsi idipsum intelligant, advertere debuissent sermonem esse de actione individua hìc, & nunc, & in talibus circumstantiis; ac proinde non de actione indifferente. Hoc Tambur. agnovit, nam *num.* 20. proponit hunc casum. *An si amicus meus velit, ut ego feram munuscula, & similia, turpis scilicet amoris incitamenta, quæ ipse mittit ad concubinam, possim ego sinè peccato deferre.* Respondet absolutè negativè dicens: *Quia ex una parte hæc actio, licèt aliàs indifferens, est conjuncta cum peccato amici ejusque concubinæ.* Quantò magis sit conjuncta actio deferentis, & admoventis scalam, vel suis humeris subservientis, ut ascendat per fenestram, cogita prudens lector, *& ex alia parte non adest causa excusans ducta à famulatu, vel ex alio detrimento, ut supponimus.* Hæc Tambur. Ecce quomodo cognoscunt malitiam actus ex conjunctione cum peccato alterius: solùm ergo ad causam excusantem recurrunt; quod esse nefas probavi.

Con-

Confirmatur, nam illa actio, ex quo fit scienter, est voluntaria, voluntarium enim est à principio intrinseco cum cognitione finis. Est aliàs mala, quia est via, & medium ad malum finem; tum quia est cooperatio, ut ipsimet loquuntur, ad malum; & consequenter ad illud concurrens, cooperari enim, est cum alio operari. Non excusatur ex metu, quia hic non facit simpliciter involuntarium, sed voluntarium mistum quod potiùs est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundùm quid, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 6. ergo nihil amplius desideratur ad peccatum.

7 Ex quo patet, quàm falsa sint principia illa adversariorum relata à Tambur. *num.* 16. nempè, quòd illa urgens necessitas aufert potentiam moralem, consequenter non debet ab illa actione cooperativa abstinere, quia ad impossibile nemo tenetur: unde concludit solùm censeri negativè permittere. Quis non videt manifestam falsitatem? Quomodo aufertur potentia moralis; cum ex impotentia solùm omissio actus, non ejus positio sequi possit? Et si illa positio est simpliciter voluntaria, quomodo aufertur potentia moralis? Porrò si metus sufficeret ad inducendam impotentiam moralem; & ad faciendum impossibile, posset etiam quis metu ductus, propria manu occidere hominem, stuprare virginem &c. quodnam impossibile reperitur in non præstando illo adjutorio? quomodo solùm negativè permittit, dum actu positivo cooperatur? Heu quot inaudita, quod absurda!

8 Dixi in conclusione, si influat in ea, quę prævie concurrunt ad actum peccati, & quæ sunt media ad illum actum; per quod excluditur simplex comitatus causa obsequii, ex officio famulo incumbens, non tamen, ut dominum animosiorem reddat ad homicidium, vel adulterium, vel quodvis aliud crimen patrandum; hìc enim nulla intervenit cooperatio. Idem dicendum de eo, qui ex officio sternit equum, cum non sit determinata actio ad malum finem, sed valdè remota. Similiter dicendum non peccare, qui numerat pecuniam usurarii, refert in libros, defert, vel recipit cum redditur à mutuatario, hæc enim non concurrunt, nec adjuvant actum usuræ, qui consistit in illo pacto iniquo, ad quem hæc non cooperan-

rantur, sed ad actum mutuandi, qui præciso illo pacto est actus honestus: secùs verò dicendum esset de eo, qui deservit usurario, ut mediator ad dandam pecuniam ad usuram, si autem aliquis deserviret, ut mediator ex parte mutuatarii, ut ipsi rem gratam faciat, quærens usurarium, qui pecuniam mutuet, nec peccat, quoniam non cooperatur usurario, sed amico, & sicut iste sine peccato accipit ab usurario parato ad dandam pecuniam; ita ille sine peccato huic cooperatur.

9 Sequitur ex dictis, primò: in casu posito, & similibus, peccare famulos deferendo scalam, aperiendo januam, vel quid simile cooperando, sivè suis humeris subserviendo, & adjuvando herum suum scienter ad fornicandum stuprandam virginem adulterandum, committendum incestum; vel sacrilegium, vel furtum, vel homicidium, & peccare eadem peccati specie, ac principalis, quia causa, & concausa ad idem concurrunt, & influunt: nec metu alicujus damni excusantur.

10 Sequitur 2. contra Tambur. *n.* 18. pèccare famulum, qui sternit lectum, associat concubinam, ducendo ad locum, ubi dominus peccaturus est, januamque aperiat eidem ingressuræ, dum scienter (quod semper subintelligi volo) hoc faciat, non verò eum, qui pro munere officii sui cibos condiat, ministratque in mensa concubinæ, & similia, quæ non sunt media ad peccandum, ob rationem oppositam: peccaret tamen si cibos excitantes libidinem pararet scienter jussu domini.

11 Sequitur 3. *contra Castropal. tom.* 1. *tract.* 6. *dub.* 6. *p.* 11. *n.* 7. citantem Rebell. non licere famulo deferre internuncia turpia, & amatoria, vel epistolas ad peccatum provocantia, ex nulla causa, etiam urgentissima: similiter eidem non licere, referre adulteræ, ut in tali hora accedat ad domum heri, vel alterius ubi scit herum eam expectare ut peccet, etiam metu notabilis detrimenti: est contra Tambur. *n.* 19.

12 Sequitur 4. contra Sanch. quem citat, & sequitur Tambur. *n.* 20. non licere amico accomodare lectum alteri, in quo scit eum fornicaturum multò magis, nec accomodare cubiculum, in quo securiùs, & confidentiùs peccet; etiam si gravis necessitas, & amissio amicitię, quæ est ei valdè proficua urgeat.

13 Sequitur 5. contra Castropal. *loc. cit.* & Rebell. nec ex urgen-

tissima causa, etiam mortis, licere deferre, jussu domini, epistolam continentem claram provocationem inimici ad duellum: idem dicendum est si famulus sit certus de turpitudine amoris domini, & ex aliis capitibus sunt ei valdè suspectæ epistolæ, quas deferendas accipit; etiam si certò nesciat; an verba amatoria contineant, non licere eas deferre.

14 Sequitur 6. non licere accomodare alteri gladium, sclopulum, vel quid simile instrumentum; nec pulverem tormentarium, & similia, si scias illis usurum ad homicidium.

15 Denique has regulas habeto: Primò, nullas actiones licere, quæ tendant ad peccatum tanquàm media, & adjutoria; licere tamen illas, quæ tantùm concomitanter se habent; nec aliquid cooperationis, & adjutorii habent ad peccatum; vel nimis remotè conducunt ad finem.

16 Secundò, illas actiones, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ sunt intrinsecè mala, in nullo casu, nec ratione officii, nec ratione metus licere; quia ipsę etiam sunt intrinsecè malæ in individuo, ex malitia actus ad quem concurrunt, & cum quo sunt conjunctæ: & ideò in præcedentibus, cum sermo esset de similibus, dixi, illam cooperationem esse intrinsecè malam: & ob nullam causam excusationem admisi: illas verò actiones, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ sunt de jure positivo, & non sunt intrinsecè mala, ut ad fractionem jejunii, & similia, posse excusari ob notabile detrimentum (& unico verbo) in illis casibus, in quibus si cooperans esset principaliter operans excusaretur à peccato. Ratio est, quia hæc præcepta in multis casibus excusationem admittunt, nec obligant cum tanto dispendio: illa verò nequaquàm dispensationem admittunt, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. ubi ait: quod præcepta Decal. dispensationem non admittunt; quia *ar.* 1. *ejusdem quæst.* dixerat omnia pręcepta moralia, cujusmodi sunt omnia Decal. præcepta esse de Jure naturæ.

17 Hinc sequitur elucidatio cujusdam casus allati à Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 2. *punct* 10. *n.* 8. qui asserit excusari à peccato, & ab obligatione restituendi, eum, qui metu coactus, præbet furi claves, vel instrumenta, quibus effringit arcas, vel scalam tenet, dùm fur murum ascendit.

In hoc

In hoc casu distinguendum est de metu ; an scilicèt sit metus mortis , vel notabilis detrimenti prępondérantis rei per furtum sublatæ : aut levis mali : si namque illi mortem aliàs, vel notabile detrimentum inferret fur ; quod aliter , neque fugiendo posset evitare , nec alia via, posse claves, vel instrumenta præbere , aut scalam tenere , existimo : secùs verò , si leve malum immineret. Ratio est quia ille debet potiùs suæ indemnitati consulere, quàm alterius , quandò malum sibi imminet gravius malo imminente Proximo : hoc exposcente Charitatis ordine : qui tamen è contra urget, si leve damnum immineat.

18 Dices: eadem ratio militat in pręsenti casu, ac in adductis, nam sicut est in individuo mala cooperatio ad stuprum , ita, & ista, sicut finis ad quem illa ordinatur est intrinsecè malus, ita, & furtum est intrinsecè malum: & sicut nequit illa cohonestari ex hoc, quòd famulus non intendat stuprum , sed suum commodum, ita in pręsenti: ergo vel utrobique debet admitti excusatio, vel in neutro casu.

Resp. esse disparem rationem inter furtum, & stuprum, vel alia peccata, in materia venerea: disparitas est, quia ratio essentialis constitutiva furti, non est sola acceptio rei alienę, sed ut sit invito Domino, ad hoc ut sit injusta acceptio rei alienę : in pręsenti autem casu, respectu hujus cooperantis ob metum mortis, vel alterius mali gravis prępondérantis rei per furtum sublatę, dominus non deberet esse invitus, & si est invitus, irrationabiliter esset invitus, omnes enim ita sentirent non debuisse illum pro alienæ rei indemnitati consulendo, jacturam vitę facere: unde illius cooperatio esset ad materiale furti, nempè ad acceptionem rei alienę, non autem, ad furtum formale , prout est injusta acceptio: quare non cooperatur ad aliquod intrinsecè malum; omnibus circumstantiis inspectis, & in individuo illa actio esset honesta, utpotè habens pro fine intrinseco acceptionem rei alienę, quę est mala si sit invito Domino, secùs verò si hoc ei non annectatur, sed aliud motivum honestum quod in præsenti esset mortis evasio, vel alterius notabilis damni: in materia autem venerea, cum actio ipsa libidinosa , ad quam cooperatur, sit in se mala, absque relatione ad aliud: &

S 2 ab hac

ab hac ſpecificetur cooperatio, etiam ſi hæc ad proprium commodum ordinetur, nequit à malitia ſpoliari.

PROPOSITIO LII.

Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

1 PRæmitto primò ex D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. quòd præceptum ſervandi feſta duo continet, primum eſt in quantùm præcipitur, quòd aliquo tempore homo vacet rebus Divinis, ſecundùm illud Pſ. *Vacate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus*, & ſecundùm hoc eſt præceptum morale, & ponitur in Decal. Secundùm eſt taxatio temporis, ſcilicèt diei ſabbati in veteri lege, & diei Dominicæ in nova lege, & quantùm ad hoc eſt præceptum ceremoniale.

2 Præmitto ſecundò ex Cajet. *in ſumm. verbo Feſtorum violatio* hujuſmodi obſervationes in tribus conſiſtere, ſcilicet in Miſſæ auditione, in abſtinentia ab operibus ſervilibus, & in abſtinentia quorundam operum forenſium; ut ſunt Mercatus, Placitum, ſeu Judicium forenſe &c. de quibus ſtandum eſt conſuetudini: his præmiſſis.

3 Dicendum: præceptum ſervandi feſta ex ſe obligare ſub mortali, etiam ſepoſito ſcandalo, & etiam ſi abſit contemptus, Probatur: quò ad id ſecundùm quod eſt morale eſt de Jure naturæ, & contentum in pręceptis Decal. quæ omnia, ut patet inductivè, obligant ſub mortali: quantùm verò ad taxationem temporis, in lege veteri fuit à Deo, & in nova ab Eccleſia, quę habet poteſtatem condendi leges, & aliàs eſt rationabilis lex, & ex juſta cauſa, quæ requiruntur, ut lex ſit juſta, & obligans in conſcientia, etiam ſi ſit Principum ſæcularium: ergo hæc lex obligat in conſcientia.

4 Confir. 1. Ex eo, quòd Eccleſiæ præceptum ſuccedit pręcepto veteris legis quantùm ad taxationem temporis, nempè diei Dominicæ, ut ait D. Th. 2. 2. *q.* 122. *art.* 3. *ad* 4. ergo ſicut in veteri lege, ut patet ex S. Script. obligabat ſub mortali, ita, & in

nova,

nova, aliàs non ſucceſſiſſet loco illius, ſed illud abrogatum fuiſſet.

5 Confir. 2. Ab antiqua traditione tenetur communiter tàm à doctis, quàm indoctis, obligare ſub mortali, itaut Doctores laborent in quęrendo, quænam opera exerceri poſſint, quænam verò non: quænam neceſſitas excuſet, quęnam verò non ergo &c.

6 Probatur ſecundò de ſingulis: nam de auditione Miſſæ habetur *Cap. Miſſas*, *& cap. Omnes fideles de conſecr. d.* 1. eſtque communis omnium fidelium ſenſus ad miſſam audiendam teneri ſub mortali. De abſtinentia ab opere ſervili patet in *Cap. Licet extrà de feriis*, & de forenſibus actibus habetur *Cap. Omnes*, *& Cap. Conqueſtus eodem tit.* ergo hęc Propoſitio eſt contra communem omnium fidelium ſenſum, Eccleſiæ Canones, & praxim.

PROPOSITIO LIII.

Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.

1 HAnc opinionem refert Diana *p.* 1. *tract.* 17. *miſcell. reſol.* 18. quam probabilem putat Molfeſ citatus ab eodem, veram exiſtimat Bonac. *de Sacram. diſp.* 4. *q. ult. punc.* 11. *n.* 13. qui tamen aſſerit tutiùs contrariam conſulendam eſſe, contrariam tamen docet Regin. cit. à Diana, Nugno, 3. *p. tom.* 1. *q.* 83. *dub.* 2. *art.* 6. *in reſp. ad* 3. *ante* 4. *concluſ.* Suar. *de Euchar. diſp.* 88. *ſect.* 2. Tambur. *lib.* 4. *Decal. cap.* 2. §. 1. *num.* 10. cum quibus.

2 Dicendum eſt, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.

Probatur primò ex inconvenientibus: nam ſi poſſet ſatisfacere audiendo quatuor partes, etiam audiendo octo partes ſimul:

mul: nam posset unus incipere Introitum, alter esse ad Epist. alter ad Euang. alter ad Offert. alter ad Sanctus, alter ad Consecrationem, alter ad Pater noster, & alter ad Communionem; itaut antequàm iste perveniat ad finem Missæ, unusquisque eorum pervenerit ad locum alterius, videlicet ille, qui erat ad Introitum perveniat ad Epist. & sic de singulis, itaut toti Missæ interfuerit, nec præsentia moralis defuisset, sicut enim potest esse moraliter præsens quatuor simul celebrantibus, ita & octo, si omnes in uno latere Ecclesiæ celebrent; non enim interveniret magna distantia: similiter posset quis audire novem lectiones matutinales à diversis recitantibus, postquàm recitaverit Psalmos, & satisfacere obligationi recitandi; nam id, quod posset dici hìc de defectu attentionis, etiam ibi: nam etiam in auditione Missæ requiritur attentio; sed hæc sunt absurda: ergo, & illud unde sequuntur.

3 Probatur 2. ratione, quam adducit Nugno *loco cit.* Neque in esse physico, neque in esse morali illæ duæ, vel quatuor partes Missæ in eodem tempore, conflant unam Missam integram; sed præceptum audiendi Missam obligat ad audiendam integram Missam, ut patet *Cap. Missas de consecr. d.* 1. ergo audiendo illo modo Missam non satisfacit præcepto. Major probatur: in esse physico, & naturali ea, quæ sunt in diversis subjectis non possunt unum conflare: neque in esse morali, quia est contra rationem alicujus successivi habere partes simul, vel etiam aliquas de quarum ratione sit successio: licèt enim ad continuitatem moralem non obstet aliqua modica interruptio: tamen ei, quod etiam in esse morali requirit successionem obstat habere partes simul, & nemo existimabit successiva ea, quæ sunt simul; cum hoc sit contra rationem successivi; sed de ratione Missæ est, quòd sit res successiva, & similiter de ratione auditionis ejus, quòd sit actio successiva: ergo missa non potest coalescere ex illis partibus simul, cujusmodi sunt illæ partes Missæ à diversis celebrantibus, & consequenter non est una integra Missa; nec audiens potest dici audivisse unam integram Missam.

Confirmatur: aliàs sequeretur, quòd illi, qui tenentur persolvere Officium in Choro, satisfacerent suæ obligationi, si duo eorum recitarent matutinum; & alii duo, vel quatuor per

solve-

ſolverent horas: immò dùm aliqui recitant Pſalmos, alii recitarent lectiones, quod eſt abſurdum.

4 Denique: cum conſuetudo ſit optima legum interpres, & conſuetudo de adimplendo pręcepto audiendi Miſſam, in Eccleſia continuata, ſit audire integram Miſſam ſucceſſivè quò ad ſingulas partes, & non ſimul, ita dicendum eſt obligare hoc pręceptum: ſicut quia conſuetudo Eccleſiæ eſt, ut ſingulis diebus integrum officium recitetur ab iis, qui ad horas canonicas tenentur, non poteſt una matutinali recitatione ſatisfieri duobus præceptis, etiam ſi ſimul concurrant, & ſint ejuſdem ſpeciei, ſicut unica auditione Miſſę ſatisfit duobus præceptis, ſi concurrat dies Dominicæ, & feſtum alicujus Sancti.

5 Petes, an ex hac Propoſitione jam expuncta ſequatur expunctio illius, quæ docet ſatisfacere præcepto audiendi ſacrum qui duas medietates, non ſimul, ſed ſucceſſivè à diverſis celebrantibus audit, ut ſi ab uno à conſecratione uſque ad finem, & ab altero à principio uſque ad conſecrationem audiat?

Reſp. quòd non obſtante damnatione prioris Propoſitionis, hæc de qua quęritur, remanet in ſua probabilitate, licèt illas duas opiniones, ita connexas exiſtimaverit Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 3. ut ex hac poſteriori intulerit priorem, aſſerens, quòd ſi hæc eſt vera, etiam illa: & idem inferendum putet Tambur. *loco cit.* Ratio eſt, quia in hoc caſu ſervatur vera ſucceſſio, cum in diverſo tempore audiat unam, & alteram medietatem. Nec obſtat diverſitas, celebrantium, quin in eſſe morali conflent illæ medietates unum ſacrificium, cum etiam unum reputetur, ſi moriente Sacerdote poſt conſecrationem, alter ſacrificium proſequatur, nec etiam ordo requiſitus, ut priùs audiat priores partes Miſſæ, & deindè poſteriores, obſtat, quia variatio hujus ordinis non poteſt eſſe, niſi veniale, ut patet de recitante horas canonicas ſi priùs recitaret completorium & deindè veſperas.

Quòd ſi dicas: ſi Sacerdos variaret hunc ordinem celebrando, peccaret mortaliter: ergo pariter audiens, quia tenetur audire eo modo, quo tenetur Sacerdos celebrare. Reſp. cum

majori obligatione teneri Sacerdotem ad ſervandum ordinem, quàm audiens, quia ipſe eſt principaliter offerens, & in ordine ad celebrantem non ſine gravi, & matura diſcuſſione præſcriptus eſt ille ordo ab Eccleſia: qui in ordine ad audientem, cùm nõ ſit peragens ſacrificium, non eſt cum tanto rigore requiſitus, & mutatio ex parte audientis eſt extrinſeca Sacrificio, eſſet autem intrinſeca ſi eſſet ex parte celebrantis: igitur hæc ſententia in ſua probabilitate remanet; quam etiam probabilem putavit Tambur. tutior tamen eſt oppoſita.

6 Falſam tamen exiſtimo (& ex adducta ratione facilè dignoſci poteſt) illam ſententiàm Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 12. & aliorum aſſerentium, eum, qui duplicem Miſſam audire tenetur, poſse eas ſimul audire, dum eæ ſimul in duplici Altari celebrantur, ſimiliter dicerem de recitante horas canonicas dum audit Miſsam, quam ex præcepto tenetur audire: non tamen in præfata Propoſ. damnata, hanc poſteriorem comprehendi. Ratio diſparitatis inter has, & illam poſset eſse, quia licèt totum ſucceſſivum non poſſit ſimul ſecundùm omnes ſuas partes exiſtere, poſsunt tamen duo ſucceſſiva ſibi coexiſtere, attentio tamen debita, neſcio an poſſit utrique haberi.

PROPOSITIO LIV.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

CUm hac opinione coincidit id, quod docet Diana *tract. de horis canonicis reſol.* 29. ex Garzia, & Rodriq. nempè quòd qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, ad nihil tenetur; quia licèt hæc non ſit major officii pars, nihilominus eſt pars illius præcipua, & prima, ſed contra eam.

1 Dicendum, teneri recitare non ſolùm reliquas horas, qui non poteſt Matutinum, & Laudes: ſed etiam eum, qui non poteſt reliquum officii, poteſt tamen veſperas, & completorium ad id teneri.

Pro-

Probatur: licèt admittatur esse unicum pręceptum de tota recitatione officii; tamen materia ejus est divisibilis, itaut possit pars esse sine altera, & non consistit in indivisibili morali, ut aut totum, aut nihil debeat poni, ut est sacrificium respectu celebrantis: ergo illud pręceptum ita potest extendi ad unam partem, ut non ad aliam, & obligare quò ad unam partem, licèt non quò ad aliam. Patet conseq. Tum quia hoc est rei divisibili proportionatum, tum etiam ex eo, quod communiter asseritur, etiam ab Adversariis, quòd, qui posset recitare majorem partem Officii ad eam teneretur. Tunc sic; sed pars minor, dummodò secundùm se sit apta cadere sub præcepto, independenter à majori potest esse materia ad quam pręcisè extenditur præceptum, ut patet de omittente solùm completorium ergo hanc minorem partem potens recitare, tenetur.

2 Confirmatur primò: qui tenetur restituere 100. aureos, & non potest restituere, nisi 10. licèt hæc sit minima pars respectu totius summæ debitę, tenetur illos restituere: ergo similiter, qui tenetur recitare totum officium, & si non possit majorem partem, potest tamen minorem, tenetur ad illam.

Nec quia illud est in materia Justitiæ, & hoc in materia Religionis, est sufficiens discrimen: nam hoc peto, quare in materia Justitiæ hoc verificatur, non verò in materia Religionis, quandò materia, supra quam cadit utriusque præceptum, est divisibilis, & una pars potest separari ab alia, & cadere sub præcepto seorsim ab alia? Hoc est assignandum discrimen.

3 Confirmatur secundò: qui recitat totum officium pręter completorium, ex communi sententia peccat mortaliter, non obstante quòd hęc sit minor pars, ergo qui potest recitare partem, licèt non possit majorem partem, ad illam tenetur. Probatur consequ. 1. Quia quò ad illam partem, quam non potest recitare, non potest melioris esse conditionis, ac ille, qui de facto recitavit, & ad altiùs potest censeri illi æqualis, & existimari, ac si illam recitasset: ergo si ille ex omissione completorii peccat mortaliter, etiam iste si potest illud recitare. 2. Non est major ratio, quare solutio majoris partis debiti non trahat ad se minorem, itaut censeatur hanc solvisse, & excusa-

cuſatio ab obligatione ſolvendi majorem partem trahat ad ſe minorem, ut non teneatur illam ſolvere; eò vel magis, quia excuſatio ab obligatione ſolvendi ad altiùs moraliter æquivalet ſolutioni.

4 Confirmatur tertiò: non poteſt aſſignari ratio, quare non teneatur recitare minorem partem, quam poteſt: ergo præceptum obligat ad illam. Probatur antecedens, non poteſt aſſignari impotentia, cum ſupponatur poſſe hanc partem, nec indiviſibilitas præcepti, quia cadit ſuprà materiam diviſibilem: nec quia major pars trahit ad ſe minorem, cum non ſint inter ſe connexæ, ut una pars non poſſit eſſe ſine alia, ergo ex nullo capite.

5 Ex dictis ſequitur primò: eum, qui non habet Breviarium ſed tamen memoriter ſcit horas, ſed non matutinum, teneri ad illas recitandas.

6 Sequitur ſecundò, eundem ſi memoriter ſciat Pſalmos matutinales, vel habet diurnale, in quo reperiuntur, licèt non habeat lectiones, & reliqua ad matutinum pertinentia, teneri illos recitare, & ſimiliter eum, qui ſcit Pſalmos horarum ſed non habet orationem, & capitula, teneri ad Pſalmos recitandos. Eſt contra Filliuc. *tom. 2. tract. 23. cap. 9. num. 287.* Ratio eſt, quia non minùs cadit ſub præcepto, & eſt materia ejus hora integra, quàm materia notabilis horæ, ut ſunt Pſalmi; undè, qui eos voluntariè omitteret, peccaret mortaliter: ergo quandò poteſt, tenetur illos recitare; eadem enim eſt materia tranſgreſſionis, & obligationis, & quæ ſufficit ad unum, ſufficiens eſt ad aliud. Addit Villalobos in ſumma, quòd in tali caſu poteſt recitare capitula, & orationes, quæ ei memoriter occurrunt, & lectiones vel B. Virginis; vel defunctorum, quod pium exiſtimo, non tamen neceſſarium.

Sequitur tertiò: eum, qui in die feſto fuit legitimè impeditus ab audiendo ſacro, & tandem accedit ad Eccleſiam quandò poſtrema Miſſa celebratur, & invenit eam ad Præfationem, teneri eam audire, licèt oppoſitum ſenſerit Joan. Sanc. *in ſelectis diſp. 25. num. 5.* Immò etiam ſi poſt conſecrationem eam reperit, dùm tamen notabilis Miſſæ quantitas eſt dicenda, reliquum tenetur audire. Eſt contra Tambur. *lib. 4. Decal.*

cap.

cap. 2. *§.* 1. *num.* 6. Ratio est, quia illa pars sufficit ad inducendam obligationem, quæ sufficit ad culpam si omittatur, sed illam etiam à post consecrationem usque ad finem omittere peccatum est: ergo &c. & etiam aliis rationibus supra adductis patet. Nec obstat ratio Tambur. quia scilicet deficit pars substantialis principalis. Non inquam obstat, quia reliquę partes, dùm non sunt parva quantitas, etiam sunt substantiales, nec major trahit ad se minorem ut probavimus, & licèt respectu celebrantis sint indivisibiles, & respectu sacrificii, ita sit essentialis consecratio ut sine ea subsistere nequeat: respectu tamen audientis non sunt indivisibiles partes Missę, potest enim ipse unam partem audire non audiendo aliam, quod non potest Sacerdos celebrando. Non tenemur tamen feria 6. hebdomadæ sanctæ audire sacrum, etiam si in ea incidat dies festus, quia revera non celebratur illo die sacrificium, in hoc autem, de quo loquimur, celebratur, & iste impeditus censetur moraliter satisfecisse illi priori parti, pro qua extitit impedimentum; reliquum autem sine causa, & voluntariè omitteret; ac proindè non debet esse melioris conditionis, ac ille, qui priori parti usque ad consecrationem inclusivè interfuit, qui si tunc discederet, peccaret mortaliter: transacto enim impedimento ambo sunt paris conditionis quò ad obligationem audiendi sacrum.

PROPOSITIO LV.

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

1 DAri pręceptum Divinum sumendi Eucharistiam probat S. Th. 3. *p. q.* 80. *art.* 11. tum ex verbis Christi Domini Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Tùm etiam quia ejus votum est necessarium, ut probaverat *q.* 73. *art.* 3. & patet ex illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* ergo etiam realis susceptio, licèt non sit eodem modo necessaria, erit tamen quò ad substantiam necessaria; quia deside-

rium

rium ordinatur ad rem desideratam. Videatur Nugno *loc. cit.* Passer. *q.* 73. *art.* 3. *conclus.* 3. & alii Comm. D. Th.

Ex quo infert S. D. *q.* 80. *cit.* quòd præceptum Ecclesiæ de sumenda Eucharistia est determinatio præcepti Divini: unde in primis hoc Divinum præceptum obligat in articulo mortis, ut docent omnes Scholastici; & constat ex communi sensu fidelium, & praxi Ecclesiæ: & propter hoc dicitur viaticum: secundò obligat semel in anno, in Paschate, ut habetur expressè. *Cap. Omnis utrjusque sexus fidelis*, *in Conc. Later.*

2 Certum est apud omnes, sumentem Eucharistiam in peccato mortali gravissimè peccare peccato sacrilegii, ut docuit Angelicus 3. *p. q.* 80. *art.* 3. & colligitur ex pluribus S. Script. locis, & SS. PP. & in Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. & 8. *Can.* 11. damnatur error Lutheri asserentis: solam Fidem sufficere, ut homo rectè accedat ad communicandum. Quapropter sacrilega Domini manducatio dicitur illa, qua quis cum peccato mortali sacram Synaxim sumit. Hoc supposito quæritur; an sic suscipiens hoc Sacramentum satisfaciat præcepto communionis annuæ, quæ debet fieri in Paschate; itaut sic suscipiens non teneatur ampliùs ad illud præceptum adimplendum; & transacto præfixo tempore pro illius impletione, non peccet peccato omissionis istius pręcepti. Non defuerunt, qui hoc asseruere; inter quos novissimè Tamb. in Meth. SS. Comun. *cap.* 4. §. 3. *num.* 34. ubi in responsione approbat hanc sententiam, & adducit disparitatem inter sacrilegam communionem, & confessionem. Et deinde *cap.* 5. §. 8. *num.* 11. id extendit ad pręceptum communionis in art. mortis, & refert se ante citatum. Meritò autem oppositum docuere omnes antiqui, & plures ex modernis; cum quibus.

3 Dicendum est: pręcepto communionis annuę non satisfieri per sacrilegam Domini manducationem.

Probatur primò ex *Cap. Omnis utrjusque sexus*, ubi dicitur: *Suscipiens reverenter, ad minùs in Paschate Eucharistiæ Sacramentum*; sed non suscipitur reverenter ab indignè sumente: ergo ab isto non satisfit annuę communionis pręcepto.

4 Neque dicas ly *reverenter*, intelligi de externa reverentia, quoniam Ecclesia non potest pręcipere, nisi actus externos.

Nam

Nam contra eſt (& pręcipuum adverſariorum fundamentum convellitur) quia illa reverentia ponitur ab Eccleſia, ut diſpoſitio ad ſumendā Euchariſtiam, ſed diſpoſitio eſt interna animi præparatio: ergo hanc pręcipit. Major patet ex verbis pręmiſſis dicto cap. de confeſſione pręmittenda.

Nec verum eſt, Eccleſiam non poſſe pręcipere actus internos quandò iſti ſunt neceſſariò conjuncti cum actibus exterioribus, qui pręcipiuntur; quoniam ut probat Gonet *in man.tom.4.tract. de legibus cap.* 4. §. 2. habens poteſtatem pręcipiendi aliquid, habet poteſtatem pręcipiendi id, quod eſt neceſſariò connexum cum illo, ut debito modo fiat; & docetur à D. T. Commentatoribus 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. ubi docent, quòd lex pręcipiens aliquem actum, tantùm pręcipit ſubſtantiam illius, non modum, niſi modus ſit eſſentialis actui ſecundùm ſe, ſaltem ut cadit ſub lege: ſicut attentio eſt eſſentialis orationi, & formalis integritas confeſſioni; ſed digna ſuſceptio Sacramenti eſt modus eſſentialis in eſſe moris, & formaliter ipſius ſuſceptionis, ergo &c. Probatur hęc minor, quoniam ſuſceptio Sacramenti formaliter, eſt ſuſceptio ipſius, ut eſt cibus animæ, & hoc modo cadit ſub lege, ſed de eſſentia cibi animę eſt talis modus, ut ſcilicèt ita ſuſcipiatur, ut poſſit prodeſſe non ut poſſit obeſſe, ſicut Judę (teſte D. Aug.) buccella Dominica venenum fuit. Patet etiam exemplo cibi corporalis; in caſu enim, quo præceptum ſumendi cibum obligaret, obligaret etiam ad ita ſumendum, ut corpori prodeſſe poſſet, non ita, ut certò ſciatur eſſe nocumento: ergo ſimiliter dicendum eſt de cibo animæ.

5 Unde diſparitas, quam aſſignat Tambur. inter hoc Sacramentum, & Pœnitentiæ, quia ſcilicet per confeſſionem invalidam non habetur verum Sacramentum; per ſacrilegam verò communionem verum ſuſcipitur Sacramentum, nulla eſt: quoniam licèt verum ſit Sacramentum; non tamen vera eſt ſuſceptio moralis Sacramenti formaliter; & hæc actio præcipitur, non merè phyſica: unde etiam ipſe in auditione Miſſæ, & recitatione Officii attentionem requirit, ne dùm actionem externam.

6 Ex his infertur à fortiori contra Tambur. non ſatisfacere

præ-

præcepto sumendi Euchariſtiam in art. mortis eum, qui in peccato mortali illam ſuſcipit: nam præter rationes adductas, alia ratione id improbatur: præceptum ſumendi Euchariſtiam in art. mortis eſt Divinum, ut omnes DD. concedunt; ſed de præcepto Divino non poteſt dubitari, quin poſſit omnes actus internos præcipere: ergo &c.

PROPOSITIO LVI.

Frequens confeſſio, & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt eſt nota Prædeſtinationis.

1 CErtum eſt de Fide, ſecluſa ſpeciali Dei revelatione, neminem poſſe certò, & infallibiliter cognoſcere ſe vel alium de Prędeſtinatorum numero eſſe, nam *Eccleſiaſtes* 9. dicitur: *Nemo ſcit utrum odio, an amore dignus habeatur, ſed omnia in futurum ſervantur incerta, &* Prov.27. *nè glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies*. Unde in Conc. Trid. *ſeſſ. 6. Can.* 15. *&* 16. proſcribitur error Martini Buzeri, qui in colloquio Ratisbonenſi, aſſerere auſus eſt, non eſſe verum Chriſtianum, qui non credit ea certitudine Fidei ſe habiturum vitam æternam, qua credit Chriſtum hominem, vel Deum eſſe; quam hęreſim ſequuti ſunt Calvinus, & Chemnitius. Immò non ſolùm ex certitudine Fidei, ſed neque certitudine morali infallibili, cui non poſſit ſubeſſe falſum (ſecluſa ſpeciali revelatione) poteſt quiſquam eſſe certus, an ſit Prædeſtinatus, ut docent communiter Doctores.

2 Attamen poſſunt dari aliqua ſigna Prædeſtinationis, quæ faciant aliquam moralem certitudinem, licèt non infallibilem ſed cum formidine partis oppoſitæ; ut docuit D. Bern. *ſerm.* 2. *in Oct. Paſchæ*: in quo ſenſu dixit Apoſt. ad Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quoniam filii Dei ſumus*. Hujuſmodi ſignorum plura recenſent Andr. Vega *lib.* 12. *de juſtificat. cap.* 19. Medina *lib.* 3. *de recta in Deum fide cap.* 3. Soto *lib.* 3. *de natura, & Gratia cap.* 11. 12. *&* 13. & de horum numero pu-

ro puto existimari signum relatum in Propositione à suis Auctoribus. Quatuor tamen pręcipua à Gonz. & Lao afferuntur, aliisque S. Th. Commentatoribus 1. *p. q.* 23.

3. 1. Signum est. Frequentes in hoc sæculo adversitates, & tribulationes patienter toleratę. Habetur ex D. Chrysostomo super illa verba Luc. 16. *Fili recordare quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. Et ex D. Greg. *lib.* 5. *Mor. cap.* 1. *&* 2. in illa verba *quare misero data est lux*.

4. 2. Misericordia, qua ex corde miseriis aliorum, ut propriis condolens, eas affectu Charitatis quis sublevare studet. Habetur est D. August. *tract.* 5. *in epist.* 1. *Joan. & tom.* 10. *serm.* 14. ad fratres in eremo in princ. & ex pluribus S. Scrip. locis colligitur.

5. 3. Libenter audire verbum Dei, & quadam interiori dulcedine, & suavitate illud gustare, quod colligit D. Greg. ex illo Joann. 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Et ex aliis Script. locis etiam patet.

6. 4. Sanctus vitæ discursus; hoc assignat D. Aug. *lib. de dono perseverantiæ cap.* 22. & D. Bern. *serm.* 22. *in Cant.* explicans illud Numer. 23. *Moriatur anima mea morte Justorum, & fiant similia eorum novissima mea;* quia regulariter loquendo sancta vita bonam mortem; perversa verò pessimam mortem parit. Videatur Alvar. *lib. de auxiliis disp.* 42.

7 Signum autem in præfata Propositione adductum nescio, à quo ponatur: sed à quocumque sit, valdè perniciosam continet doctrinam. Primò namque datur ansa peccantibus, sine ulla emendatione fidendi de sua salute. 1. Est contra hoc quartum signum à SS. Bern. & Aug. adductum. 3. Quia frequentia Sacramentorum sine vitę emendatione potiùs pænam, quàm pręmium promeretur; indurationem cordis in malo arguit, cum remedia frequentia non prosint, & certè de ęgroti salute diffideret, immò desperaret Medicus, si post tot adhibita valida medicamina, morbus non deperdat vires, sed in suo robore sistat. Quare ergo frequens Confessio, & Communio est nota Prædestinationis in his, qui gentiliter vivunt. Tùm tandem, quia ex hoc asserto præberetur motivum gentiliter viven-

viventibus, ob hypocrisim, frequentandi Sacramenta, ut inter Prædestinatos habeantur.

PROPOSITIO LVII.

Probabile est, sufficere Attritionem naturalem modo honestam.

1 PLuribus omissis, quæ de Attritione, & Contritione dici possent, apud Commentatores D. Th. in 3. p. videndis. Præmitto ad Sacramentum Pœnitentię sufficere Attritionem ex motivo aliquo supernaturali conceptam, vel ex metu gehennæ, vel turpitudinis peccati. Quod olim docuisse omnes antiquos Theologos testatur Gerson. Idem docuit S.Th. loquens de baptismo adulti: ac proindè idem judicium faciendum est de Sacramento Pœnitentiæ: dixit enim *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 5. *Ad hoc, ut homo se præparet ad Gratiam in baptismo percipiendam præexigitur Fides, sed non Charitas, quia sufficit Attritio præcedens, etsi non sit Contritio.* Idem habetur *in Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur. *Contritionem imperfectam quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati considerationе, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Unde post Conc. Trid. magis communis est hæc sententia inter Scholasticos, quàm asserens requiri Contritionem, teste Alexandro VII. in Decreto, quo vetuit alterutràm sententiam aliqua censura notare; edito die 5. Maii 1667.

2 Præmitto secundò: Attritionem, quę importat displicentiam de peccatis imperfectam, ad differentiam Contritionem

quæ

quæ est dolor perfectus, dividi in Attritionem naturalem, & supernaturalem. Attritio supernaturalis est illa, quæ procedit ex aliquo motivo supernaturali putà ex metu gehennæ, qui per Fidem nobis innotescit, ut condigna pæna à Deo infligenda pro peccatis, non excludendo quidem relationem ad Deum, ut finem ultimum: licèt finis proximus sit gehenna: vel ex turpitudine peccati. Quapropter advertendum est, quòd turpitudo peccati duplex est, altera naturalis, quæ scilicèt opponitur actui virtutis naturalis, in quantùm est contra bonum rationis præcisè, quo pacto dicitur malum philosophicum, & hoc pacto cognitum fuit à Philosophis: unde dicebat Seneca: *Etiam si scirem homines nescituros, Deum ignosciturum, adhùc non peccarem*. Altera turpitudo peccati est supernaturalis, prout scilicet opponitur alicui bono virtutis supernaturalis, & infusę; & hoc dicitur peccatum theologicum. Dolor igitur procedens ex consideratione turpitudinis peccati primo modo est attritio naturalis, ille verò, qui procedit ex consideratione turpitudinis peccati secundo modo est attritio supernaturalis.

Hæc quoque Attritio naturalis duo motiva naturalia potest habere, à quibus excitetur, alterum est bonum virtutis, nempè naturalis, quam quis dolet neglexisse, vel quia rectum tramitem rationis deseruit, vel quia tot virtutes naturales, quibus animus hominis ornatur acquirere omisit, dùm vitiis se implicuit, & hæc potest dici Attritio naturalis modo honesta: alterum est bonum temporale, quod amisit, vel ob infamiam ex peccato ortam, divitiarum jacturam, pœnas, & damna temporalia indè sequuta.

3 Præmitto ulteriùs Patrem Suar. *disp.* 5. *de Attritione sect.* 1. imponere Magistris Soto *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5. *& lib. de natura, & grat. cap.* 14. *&* 15. *&* Cano relectione *de Pœnit.* prædictam sententiam, sed revera Sotus loquitur de Attritione ob metum gehennæ; id tamen videtur concedere, quod procedat ex viribus naturæ, quod explicandum est, non quia excludat auxilium actuale, & movens, sed ad hoc ut excludat habitum supernaturalem, à quo procedat, & Gratiam sanctificantem, quod exprimitur in Trid. & patet ex hoc, quòd Sotus id denegat Attritioni, quod sufficit ad distinguendam ipsam à Contritione, quā

dicit procedere ab habitu infuso Pœnitentiæ, & esse simul cum Gratia: nunquam tamen mentionem fecit de motivo naturali, ob quod eliciatur talis Attritio. Vide Nugno *tom.* 2. *in* 3. *p.* *q.* 1. *art.* 2. *dubio* 2. aliter explicantem prædictos Auctores, in quo sensu est probabilis opinio, attamen quicquid sit de hoc.

4 Dicendum est: omninò improbabile esse, sufficere Attritionem naturalem quocumque modo honestam ad obtinendam Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Hæc conclusio docetur à *D.Th.3.p.q.*85.*art.*5.*ad* 3. ubi illam Pœnitentiam, quæ est ex timore admittit, quæ est actus Dei convertentis cor: de qua nempè dixit Trid. esse donum Dei; quæ non potest esse, nisi Attritio supernaturalis, & *q.* 86. *art.* 6. habet quòd remissio peccatorum secundariò fit ex vi actuum pœnitentis, pertinentium ad virtutem Pœnitentiæ: hi autem actus, vel sunt Contritio, quæ est actus virtutis Pœnitentiæ per D. Th. vel Attritio supernaturalis, quæ per aliquos Thomistas est elicita à Virtute Pœnitentiæ; vel secundùm alios saltem ab ipsa imperata, quod non competit Attritioni naturali:& in prędicto loco loquitur de illis actibus pœnitentis, qui sunt materia Sacramenti, de quibus dicit secundariò remittere culpam, quia principaliùs remittitur à forma virtute clavium: non de remissione culpæ, quæ fit extrà Sacramentum, ut dicit Gonet in manuali *tom.*6.*tract.*5.*c.*4.*§.* 2.

5 Constat etiam ex *Conc. Arauxic.* 2. *can.* 6 ubi habetur: *Hæretico falli spiritu eum, qui dicit per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut elicere posse absque illuminatione, & spiratione Spiritus Sancti;* sed illa Attritio naturalis quocumque modo honesta non est, ex illuminatione, & spiratione Spiritus Sancti, prout Conc. loquebatur, scilicèt ex Gratia Christi propriè dicta, de qua erat controversia cum Semipelagianis, quos ibi damnat, sed potest haberi per naturæ vigorem, ut patet ex dicto Senecæ supradducto: ergo illa Attritio naturalis non potest sufficere ad gratiam obtinendam, quod esset pertinere ad salutem vitæ æternæ.

Idem constat ex *Conc. Millevit.* quod ad gratiam requirit dispositionem supernaturalem ortam ab auxilio gratiæ. Patet etiam ex verbis adductis *num.* 1. ex Conc. Trid. ubi illam Attritionem, quæ disponit peccatorem ad gratiam impetrandam in

Sacra-

Sacramento Pœnitentiæ appellat donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quod non convenit Attritioni naturali. Idem docet *D. Aug.* & PP. qui hanc regulam statuunt: illum actum, qui non fit ex gratia, sed ex mera natura, per se nihil conferre ad Gratiam.

6 Probatur ratione: dispositio debet esse proportionata formæ, & si non arithmeticè, saltem geometricè, ut scilicèt sit ejusdem ordinis; sed ille dolor debet esse dispositio ad Gratiam, quæ est ordinis supernaturalis: ergo debet esse supernaturalis.

Tum etiam, quia peccatum in statu naturæ elevatæ ad ordinem supernaturalem, non solùm est contra Deum Auctorem naturæ, sed etiam contra Deum Auctorem supernaturalem; & ejus turpitudo avertit non solùm à bono naturali virtutis; sed etiam à bono supernaturali: ergo dolor debet esse non solùm ex motivo naturali; sed ex motivo supernaturali. Probatur consequ. tùm quia aliàs non esset proportionatus cum objecto. Tùm etiam quia peccator per dolorem debet retractare omnem aversionem, quam per peccatum contraxit: ergo si contraxit aversionem à fine supernaturali, hanc debet retractare, & consequenter dolere ex motivo supernaturali: ac proindè non sufficit Attritio naturalis.

7 Ex dictis inferes primò: non sufficere Attritionem existimatam, nec Attritionem naturalem existimatam supernaturalem. Ratio est quia hæc est materia Sacramenti Pœnitentiæ materia autem Sacramentorum debet esse vera, non apparens, ut patet in Baptismo, Euchar. &c. ergo similiter hæc debet esse vera, non existimata, & cum, ut probatum est, materia hujus Sacramenti sit Attritio supernaturalis, non sufficiet Attritio naturalis, quæ existimetur supernaturalis. Hæc autem sufficit si præcedat absolutionem, etiam si confessionem sequatur; quia retrotrahitur ad illa peccata confessa, & mediantibus illis evadit sensibilis, & ex alio capite jam est simul cum forma sacramentali, quod sufficit ad veritatem Sacramenti. Ita ferè communiter.

8 Inferes 2. Etsi probabile sit dolorem de peccato, in quantùm inducit mala temporalia, non utcumque, sed quia procedunt à Deo justè nos puniente, quia ipsum offendimus, ut Auctorem supernaturalem, quia sic dolor refertur ad aliquid super-

naturale, quod docuit Suar. *loc. cit.* Vega, Regin. Tambur. & alii: non tamen est probabile, si hic dolor referatur ad Deum prȩcisè, ut infligentem hȩc damna temporalia causa peccati, sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ; est contra Tambur. *lib.* 1. *Methodi Confess. cap.* 1. §. 4. Ratio est quia ista mala infligit, ut Auctor naturæ, & sic ille dolor non refertur ad aliquid supernaturale. Nec est simile de pænis Inferni; quia infliguntur à Deo, ut Judice in ordine supernaturali, & ideò implicitè in illo dolore clauditur ordo ad Deum finem supernaturalem, qui non clauditur in timore pænarum temporalium etiam ut infligendarum à Deo, nisi expresè ratio finis supernaturalis intendatur: aliàs etiam dolor de peccato ob naturalem turpitudinem quæ contrariatur Deo Auctori naturæ, & ad ipsum implicitè refertur, esset sufficiens. Undè male dicit Tambur. *loc. cit.* & Vega apud ipsum illa verba Conc. Trid. *Ex metu gehennæ, & pœnarum* seorsim sumenda, & nomine pœnarum intelligi pœnas temporales; sunt enim conjunctim accipienda, & intelligenda de pœnis Inferni.

9 Inferes 3. Non sufficere dolorem, quia non habes dolorem de peccatis, quia dolor debet esse de peccatis, non de negatione doloris; licèt aliquando in aliquibus sit indicium veri doloris, & desiderium intensioris doloris. Quisque probet seipsum.

PROPOSITIO LVIII.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

1 CErtum est primò in hac materia, quòd quando consuetudo ipsa est peccatum, & causa peccati, ut diximus Propos. 24. de consuetudine jurandi sivè verum, sivè falsum, teneri hanc consuetudinem confiteri, aliàs confessio non esset integra; unde sicuti cȩtera peccata, ita, & hanc consuetudinem confiteri tenetur.

2. 2. Eum, qui sufficiēter explicat numerū peccatorum nisi alia subsit causa, & nisi à Confessario interrogetur, non teneri ad confiten-

fitendam consuetudinem alicujus peccati, putà dicere, se ante hanc confessionem consuevisse committere similia peccata, quæ jam confessus est, pręcipuè quando illius consuetudinis occasio ablata est. Ita Suar. Regin. Zerola, Sotus, apud Bonac. *de Sacramentis disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punc.* 2. *§.* 3. *num.* 22. quos ipse sequitur. Item. Vasq. Diana, apud Tambur. *in Meth. Confess. lib.* 1. *cap.* 3. *§.* 3. *num.* 21. quos etiam ipse sequitur.

3 Dubium ergo est: an in casu, quo interrogaretur à Confessario de consuetudine alicujus peccati, teneatur illam fateri. Affirmativam sententiam docuerunt omnes DD. *num. præc. cit. item Graff. p.* 1. *decis. lib.* 1, *cap.* 20. *num.* 24. Sayrus *lib.* 5. *c.* 5. *n.* 8. Toletus, Bannes, Delrius, Villalobos, Sà, Sanchez, Ledesma, & alii apud Dianam *p.* 1. *tract.* 7. *de circumstantiis resol.* 55. negativam tamen docuit Joann. Sanc. *in selectis disp.* 9. qui distinguit inter occasionem peccandi, quę est in potestate pœnitentis ut vitetur, & inter consuetudinem peccandi: de prima dicit Confessarium habere jus interrogandi, negat verò de secunda.

4 Advertendum est tamen aliud esse inquirere: an Sacerdos possit habentem hujusmodi consuetudinem absolvere; & aliud an possit interrogare, & pœnitens teneatur respondere; licèt utrumque pertractet *eadem disp.* Sanc. de primo enim infrà Propos. 60. agemus: hoc secundum verò spectat in præsenti. Pro quo.

5 Dicendum: Pœnitentem teneri Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem, si adhùc perseveret, secùs verò si cessavit; putà si quis per mensem, vel diuturnius tempus antequàm accederet ad Confessionem, extirpandæ consuetudini dedit operam: vel occasionem reincidentiæ abstulit; itaut consuetudo jam non perseveret: & ita intelligendam puto Propositionem adductam, quia consuetudo, quæ non existit, consuetudo non est, licèt fuerit.

6 Probatur primò ratione, qua utitur D. Th. *in addit. ad* 3. *p. q.* 9. *art.* 2. ad probandam necessitatem integritatis Confessionis. Confessarius est non solùm Judex in Sacramento Pœnitentiæ, qui debet judicare de pertinentibus ad præsens judicium; sed etiam se habet instar medici, qui debet dare medicinam ægroto salutarem, ut passim loquuntur PP. & DD. atqui ad hoc requiritur cognitio integra morbi, non solùm quò ad substan-

tiam; sed etiam, quò ad conditiones, & præcipuè quò ad consuetudinem: ergo de hac potest legitimè Confessarius interrogare, & pœnitens, qui salutem quærit tenetur respondere. Minor probatur exemplo Medici corporalis; nam iste, & si cognoscat morbi præsentis qualitates, si nesciat morbi antiquationem, non potest ægrota conveniens præbere remedium; nam alia remedia efficaciora, & magis eradicantia eidem morbo inveterato conveniunt, quàm recenti: ergo similiter, & Medicus spiritualis Animæ.

7 Corroboratur hæc ratio ex Innoc. in *cap. Omnis utriusque sexus* (vide sacros canones doctrinæ D. Th. conformes) ubi sic ait: *Sacerdos sit discretus, & cautus, ut more periti Medici super infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens peccata, & circumstantias peccatorum, quibus prudenter inquisitis, intelligat quale ei debeat præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum*. Ubi observa illa verba, *& cujusmodi remedium adhibere*: quæ non referuntur ad remedium absolutè, sed ad modum ejus; ad quod pertinet respicere non solùm morbum, sed etiam conditiones morbi antiquati, vel recentis.

8 Respondet Sanc. *disp. cit. num.* 17. concedendo munus Confessarii esse munus Medici, & pœnitentem debere ab infirmitate curare, sed à presenti, non à jam sanata, scilicèt ex peccatis jam confessis orta. Consuetudo igitur, vel importat peccata jam confessa, vel proclivitatem ad peccandum, quę est effectus peccati, non peccatum: ad Confessarium autem in rigore non pertinet curare effectus peccati sed solùm peccata.

Sed contra est. Licèt consuetudo non sit peccatum, & infirmitas, est tamen talis conditio peccati, & infirmitatis, quę indiget speciali remedio distincto ab eo, quod exigit infirmitas hac conditione carens; & quamvis ipse non debeat curare, nisi infirmitatem pręsentem, illa consuetudo, quę adhuc perseverat est pręsens, & est infirmitatis pręsentis conditio cognitu necessaria, ut necessarium remedium applicetur, ut patet exemplo Medici corporalis. Nec importat pręcisè peccata jam confessa, sed habitum ex illis relictum, qui viget, ex quo provenit proclivitas ad peccandum, cui medetur Confessarius, non ut est effectus peccati, sed ut est causa, quam prudens Medicus extir-

extirpare debet, Pro quo non dat duplicem pœnitentiam; unam pro peccato, aliam pro consuetudine, sed unam tantùm validiorem, nempè salutarem, non purè satisfactoriam.

9 Confirmatur iterùm Conclusio. Confessarius non solùm debet cognoscere peccata; sed etiam dispositionem pœnitentis circa propositum non peccandi, quod est de necessitate doloris requisiti ad Confessionem; atqui consuetúdinis cognitio maximè conducit ad hoc, cum ex ea debile emendationis propositum percipiat, quod totum pertinet ad statum præsentis morbi, & ejus remedium: ergo cognitio consuetudinis pertinet ad Confessarium, eamque fateri tenetur pœnitens.

10. Quò ad secundam partem, scilicèt si consuetudo jam est ablata, non teneri pœnitentem eam fateri, patet ex ratione opposita; quia scilicèt hæc consuetudo non pertinet ad conditionem morbi præsentis, nec remedio indiget; eamque negando non mentitur pœnitens; quia revera eam actu non habet, de eaque, quæ perseverat legitimè interrogat Confessarius.

11 Ex his patet responsio ad rationem Sanc. scilicèt quòd Confessarius non habet jus, ut faciat aliquem bis eadem peccata confiteri; nec afficiendi pœnitentem dedecore, & pudore, cognoscendo peccandi consuetudinem: patet inquam responsio, quia non facit, ut ille bis eadem peccata confiteatur; sed solùm præsentis peccati conditionem, indigentem speciali remedio: & consequenter habet jus circa hoc afficiendi ipsum dedecore, & pudore; si enim Medicus habet jus interrogandi de antiquitate morbi, quantò magis Confessarius? Ad quod possunt accomodari præclara illa verba Divi Aug. in regula. *Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari dùm timet secari, nōnè crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde?*

12 Inferes ex his falsitatem primi, & secundi Coroll. ejusdem Sanc. disp. citata (nam cætera Propos. 60. & 61. examinabimus) in quorum primo asserit posse pœnitentem negare Confessario interroganti alicujus peccati consuetudinem, si ob hoc probabiliter credat Confessarium ei non impensurum absolutionem: & posse uti restrictione mentali, intelligendo se carere consuetudine, non absolutè, sed ad confitendam in præsenti.

In secundo magis id ampliat, etiam si credat absolutionem se nacturum, quia (ait ipse) non tenetur bis eadem peccata confiteri, nec pati pudorem, & dedecus ex consuetudinis cognitione oriundum. Quæ omnia ex dictis manent satis explosa, nec illa restrictio mentalis excusat à mendacio, ut Propos. 26. vidimus, ac proindè mentiretur in confessione, nec est vera illa restrictio, quam affert Sanc. quia ut probavimus, tenetur illam consuetudinem confiteri.

PROPOSITIO LIX.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis V. G. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

1 PRæmitto ex D. Th. *in addit. ad* 3. *p. q.* 9. *art.* 2. integritatem Confessionis esse de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, ut patet ex ratione adducta in præc. Propos. estque communis sententia Scholasticorum: est etiam necessaria necessitate præcepti Divini, & hoc ita certum est, ut oppositum sit heresis manifesta; in Conc. namque Later. *Cap. Omnis utriusque sexus*, præcipitur, ut homo fideliter, & integrè confiteatur omnia peccata, & licèt sit præceptum Ecclesiasticum, presupponit tamen præceptum Divinum, quod solùm determinat quò ad tempus, ut communiter DD. interpretantur. Item in Conc. Flor. expresè determinatur in Decr. super unionem in tract de Sacram. ubi decernitur; materiam hujus Sacramenti esse Confessionem, ad quam pertinet, quòd homo confiteatur integrè omnia peccata, quorum habet memoriam. Idem sancitur in Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. his verbis: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure Divino necessariam existere*, & expressè definitur *can.* 7. his verbis. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessariam non esse jure Divino confiteri omnia, & singula*

pec-

peccata mortalia, quorum cum debita, & diligenti præmeditatione habetur memoria, etiam occulta, & *circumstantias, &c. anathema sit*. Idemque colligitur ex communi sensu SS.PP. explicantium illa verba Joan. 2. *Quorum remiseritis peccata*: omniumque Scholasticorum, & ex antiquissima omnium fidelium intelligentia.

2 Pro qua integritate est advertendum, duplicem distingui à Theologis, aliam mathematicam, aliam moralem. Mathematica est, quando nulla ex causa, neque oblivione, neque ex ignorantia omitteretur aliquod peccatum mortalè. Moralis est, quando sufficienti adhibita diligentia confitetur homo omnia peccata, quæ occurrunt memoriæ, licèt aliqua, vel ex oblivione, vel ex ignorantia prætermittat.

Communis est sententia, non requiri integritatem mathematicam, sed sufficere moralem. Ratio est, quia cum sit actus humanus, humano modo debet præcipi; & expresè habetur in Trid. *cap.cit.* ubi dicitur: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, ab occultis meis munda me Domine.*

3 Ab hac etiam morali integritate certum est excusari ob duplicem causam, ut communiter docetur, quarum prima est impotentia physica, ut si pœnitens loquelam amittat, vel in phrenesim incidat, vel si plures in navi periclitentur, & naufragio imminente, nequeat Sacerdos singulorum peccata audire: vel si Sacerdos se morte præveniendum sentiat; antequam pœnitens, qui est in articulo mortis integrè confiteatur, & alia hujusmodi videnda apud casuistas *in tract. de Pœnitentia*. Alia est impotentia moralis, casu scilicèt, quo ex integritate Confessionis, pœnitenti, vel confessario, vel tertio mors, vel grave damnum imminet. Inter quæ noli numerare infamiam sequuturam persone complicis voluntarie concurrentis ad peccatum, ut benè tradit Gonet *in man. tom. 6. tract. 5. §. 4. vers. Secunda difficultas*. Casus particulares vide apud casuistas. His premissis.

4 Di-

4 Dicendum est: non licere absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis potest contingere in die magnæ alicujus solemnitatis, aut Indulgentiæ.

Probatur. Præceptum de integritate Confessionis, licèt sit positivum, & aliquandò excuset, non tamen excusat, nisi in casu necessitatis; sed in casu posito nulla est necessitas: ergo non excusat, & consequenter non licet absolvere dimidiatè tantùm confessos. Major patet inductivè in omnibus præceptis positivis. Minor probatur, quoniam necessitas confitendi, vel communicandi in die magnę solennitatis non provenit ex aliquo prę-cepto obligante ad confessionem, vel communionem, nec ex alio capite; sed solùm est devotionis causa velle illa die confiteri, vel communicare: ergo nulla adest necessitas.

5 Dices: supposito, quòd omnes illi velint confiteri, & aliàs impossibile est à paucis Confessariis omnium integram confessionem audiri, necessitas urget dimidiandi confessionem, licèt non sit necessitas confitendi.

Sed contra 1. Necessitas ista ex suppositione non est sufficiens causa excusans ab impletione pręcepti, sed potiùs debet quis abstinere ab illo priori, ad quod sequitur talis necessitas: tum quia necessitas ex suppositione est libera absolutè, si id, ad quod sequitur liberum est: unde potiùs debet prætermitti opus absolutè, quàm fieri sine conditionibus necessariò, & ex præcepto ei annexis.

2. Quia si admittantur pro causis excusantibus ab impletionè præcepti necessitates ex suppositione; posset dici quòd excusaretur Sacerdos ab impletione præcepti jejunii naturalis, *supposito* quòd aliqui velint audire Missam, & ipse solus sit, & non jejunus, similiter excusaretur quis ab auditione sacri in die festo, supposito quòd voluerit vigilare usque ad Auroram, ex quo sequitur necessitas dormiendi usque ad meridiem. Et idem in cæteris: quæ omnia communiter reputantur absurda: immò si occurrat præceptum audiendi sacrum, & Sacerdos non possit aliter satisfacere, nisi celebrando, potiùs debet abstinere à celebratione, quàm non jejunus celebrare: quantò ergo potiùs non debet prætermitti præceptum Divinum de integritate confessionis, quando nullum extat præceptum de confessio-

fessione, sed solùm devotionis causa ad id impelluntur fideles?

6 Ex quibus intelliges, quòd casus, in quibus excusamur à præcepto integritatis confessionis, debent supponere necessitatem Confessionis absolutè, vel ex pręcepto Divino faciendę, ut est in articulo mortis, & similibus; vel necessitatem moralem, ad vitandum scandalum, vel aliud grave damnum, qua supposita necessitate, fit rationabilis causa, vel ex impotentia physica, vel morali orta, excusans ab integritate confessionis.

7 Ex dictis inferes 1. Contra Suar. & Granados apud summam Dianę, verbo Celebrare Missam *n.* 4. falsum esse, Sacerdotem, vel alium habentem reservata, & copiam Superioris non habentem, posse inferiori confiteri, subticendo reservata, ob id solùm, nè multum differat Confessionem, vel Communionem, cum longa mora (ajunt) sit gravissima necessitas: tùm quia est periculum moriendi in peccato: tum quia diù privari amicitia Dei est inextimabile detrimentum: addunt tamen non sufficere, si solùm per unum, aut alterum diem differri oporteat.

Patet inquam esse falsum, & pręcedenti affine, idem enim possent dicere illi, qui in die magnę solemnitatis volunt confiteri. Tùm etiam, quia si ipsa mora esset necessitas, liceret propter moram, quę intercedit, ut hispanus E. G. accedat ad Urbem, ad hoc, ut petat absolutionem reservatorum Summo Pont. absolvi à quolibet Sacerdote. Et si periculum remotum moriendi esset sufficiens, cum hoc non solùm in magna mora, sed etiàm in parva subsit, posset etiam si mora sit unius diei, ut concedit Mendoza 2. 2. *disp.* 48. *sect.* 7. §. 190. immò etiam si mora sit unius horę, quia etiam in una hora est tale periculum, ut infert Tambur. tanquàm inconveniens ex sententia Mendozę, quę sibi non placet. Attamen si hoc est inconveniens, & etiam sequitur ex illa priori opinione, quam ipse tacitè approbat *in Meth. S. Com. lib.* 2. *cap.* 1. §. 6. *n.* 24. etiam, & illa sibi placere non debet. Illud detrimentum privationis amicitiæ Dei potest per Contritionem vitari absque recursu ad Confessionem dimidiatam. Si ergo nullum adsit scandalum propter illam moram, nec alia subsit causa, non est mora præcisè, ratio excusans ab integritate Confessionis, quoniam nulla est necessitas Confessionis absolutè.

8 Infe-

8 Inferes 2. Non posse Sacerdotem absolvere dimidiatè tantùm confessos, die quo spirat tempus communionis in Paschate, & aliàs est magnus concursus, itaut plures remanerent ab impletione præcepti. Ratio est, quia taxatio temporis pro communione est de Jure Ecclesiastico, integritas verò Confessionis est de Jure Divino: unde potiùs hoc, quàm illud debet prępon-derare, & meliùs est dilatare communionis tempus, quàm confessionem dimidiare.

9 Sed quid dicendum, si Sacerdos transiens per Regiones infidelium, ubi non possit immorari, & multi sint Christiani, qui implere debent præceptum annuæ communionis, nec alium Sacerdotem habeant transacta illa opportunitate; itaut non possit omnium integrè confessionem audire, an possit dimidiatè tantùm confessos absolvere?

Respondeo, quòd si solùm urgeat pręceptum Ecclesiasticum jam expositum, non potest. Ratio est, quia præponderat Divinum de integritate confessionis, Ecclesiastico, immò in tali inopia, nec eos obligat præceptum Ecclesiasticum: secus verò dicendum est, si per plures annos non habuerint Sacerdotem, cui confiterentur, nec sit spes probabilis ampliùs opportunitatem Sacerdotis nacturos. Ratio est, quia in tot annis probabilissimum est obligare (secluso præcepto Ecclesiastico) præceptum Divinum sacramentalis confessionis, licèt secundùm se sit indeterminatum, sicut licet pręceptum Charitatis sit indeterminatum, & etiam Contritionis, certum est obligare infrà quinquennium. Tum etiam quia probabilissima sententia est Marsil. *in 4. q. 12. Major. dist. 17. q. 2.* Adriani *q. 5. de confess.* Navar. *super cap. Placuit. de Pœnit. dist.* 6. Nugn. *in 3. p. tom. 2. q. 6. art. 4. conclus.* 4. asserentium præceptum Divinum Confessionis obligare, quando est speciale, & grave periculum, quòd obliviscetur homo multorum peccatorum mortalium: at in casu posito, dum per plures annos non habuerint confessarium, nec per plures sint habituri, est grave periculum, ut obliviscantur plurium peccatorum mortalium: ergo tenentur ex pręcepto Divino confiteri. At hoc supposito est necessitas confessionis, & impotentia moralis excusans ab integritate, ergo &c. Tum etiam quia concurrentibus ambobus pręceptis Divinis, potius est illud

Con-

Confessionis, quod est de principali, quàm illud integritatis, quod est de accessorio.

PROPOSITIO LX.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ; etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

1 PRęmitto primò: consuetudinem distingui ab occasione peccandi, consuetudo namque importat habitum sæpè exeuntem in actum, vel actuum frequentiam, etsi non dùm genuerint qualitatem habitualem; non dependentem ab aliquo extrinseco; ut habens consuetudinem blasphemandi, solvendi jejunium &c. quod non solet ei accidere ex conversatione cum aliis, vel ex occasione ludi, vel amicorum frequentatione; sed ex seipso: occasio verò peccandi importat extrinsecas quasdam circumstantias, vel personarum, vel loci, vel alicujus exercitii, ex quibus provocatur quis ad peccandum: ut ludus, fęminę contubernium, ebriorum conversatio, & perditorum hominum, & similia. Ex frequentia autem occasionis, sępè labendo in peccata, potest comparare consuetudinem peccandi, & simul versari in occasione peccandi. In pręsenti solùm est sermo de consuetudine sejuncta ab occasione, in sequenti de occasione.

2. 2. Emendationis spem non posse concipi; nisi ex aliquibus signis ipsius pœnitentis, & observa aliud esse spem emendationis apparere, & aliud est spem illam exequutioni mandari, illud enim importat probabilitatem de pręsenti; hoc verò de futuro, unde potest contingere aliquem habere verum propositum non peccandi de cętero, quod sit firmum, & efficax, & tamen dubitare, immò probabiliùs sibi persuadere peccaturum; quia ille est actus voluntatis, hic verò Intellectus. Unde Confessarius potest spem concipere emendationis, & certò cognoscere firmum propositum, & animi pręparationem, & tamen dubita-

bitare, vel ex aliis conjecturis probabiliùs judicare exequutioni minimè mandatum iri: objectum namque emendationis licèt sit futurum, actus tamen propositi est præsens, ut respiciens actum futurum; exequutio verò non solùm est circa objectum futurum, sed est actus futurus.

3 Adverte igitur id, quod in prędicta Propositione damnatur, & primò quæ non damnantur, ut à negativo ad positivum procedamus. Nota ergo non damnari hoc, quod deneganda non sit absolutio pœnitenti, de quo dubitatur exequutioni non mandaturum emendationem, dum actualiter constat de ejus emendatione in proposito voluntatis, ut habente pro objecto futuram exequutionem: nam verba Propositionis non loquuntur in hoc casu, cum dicant: *etsi emendationis spes nulla appareat*: in hoc enim casu habetur vera actualis emendatio, non tantùm vocetenùs prolata, in proposito voluntatis, & spes exequutionis ipsius, si velis illa verba referri debere ad emendationem exequendam. Itaque non debet requirere Confessarius emendationem in re, seù in exequutione jam positam, sed in præparatione animi, ut spes sit, & probabilitas de ejus exequutione.

Probari potest hoc, exemplo ex communi Theologorum doctrina, distinguentium dilectionem Dei perfectam, & efficacem, in affectivam, quę consistit in simplici actu voluntatis transeunte, quo homo proponit firmiter Deum diligere, itaut omnia, quæ ipsi placent, admittat, omniaque ipsi displicentia excludat, & effectivam, seu habitualem, quæ consistit in exequutione, & duratione prędicti propositi in exercitio: ita possumus dicere de emendatione, & illam distinguere in affectivam, & effectivam, & sicut sufficit ad justificandum hominem dilectio affectiva; ita sufficit ad disponendum ad justificationem in Sacramento obtinendam emendatio affectiva; quæ quidem si procedit ex dilectione Dei, vel Contritione, jam justificat ante absolutionem, cur ergo homini justo deneganda est absolutio? Si verò ex Attritione, jam habetur totum id, quod requiritur à Conc. Trid. dicente. *Si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ &c.* esse actum, quo se pœnitens ad Dei Gratiam in Sacramento obtinendam disponit. Cur ergo sufficienter disposito deneganda est absolutio?

4 Quòd

4 Quòd si queras: quando habetur hujusmodi emendatio efficax affectiva?

Respondeo: tunc haberi quando quis detestando peccatum, totaliter detestatur omnia media ducentia ad illud, nec remanet affectus ad aliquod ex iis, eligitque amplecti omnia media ad illud vitandum necessaria. E converso verò, inefficax propositum emendationis est, quando non odit omnia media, nec omnia curat, & proponit tollere, quę conducunt ad peccatum nec omnia ad illud vitandum necessaria proponit amplecti: A Confessario verò perscrutante de istis mediis, dignosci potest efficacia, vel inefficacia propositi. Et insuper, ut sit vera spes emendationis, requiritur efficax voluntas exequendi illa media.

Alia signa addit Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. quę sunt: rariùs peccare, vel aliquis major dolor ex vero animo conceptus, vel spontè confiteri, in iis, qui non urgentur à pręceptore, Patre, Pędagogo, consuetudine congregatorum ad confitendum, vel aliquo usu, propter aliquam festivitatem, ut accidit in mulieribus, &c. tunc enim habetur signum emendationis, secùs non item: quæ pro habente consuetudinem intelligenda sunt; non pro versante in occasione; occasio enim potest tolli de præsenti.

5 Sensus igitur damnatæ Propositionis est, quando pænitens habens consuetudinem peccandi, non habet hoc efficax propositum; nec vult abstinere à mediis ducentibus ad peccatum; nec habet intentionem efficacem ponendi omnia media necessaria ad vitandum peccatum; quod potest experiri prudens Confessarius, ei proponendo talia media, si libenter, vel toto corde ea amplectitur, vel si refutat, vel si durum videtur ei illa apponere; vel vitare; signa enim hæc sunt interioris affectus ad peccatum nondùm eradicati, & consequenter in tali casu nulla est spes emendationis, etiam si ipse ore proferat, se dolere, & emendationem proponere.

6 Dicendum est: denegandam esse absolutionem pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, si nulla spes emendationis appareat; etiam si ore proferat, se dolere, & emendationem proponere.

Pro-

Probatur: Iste talis non habet propositum efficax non peccandi de cætero; ac proindè non excludit voluntatem peccandi, quæ requiruntur à Trid. ut pœnitens ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam se disponat: ergo non est ei impartienda sacramentalis absolutio. Consequ. sequitur, quia nisi ex parte pœnitentis adsit vera materia requisita ad hoc Sacramentum, quæ est actus pœnitentis, non conficitur Sacramentum. Antec. quò ad primam partem constat ex dictis, quoniam hoc interest inter propositum efficax, & inefficax, & ex hoc colligitur efficacia doloris, & consequenter non esse verum dolorem, qui enim verè dolet, non remanet affectus ad id de quo dolet, nec ad media ducentia ad illud; immò omnia media ad illud vitandum adhibet.

Nec quia dicit, se dolere, & emendationem proponere, est ei credendum, licèt enim in confessione pœnitens sit testis, & reus, & ei credendum sit tàm pro se, quàm contra se, dùm contrarium non apparet, non tamen ei credendum est, quando contrarium apparet, ut est in casu præsenti, in quo supponitur nullam apparere spem emendationis, ac proindè non esse verum dolorem, qui est de essentia hujus Sacramenti.

9 In his autem consuetudinem peccandi habentibus, quos expertus est Confessarius sæpè recidivos, magis cavere debet, præcipuè quando confitentur propter aliquam solemnitatem, vel aliam occasionem, quæ non est omninò spontanea ex affectu relinquendi peccatum, sed vel ob scandalum vitandum, vel ex mera consuetudine, quam habent confitendi in similibus festivitatibus. Advertant se periculo nullitatis Sacramentum exponere, & proprias conscientias peccatis illaqueare, dùm alienas nimis laxè conantur à peccatis liberare: recogitent, eum, qui sæpè promissionem emendationis non servavit, sępè non accedere ad confessionem cum vero, & efficaci proposito non peccandi, & si afferret efficax propositum, ad ejus majorem firmitatem experiendam potest, si expediens videbitur per aliquot dies differri absolutio, quamvis Sanc. *disp.* 9. *num.* 11. putet non esse saluberrimum consilium absolutionem denegare. Ego tamen in praxi severior fui circa hoc, quàm nunc speculativè processi.

PRO-

PROPOSITIO LXI.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

1 OCcasio communiter à Doctoribus dividitur in proximam, & remotam: occasio proxima dicitur illa, quę vel ex suo genere talis est, ut frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere: remota verò, quæ talis non est. Omnes DD conveniunt in hoc, quòd, qui in occasione remota versatur, possit legitimè absolvi; occasiones enim remotas ubique obviam habemus; & sic juxtà Apost. 1. ad Cor. 6. Debueramus omnes exire de mundo: nec satis esset in Eremum secedere.

2 De occasione verò proxima communis est DD. sententia teste Joann. Sanc. & Tambur. absolvi non posse eum, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: unde in primis prædicta damnata Propositio temeraria esset; quia est expresse contra communem sensum Doctorum, nec aliqua ratione fulcitur. Secundò, quia ut docet S. Th. 1. 2. & cum eo cæteri DD. qui vult causam, ex qua regulariter sequitur effectus, virtualiter vult effectum, sed qui versatur in proxima occasione peccandi, quam potest, & non vult ommittere, vult causam, ex qua regulariter, & frequenter sequitur peccatum: ergo virtualiter vult peccatum: atqui habens affectum virtualem ad peccatum voluntariè, non habet dolorem de peccato, & propositum non peccandi de cætero: cum hæc debeant excludere voluntatem peccandi, sivè formalem, sivè virtualem, & aliàs hoc est de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, cum sit ejus materia, ut patet ex Trid. suprà cit. ergo iste talis non est capax absolutionis.

3 Hinc patet, quàm sit abominabilis secunda pars prædictę

V Pro-

Propositionis, qua dicitur: *quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*: per priorem enim partem solùm habetur omissio tollendi occasionem, per hanc autem actus positivus quærendi occasionem. His igitur certis, & indubitatis omissis, ad aliqua particularia circa hanc materiam discutienda transeamus.

4 Sequitur primò: eum, qui sæpiùs admonitus de ejicienda concubina, quam retinet domi (quam omnes concedunt esse occasionem proximam) & id neglexit, non fore absolvendum nisi priùs ejiciat, quamvis afferat propositum ipsam ejiciendi. Ita teste Joanne Sanc. universitas Doctorum. Ratio est, quia nondùm expulsa concubina est in periculo peccandi, & cum possit hoc facere ante confessionem, voluntarium est ei illud periculum, licèt afferat se ejecturum, & habeat hoc propositum, & hęc est differentia inter hunc, & habentem consuetudinem peccandi; quòd iste dùm retractat consuetudinem, non est ei ampliùs voluntaria, cum non sit in sua potestate statim à se consuetudinem propellere, quia habitus vitiosus, vel virtuosus acquisitus, sicut non per unum actum generatur, ita nec per unum actum corrumpitur: remanet tamen in ratione involuntarii, cum retractatur.

Constat etiam hoc Corollarium ex *Cap. Legatur* 24. *q.* 2. ubi Gelasius Papa admonet Faustum, absolvendos non fore, qui in errore, & occasione peccandi sua culpa immersi sunt, & ex *Cap. Satisfactio de Pœnit. dist.* 3. *desumpto ex D. Aug. lib. de dogmatibus Ecclesiæ cap.* 54. ubi dicitur; *Satisfactio Pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, neque earum suggestionibus aditum indulgere*, & ibi Glos. verbo *Causas* ait: *Vitiorum radicem, nec sufficit ramos incidere, & opportunitates, vel occasiones peccandi*, & dist. 81. Cap. *Valet* dicitur: *Valet interdùm conversis, pro animæ salute mutati looci; plerùmque enim dum mutatur locus, mutatur, & mentis affectus: congruum est enim indè etiam corporaliter avelli, ubi quisque illecebris deservivit; nam locus ubi quisque pravè vixit, hoc in aspectu mentis apponit, quod sæpè ibi, vel cogitavit, vel gessit.*

5 Sequitur secundò contra de Lugo, quem citat, & sequitur Tambur. in Meth. Confess. *lib.* 3. *cap.* 3. *§.* 3. *n.* 6. nec posse absolvi eum, qui non dùm ejecerit concubinam, etsi habeat

extra-

extraordinarium dolorem, & propositum. Ratio est jam adducta, quia cum potest, versatur voluntariè in periculo peccandi: potest autem ante confessionem illam ejicere. Unde fallitur Tambur. dicens, quia ab hoc sic armato possumus sperare victoriam; cum victoria in hujusmodi non sit speranda à pugna, sed à fuga, ut docuere SS. PP. & dictis, & factis: ut eorum exempla, & scripta testantur. Excipe tamen si iste talis dùm accedit ad confessionem cum tali dolore incæperit ponere media, & dare opportuna remedia ad eam ejiciendam, itaut ex his,& animi sui præparatione, moraliter certum sit statim finita confessione(quæ ad suum levamen finitur præcedere)ejecturum concubinam; quia moraliter judicatur ejecta, juxta illud axioma:quod parum distat,nihil distare videtur.Hæc tamen fixceptio in Diœcesi Messanensi locum non habet,ubi ex Synodalibus, in licentia,quæ Confessariis scripto datur, præcipitur,ut cōcubinarios non absolvant, nisi post duos menses à separatione.

6 Petes, an hucusque dicta debeant extendi ad eum, qui prima vice accedit ad Confessionem, licèt multo tempore antecedenti versatus fuerit in occasione peccandi, dùm promittat se occasionem ablaturum.

Respondeo: aliquos, quos sequitur Sanc. *disp.* 10. *num.* 4. asserere hoc permitti posse, etiam si ter, aut quater promissionem non servaverit; tamen probabiliùs existimo cum Navar. Rodr. Ant. Fernandez cit. ab eodem Sanc. etiam pro prima vice non fore absolvendum, nisi de facto ejiciat. Hoc in primis locum habet in Diœc.Messan.ubi absolutè præcipitur sine ulla exceptione. Constat ex verbis Gelas. adductis, qui non excipit aliquid, sed loquitur absolutè de versante in occasione peccandi: & ubi lex non distinguit,nec nos distinguere debemus. Patet etiam ratione supra adducta, quia potest ante Confessionem hoc præstare, consequenter tunc est ei voluntaria expositio periculi. Nec hoc periculum consistit, ut deindè non ejiciat, ut putat Sanc. sed consistit in occasione, quam affert cohabitatio, quæ præsens est, dum non est ablata, cum possit auferri.

7 Excipe primò: si iste talis antequam ad Confessionem accederet,ex vero proposito non peccandi ductus,à copula cum tali fæmina, quam domi habet per diuturnum tempus abstinuit,

licet non ejecerit illam ob aliquam rationabilem causam, vel quia est ei loco famulæ, vel quia disponit, quomodo eam collocet, ne ad Lupanar abeat; iste enim est absolvendus, etiam non ejecta priùs concubina; quia talis non censetur versari in proxima occasione peccandi; cùm sola cohabitatio præcisè, quæ experientia comperta est, non inducere ad peccandum, non sit proxima occasio, ut patet ex *Cap. A nobis de cohabitat. Cleric. & mulier.* & aliàs iste sic expertus multò magis confidere potest auxiliis Divinæ Gratiæ in posterùm non lapsurum.

8 Excipe secundò: si fæmina, quæ ut famula detinetur, semel, aut bis copulę consenserit, sed pluriès deindè restiterit, & victoriam reportarit: non enim cogi debet ad domum deserendam; non enim ex parte sua versatur in proxima occasione peccandi: & multò magis sperari potest in posterum non consensuram, præcipuè quando non solus cum sola cohabitant: nisi aliter exposcat occasio scandali, quam ejus cohabitatio affert viro. Regulis de scandalo utere in tali casu.

9 Excipe tertiò: quando adeò effecta est concubina deformis propter aliquam infirmitatem, vel aliud accidens, ut non sit ampliùs periculum peccandi; vel supervenerit aliqua affinitas, vel cognatio spiritualis, quæ existimetur ab ipsis non facilè contemnenda, hocque aliqua experientia constet. In his enim circumstantiis non censentur versari in occasione proxima. Ita Graff. *lib.* 1. *decis.* 1. *p. cap* 28. *num.* 9. Lopes 1. *p. instruct cap.* 21. Anton. Fern. *in Instr. Confess. docum.* 6. Sanc. *loco cit. num.* 12.

10 Sequitur tertiò: nec fore absolvendum eum, qui licèt non habeat ampliùs copulam cum concubina; tamen ex ejus cohabitatione, vel quia sæpè ad eam invisendam vadit, oritur scandalum, dùm præsumitur à concubinatu non destitisse; tenetur enim hoc scandalum vitare, & non solùm à malo, sed etiam ab omni specie mali cavere secundùm Apost. 1. ad Thessalon. 5. & propter hoc est in occasione proxima peccandi; licèt non peccatò luxuriæ, peccato scandali. Ita Sylv. v. *Concubinarius* q. 2. & alii, quos citat, & sequitur Sanc. *loco cit. num.* 15.

11 Sequitur quartò nec absolvendum eum, qui ex cohabitatione cum fæmina prolabitur frequenter in lasciva desideria ex præsentia ipsius ortũ ducentia; donec ipsam expellat; quia hujusmodi

modi desideria sunt peccata mortalia, & consequenter iste talis versatur in proxima occasione peccandi.

12. Quæres pro complemento, quid facere debet Confessarius, quando pœnitens est filius familias, vel alter, qui non est sui juris, & concubina est famula, vel ancilla: nec per eum stat, ut à domo expellatur; habet tamen firmum propositum de cætero non peccandi: debet nè eum absolvere?

Respondeo, quòd respectu retentionis domi iste talis non dicitur occasionem habere peccandi, sed potiùs illam pati, & solùm potest dici peccator habens consuetudinem peccandi: unde servanda est regula tradita Propos. præc. de habentibus consuetudinem peccandi, & quandò non apparet emendationis spes est rejiciendus. Contra id, quod asserunt Vivaldus, & Maldonatus cit. à Sanc. n. 16. dicentes absolvendum totiès quotiès, etiam si nullus appareat profectus, & ipse Sanc. in fine dicti num. sic concludit: *At si de pœnitente concipiat adducere illum verum propositum, non intererit Confessarium non concipere spem emendationis*: quòd ni rectiùs explicetur, & limitetur de judicio speculativo, est damnatum in præcedenti Propositione.

13 Est tamen advertendum, quòd iste talis potest dici versari in occasione peccandi ob aliud motivum, quàm ob cohabitationem, nempè, quia ubi ancilla moratur, sæpè se intromittit, ut solus cum ipsa reperiatur occasionem quærit, quæ sunt ei voluntaria, & potest declinare. Has igitur occasiones debet vitare, nempè, nè solus cum sola reperiatur, ut ejus præsentiam declinet quantum potest, nisi ubi simul cum aliis ejus famulatu indiget: ut cubiculum mutare studeat, alias adducens causas, si hoc est contiguum cubiculo famulę, & alibi ubi non adsit opportunitas ad eam noctu accedendi se recipiat; vel simul cum alio dormire satagat; & alia hujusmodi. Quòd si hæc facere nolit, censendus est versari in proxima occasione peccandi voluntariè, & consequenter non est absolvendus.

Aliam quoque occasionem interiorem vitare tenetur, cum non potest exterioris præsentiæ occasionem; nempè aliqua salubri cogitatione Dei, deformitatis peccati, pœnarum Inferni, & similium se muniendo.

PROPOSITIO LXII.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

1 ADeò laxitas, & libido relaxandi conscientias aliquorum Doctorum animos invaserat, ut cum non possent absolutè concedere aliquam falsam doctrinam, conarentur ad minùs illam limitare,& in aliquibus casibus eam admittere. Ita planè evenit in præsenti: multi namque falsitatem præc. Propos. cognoscentes, & abnegantes, aliquos particulares casus, & circumstantias adinvenerunt, in quibus non esset fugienda proxima occasio peccandi: quæ ad hanc duplicem causam in communi, vel utilem, vel honestam reducuntur. Causa utilis est illa, quæ aliquod temporale commodum affert: honesta verò quæ aliquam pietatis, vel virtutis alicujus speciem habet, ut eleemosyna, infirmorum visitatio, & hujusmodi.

2 Dicendum est, proximam occasionem peccandi semper fugiendam esse; nec causam aliquam utilem, aut honestam ab hoc excusare.

Probatur primò ratione universali sæpè adducta quò ad utramque partem. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona; sed non fugere occasionem proximam peccandi est malum, cum sit exponere se periculo proximo peccandi, & exponere se periculo proximo peccandi sit peccatum, juxta illud: *Qui amat periculum in illo peribit*. Ergo non est prætermittenda fuga occasionis proximę propter quodcumque bonum, sivè utile, sivè honestum.

3 Probatur secundò; specialiter de bono temporali ex illo Matt. 16. Marc. 8. Luc. 9. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quasi dicat, etiam maximum bonum temporale, quale esset universum mundum possidere non est præferendum detrimento animæ,

me, quod incurritur per peccatum. Tum etiam ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 43. *art.* 8. ubi docet temporalia bona nostra, quæ ut domini possidemus dimittenda esse, quando sequitur scandalum Proximi ob infirmitatem, quod vocat scandalum pusillorum: ergo multò magis nè seipsum exponat periculo peccandi; magis enim tenetur propriam, quàm aliorum salutem curare.

4 Probatur tertiò: specialiter de bono honesto, ex eodem S. Th. *q. cit. art.* 7. ubi docet propter scandalum pusillorum (& loquitur de scandalo passivo) differenda esse bona spiritualia, quæ non sunt de necessitate salutis: ergo multò magis fugienda est occasio peccandi; etiam si indè aliquod bonum honestum proveniat, & antea dixerat ibidem: *quæstio ista* quæ erat utrum bona spiritualia sint propter scandalum dimittenda, *non habet locum de scandalo activo* nota quare. *Quia cum scandalum activum sit factum, vel dictum minùs rectum, nihil est cum scandalo activo faciendum.*

Insignis locus D. Th. & ex professo de hac materia est ille quodlib. 10. *art.* 9. ubi loquens de filio, cujus Pater est indigens ejus auxilio, ut sustentetur, an debeat Religionem ingredi: respondet cum distinctione, cujus primum membrum est nostra conclusio; sic dicens: *aut iste, qui habet propositum intrandi Religionem videt in sæculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili*: certè propter occasiones proximas peccandi. *Si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animæ suæ providere, quam corporali necessitati parentum, non tenetur in sæculo remanere.* Hęc ille. Quid clarius pro hac conclusione? Quænam quęso honestior causa, quàm pietas parentibus debita; quæ est in præcepto? Quod obligat quando parentes indigent, ut dixerat idem S. D. in arg. sed contra cit. art. & tamen per ipsum non est causa sufficiens non fugiendi occasionem proximam peccandi.

5 Hinc sapientissimus Magister Soto S. Th. vestigiis inhęrens *lib.* 10. *de Just. q.* 2. *art.* 2. (licèt ei non esse credendum dicat Sanc. *loco cit. num.* 9.) asserit quòd, qui scit periculum evidens se esse subiturum damni spiritualis, dignitatem Episcopalem acceptando, non tenetur illi se subjicere, etiam si necessarium

esset bono communi: idque etiam in alio casu docuit Bann. 2.2. *q.* 43. *art.* 8. *conclus.* 2.

6 Miror tamen Sanc. adducere S. Thomam pro sua sententia; quia 2.2. *q.* 10. *art.* 9. *in fine corp.* dixit fideles posse cum Infidelibus communicare, etiam cum periculo subversionis, si necessitas urgeat. At in primis hic casus est alius ab eo, qui ponitur in Propositione, quam impugnamus: aliud namque est necessitas; aliud causa utilis, vel honesta, sed certè neque in casu necessitatis concedit S. D. posse aliquem se exponere periculo peccandi; unde verba Angelici Præceptoris subtiliùs expendenda sunt. Ipse igitur loquens priùs de fidelibus in fide firmis, de quibus potiùs possit sperari conversio infidelium, quàm eorum aversio à Fide, ait: posse infidelibus communicare, præcipuè si necessitas urgeat. Deindè subdit: *Si autem sint simplices, & infirmi in Fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit*. Nec ista est occasio proxima, qua stante est moraliter certus, & ut in plurimùm lapsus, *Probibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè, nè magnam familiaritatem cum eis habeant; vel absque necessitate cum eis communicent*. Ubi advertendum, quòd cum necessitate eis communicare, ut dicit in postremis verbis, non permittit cum periculo subversionis: sed quia periculum subversionis potest oriri ex diuturna familiaritate; quia requiritur de Religione discursus, & instructio, quæ tempus requirunt, prohibet D. T. magnam familiaritatem; conceditque communicationem ex necessitate, quæ non inducat magnam familiaritatem, cujusmodi esset emere cibaria ab infideli; unde non adducit casum necessitatis, ut in ipso liceat etiam cum periculo subversionis communicare cum infidelibus; sed tanquam casum, in quo ob parvam moram non est periculum subversionis: & sensus est: illi de quorum subversione probabiliter timeri potest, prohibendi sunt ab infidelium communione; & præcipuè nè magnam familiaritatem (ex qua periculum, quod est ex parte subjecti tantùm, ponitur ex parte circumstantiæ, & appropinquat actui) cum eis habeant; immò nec parvam familiaritatem (quæ est remota occasio ex parte circumstantiæ, & quam videbatur permisisse in præcedentibus verbis, quæ correxit) nisi in necessitate, Ubi particula

ticula, *vel*, quæ eſt diſiunctiva, requirit alium caſum; caſus autem antecedens erat magna familiaritas, ſubſequens debebat eſſe altera pars diſiunctivæ, quæ eſt parva familiaritas, quaſi dixerit, vel parvam familiaritatem, abſque neceſſitate; quam omiſit ſolito ſuę ſummę brevi, & profundo ſtylo. Et hoc confirmatur ex iis, quę habet ad 3. art. cit. dicens: *Si tamen domino:* nempè fideli. *Periculum immineret ex communione talis ſervi*: ſcilicèt infidelis: *deberet eum à ſe abjicere*, & tamen ſervus nequit non eſſe neceſſarius domino. *Secundùm illud mandatum Domini Matt.*18. *ſi pes tuus ſcandalizat te abſcinde eum*, *& projice abs te*. Ecce uſquequò ſe extendit, ut neceſſaria abjicienda adducat.

7 Nota quoque falsò allegare Sanc. pro ſe Bann. 2. 2. q. 26. art. 5. §. *& ſi quæras*: ibi enim Mag. Bann. clarè loquitur de eripiendo Proximo à periculo damnationis, ut ſi ſimplex fidelis ab hæreticis ſeducitur, aut in art. mortis non eſt, qui conferat baptiſmum, aut Sacramentum Pœnitentię ei, qui ſine iſtis Sacramentis vix poteſt ſalvari: & in iſtis caſibus aſſerit Bann. debere hominem juſtum vitam, aut fortunas ſuas exponere periculo pro ſalute ſpirituali Proximi; non tamen ſe exponere periculo peccandi: quod probat ex illo 1. Jo.3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere*. Quod docuerat S. Thom. *loco cit. ad* 3. *& q.* 44. *art. ult. ad* 2.

8 Nec eſt verum id, quod ajunt Sanc. & alii, ratione urgentis neceſſitatis, non dici illum ſe exponere voluntariè periculo peccandi, ſed involuntariè pati: non inquam verum eſt, nam ad altius involuntarium mixtum poteſt cauſare neceſſitas, quod eſt voluntarium ſimpliciter, ut cum D. Th. *p.* 2. *q.* 6. docent communiter Thomiſtę, & alii. Poteſt tamen evenire, ut aliquando quis patiatur occaſiones peccandi; quia ſine prævisione periculi, ipſo inſcio, ex aliquo accidente reperiatur in tali occaſione: non tamen dicitur pati quandò neceſſitas ſolùm eſt motivum, quare ipſe ſpontè ſe ingerat occaſioni peccandi: nec verba D. Baſil. quæ *Sanc. num.* 8. pro ſe adducit, ſunt intelligenda de periculo peccandi, ſed de periculo vitæ, vel alio corporali, quod ſubire tenemur propter bonum ſpirituale Proximi in caſu neceſſitatis. Caſus autem particulares, quos ipſe dicto n.

addu-

adducit, cum non omnes ſint ſimiles, examini prudentum relinquo, ex doctrina tradita facilè ſolvendos.

9 Sequitur primò ex dictis: falſum eſſe id, quod ait Tambur. *in Meth. Confeſſ. lib. 3. cap. 3. num. 8.* quantùm ad id, quod excuſat, quando occaſio relinqui non poteſt abſque magno detrimento temporali, aut ſpirituali (de ſcandalo namque, & infamia inferiùs agam) immò hoc ipſum eſt in prędicta Propoſitione damnatum. Similiter falſas eſſe exceptiones adductas à Layman, nè fugiatur occaſio peccandi. Referam ejus verba, ut brevi plures caſus reſolvantur, oppoſitum in omnibus referendis tenendo. Ipſe itaque *lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 9.* ſic ait: *Occaſiones proximas evitare obligamur: excipe tamen, niſi proxima occaſio mortaliter, ſine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non poſſit; tunc enim conſilium eſt, ſed non præceptum; quare abſolvendi ſunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua periculum imminet peccandi diſcedere nolunt, quia ſine maxima difficultate non poſſunt; parati adhibere remedia peccatorum, præſertim, quæ affert Confeſſarius.* Hæc ille: in quibus poſtremis verbis aliquo modo limitat antecedentia verba; ſed in hoc conſiderandum eſt, an illa remedia revera iſte talis apponat, & per ea experiatur ſe liberari à peccato, ut diximus de remediis filii familias: ſi enim hoc experiatur, tunc non verſatur in proxima occaſione peccandi, quia pro iſto tali hìc, & nunc non eſt illa proxima occaſio peccandi: ſi verò per ea non experiatur ſe liberari à peccato, debet occaſionem fugere, nullo habito reſpectu ad quodcumque detrimentum, juxtà illud Matt. 18. *Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum.*

10 Sequitur ſecundò duorum caſuum reſolutio, quos affert Sanc. *n.* 9. quorum primus eſt de muliere alicubi incluſa, quam ſolus Joannes ex. gr. ſciat, cujus ſubveniendæ neceſſitati tenetur, ſed tamen experitur, dùm defert ei cibum, verſari in proxima occaſione peccandi. Dicendum enim eſt, quòd ut opus Charitatis exerceat, debet ſe munire piis cogitationibus, vitando occaſiones internas, in quo caſu externa occaſio non dicetur proxima occaſio peccandi, vel per alium, ſi commodè fieri poteſt, mittere cibum, vel illi afferendo cibum, ponat aliquantulum diſtantem, nè eam videat curando, & ſtatim

diſce-

discedat. Quòd si hæc minimè fieri queunt, potiùs abstinere debet à ferculo ministrando, quàm occasionem peccandi subire. Patet ex ordine Charitatis, quo tenemur plus animę salutem diligere, quàm vitam corporalem nostram, vel Proximi, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. *&* *q.* 44. *art. ult.* ubi docet magis debere diligere salutem spiritualem Proximi, quàm corpus proprium: ergo multò magis salutem spiritualem nostram quàm corpus alienum, cum magis teneamur diligere nosmetipsos, quàm Proximum. Idem dicendum est de secundo casu: videlicèt de Patre, qui habet filios ex concubina, etiam si aliter filii non possint ali, si ipse deserat concubinam (qui est casus metaphysicus) ut patet ex tradita doctrina, & ex consimili casu allato supra de filio volente Religionem ingredi. Unde immeritò in utroque casu asserit Sanc. non esse fugiendam proximam occasionem peccandi. Videbuntur hæc aspera, & tirannica, sed iis, qui affectu carnis ducti, nil supra carnem sapiunt, & Legem Dei propriis commodis collimare conantur: cum tamen Salvator dicat. ***Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare nurum à socru, &c.***

11 Sequitur tertiò contra eundem Sanc. *n.* 20. debere ejicere concubinam à domo eum, qui mutuò dedit illi 100. aureos, etiam si nulla spes adsit eos recuperandi post ejectionem. Idemque dicendum de concubina, quæ mutuavit viro.

12 Sequitur quartò: contra Tamb. *loc. cit.* si occasio peccandi sit cum fratre, aut sorore, quorum convictu nequit sine detrimento sejungi, etiam teneri ad separationem, non obstante illo detrimento, si remedia illa suprà recensita pro filio familias non prodesse experitur. Sed quid dicendum si scandalum adsit? Dico scandalum vitari posse si Religionem ingrediatur, & quamvis ingressus in Religionem non sit de præcepto, sed de consilio, tamen huic in istis circumstantiis est in præcepto, pręcipitur enim ei eodem pręcepto, quo tenetur vitare peccatum, eligere media ad illud vitandum: in præsenti autem non adest aliud medium vitandi peccatum simul, & scandalum, nisi ingressus in Religionem, si aliud enim adsit ad utrumque vitandum, illud eligat.

13 Quid dicendum tamen in hoc, & aliis casibus, quando non potest vitari occasio peccandi sine scandalo?

Respondeo in primis: teneri adhibere omnia Prudentiæ media, ut quantùm fieri potest, scandalum vitetur; quibus adhibitis rarò scandalum vitari nequit. Si verò nequaquam vitari potest, debet fugi occasio peccati etiam cum scandalo; quia hoc est scandalum passivum, occasione accepta ab aliis, non data; in quo casu non debent prætermitti ea, quæ sunt de necessitate salutis, ut docet S. Th. vitare autem occasionem peccandi est de necessitate salutis:& hoc etiam dicendum contra Tambur. & Sanc. & alios, si infamia sequatur in quocumque prædictorum casuum; nam ordo Charitatis exposcit, ut plùs sit diligenda anima, quàm corpus, & quæcumque temporalia bona, ut ex D. Th. constat. Unde omnes isti D. D. huic falso principio innituntur, scilicèt, grave detrimentum, infamiam, & similia pluris esse facienda, quàm salus animæ, quod quis non videt rationi naturali dissonum? Consequenter ab opposito principio vero, & lumini naturali conforme veræ consequentiæ sunt deducendæ: & eo posito statim prædictorum veritas elucescit iis, qui non ea, quæ carnis sunt, sapiunt.

14 Sequitur quintò contra Azor. cit. à Sanc. abstinere debere à colloquio cum mulieribus eum, qui ex hoc experitur mollitie se pollui, etiam si illam non intendat, est enim ei voluntaria in causa, dum est prævisa, quod sufficit ad peccatum. Nec excusatur, quia experitur se ineptum effici in aliis loqutionibus, si ab illis abstineat conversationibus; nulla enim causa temporalis commodi excusari potest ab incommodo spirituali. Concedo nihilominùs cum Toleto ab eodem Sanc. ibidem cit. posse quemlibet uti cibo, à quo expertus est pollutionem involuntariam sibi induci, dùm non habet alium, quo vescatur vel sit ei omninò necessarium ad aliquem gravem morbum expellendum, dùm ab ipso non intendatur pollutio. Ratio est, quia iste utitur jure suo, & re necessaria sibi, ad quam per accidens sequitur pollutio, si eam non intendat, & consequenter præter intentionem, sicut vacans suæ defensioni, eamque intendens, non occisionem alterius, sine peccato

aggref-

aggressorem occidit, quia mors ejus sequitur per accidens, & præter intentionem ex causa justa, & necessaria. Ex quo patet discrimen inter hunc casum, & præcedentem Azor. Unde malè Sanc. loco cit. num. 8. diversos casus confundit. Generaliter utere hac regula; an quis det operam rei illicitæ, vel non simpliciter necessariç, & debitç, quç enim ad hanc sequuntur imputantur ad culpam, si sint prçvisa: vel an det operam rei licitç omninò necessariç, vel debitç; quæ enim ad hanc sequuntur licita, vel saltem non illicita sunt.

5 Pro complemento notandum est, quòd proxima occasio peccandi potest esse, vel circa prçcepta positiva; vel circa prçcepta negativa. Illa, quç versatur circa prçcepta negativa, cum reducatur ad ipsa, induit rationem ipsorum: & quia hçc obligans semper, & ad semper, & in nullo casu licitum est ea facere, quæ sunt contra hçc prçcepta; licèt aliquando non sit illicitum ea pati: ita etiam in nullo casu, neque ob metum, neque detrimentum, neque infamiam, neque ex causa utili, vel honesta licitum est non fugere occasionem proximam peccandi in hoc peccatorum genere: illa verò occasio peccandi, quç versatur circa prçcepta positiva, ut circa festorum sanctificationem, jejunia, recitationem horarum, & similia; sæpè licitè non est fugienda; quandò scilicet adest necessitas aliqua, notabile detrimentum, infamia, concursus alterius præcepti majoris ponderis, & similia, & generaliter in omnibus illis casibus, in quibus excusat observantia prçcepti positivi, excusat etiam occasio proxima illa transgrediendi, quapropter habens officium, vel negotiationi incumbēs, ex quibus sibi victum quærit, quç sunt ei occasio proxima omittendi sacrum in die festo, non tenetur illud officium, & negotium deserere. Similiter conversatio aliqua, quç alicui est occasio omittendi recitationem horarum, quam non potest deserere sine notabili detrimento, non est fugienda. Ratio hujus est, quia istç occasiones in talibus circumstantiis non sunt occasio proxima peccandi, nam in illis non obligat prçceptum positivum, cum obliget pro loco, & tempore; consequenter omissio actus prçcepti tunc non est peccaminosa; ac proindè iste non versatur in proxima occasione peccandi, licèt omittat, vel sit in occasio-

casione omittendi actum, qui absolutè est in præcepto, & hoc benè notandum est etiam pro sequenti Propositione.

PROPOSITIO LXIII.

Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel Proximi.

1 HUjus Propositionis impugnatio, quamvis ex præcedenti satis pateat, eam tamen breviter expugnabimus. Pro quo notandum est ipsam esse laxiorem præcedenti; in illa enim asserebatur non esse fugiendam, supposito quòd in ea, quis reperiretur, in hac verò asseritur posse directè quæri: ubi nota ly, *quærere*, ut contra distinctum à reperiri, non enim dicitur quærere, qui ad aliquod bonum opus vadens, putà ad ministrandum infirmo Sacramentum, reperiretur præter intentionem in occasione proxima peccandi: in tali casu teneretur juxta dicta fugere occasionem quantùm potest, & peccaret eam non fugiendo, non tamen peccavit ibi eundo.

2 Hinc sequitur, Parochum, qui pro munere officii sui, ad quod tenetur, advocaretur ad ministrandum Sacramentum: vel alius Sacerdos in casu extremę necessitatis, in quo etiam tenetur, & sciret ibi esse occasionem sibi proximam peccandi, non diceretur illam quærere. An autem teneatur uterque hanc occasionem fugere? Dico, quod simplex Sacerdos, qui teneretur ex Charitate, cum ordo Charitatis sit prius ad seipsum, quàm ad Proximum in eadem linea, tenetur occasionem illam peccandi fugere, si non potest per interiorem animi præparationem ita se præmunire, ut occasio ipsi sic armato non sit proxima ad peccandum. Parochus verò, qui tenetur ex officio, non potest fugere illam occasionem, sed est moraliter impotens ad eam fugiendam; unde potiùs dicitur pati, quàm illi se committere.

3 An autem iste Parochus, qui experitur se ex administratione officii sui, vel ratione auditionis confessionis, vel alterius exer-

exercitii muneris sui frequenter versari in proxima occasione peccandi, teneatur officium deserere? Respondeo, quòd si non potest per interiores præparationes animi, & exteriores macerationes corporis, illas declinare occasiones, itaut per hęc nequeat adversus occasiones prævalere, sed frequenter labatur, tenetur officium deserere, ut constat ex supradictis, quia bonum spirituale proprię salutis cuicumque alteri est præferendum.

4 Nota quoque ly, *directè*, dupliciter sumi posse: uno modo, ut contra distinguitur à secundariò intento, ut si quis vadens ad Ecclesiam ad audiendum sacrum, & secundariò, ut audiat musicam, non diceretur directè ire ad audiendum cantum, & hoc modo idem significat, ac principaliter. Alio modo sumitur prout contra distinguitur ab eo, quod est per accidens, & nullo modo intentum, quo pacto comprehendit etiam secundariò intentum; quia etiam hoc non est per accidens, & præter intentionem. In prædicta Propositione sumitur hoc secundo modo, non primo, cum certum sit occasionem proximam peccandi non esse primariò intentam ab eo, qui habet pro fine bonum spirituale, vel temporale proprium, vel alterius, & sic frustrà poneretur, ly *directè*, sensus ergo est illum directè quęrere occasionem proximam peccandi, qui licèt primariò intendat bonum spirituale, vel temporale, tamen prævidet in illo loco, ubi ad hoc exequendum est iturus, ad futuram proximam peccandi occasionem, & nihilominùs ire vult. His notatis.

5 Dicendum est: licitum non esse pro quocumque bono spirituali nostro, vel Proximi accedere ad locum, vel circumstantias, ubi prævidetur fore occasio proxima peccandi. Hæc est directè opposita damnatę Propositioni, docetur tamen ab Angelico Præceptore 2. 2. *q* 26. *art.* 5. ubi in fine corp. sic concludit: *Homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi Beatitudinis, ut Proximum liberet à peccato.* Sed exponere se occasioni proximæ peccandi est peccatum, ut patet ex supradictis, & concedunt omnes DD. & liberare proximum à peccato est maximum bonum spirituale ejus: ergo non est licitum per D. Th. exponere se occasioni proximę peccan-

candi, ſeu (quod idem eſt) accedere ad locum ubi prævidetur fore proxima occaſio peccandi, etiam pro bono ſpirituali Proximi: ergo à fortiori, nec pro bono temporali. Poſſet probari ratione ejuſdem S. D. ibidem. Videatur Bann. in eodem loco.

6 Probatur tamen ex illo principio lumine naturali noto; non ſunt facienda mala ut eveniant bona: unde D. Paulus ajebat: *Non ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio juſta eſt*. Sed quęrere directè occaſionem proximam peccandi eſt malum: ergo non eſt faciendum, ut eveniant bona, ſivè ſpiritualia, ſivè temporalia noſtra, vel Proximi.

7 Probatur ſpecialiter de bonis ſpiritualibus, ſivè temporalibus noſtris, ex quo à fortiori patebit de illis Proximi. Bonum majoris ordinis non eſt poſtponendum bono inferioris ordinis, ſed ſalus animæ eſt bonum majus quocumque bono ſpirituali, ſivè temporali noſtro: ergo non eſt ipſi poſtponendum: atqui de facto poſtponeretur ab eo, qui propter aliud bonum ſpirituale noſtrum, vel temporale quæreret directè occaſionem peccandi: ergo, &c. Major patet, & eſt conſequentia evidenter illata ex illo principio: non ſunt facienda mala, ut veniant bona, malum enim eſſet, minùs præferre majori. Minor probatur ex doctr. S. T. loco cit. quia ſalus animæ noſtræ eſt id, quod primò participatur à bono Divino in nobis, eſt enim participatio Beatitudinis, quo nil majus habere poſſumus: ergo eſt majus bonum quocumque alio bono ſpirituali. Patet etiam ex hoc, quòd omnia alia bona ſpiritualia à nobis ad ſalutem animæ debent ordinari, aliàs perverſus eſſet ordo, & bona non eſſent, ſi è converſo fieret. Minor ſubſumpta conſtat, quia quęrens directè occaſionem peccandi, negligeret ſalutem animę, & minoris faceret, quàm alia bona, ſivè ſpiritualia, ſive corporalia: poteſtque confirmari ex illo dicto Salvatoris: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

8 Contra hanc concluſionem videtur militare exemplum Moyſis, qui Exod. 31. orabat Dominum dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, & exemplum

plum quoque D. Pauli qui ad Rom. 9. ait: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo Jesu pro fratribus meis.*

Sed de his videatur Bibliotheca sacra lib. 2. lit. V. ubi duodecim refert expositiones SS. & DD. Solùm afferam illam D. Chrysostomi *lib. de compunctione cordis*, *& lib. 3. de Provid. Dei*, *& hom. 16. ad Rom.* ubi ait Moysen, & Paulum pro Deo, & gloria ejus, quem magis, quàm seipsos diligebant, petivisse, & optasse ex magno affectu Charitatis carere Divina fruitione (non peccata committere) nè Deus irrideretur ab impiis Infidelibus, quòd non posset populum suum eductum ab Ægypto introducere in terram Promissionis: & intelligenda est petitio conditionaliter, idest si opus esset, ut ego delerer de libro tuo. Vide D. Aug. *q.* 14. *Exodi*, *& Bern. serm.* 12. *in Cant.*

9 Ex dictis sequitur: non posse aliquem se exponere proximę occasioni peccandi, ut convertat meretricem, seù ire ad ejus domum, ut exhortetur ad Pœnitentiam, si pręvidet esse ipsi occasionem proximam lapsus: similiter dicito de eundo ad Infidelium conversionem, & similibus.

10 Dubitabis: an qui die festo dùm vult ire ad audiendum sacrum; cum aliam Ecclesiam adire non possit, nisi ubi pręvidet adesse sibi proximam occasionem peccandi; quia scilicèt ibi ejus inimicus adest, vel mulier, quam nimio fervore concupiscit; teneatur potiùs ire ad Ecclesiam, ut pręceptum impleat, vel non adire, ut occasionem peccandi vitet: & an propter hoc, ab obligatione audiendi sacrum sit exemptus?

Respondeo, quòd in tali casu, non dicitur quęrere occasionem peccandi, dùm à pręcepto cogitur ibi intervenire, non spontè vadit: vadens autem ibi insurgit difficultas: an teneatur fugere occasionem peccandi: & dico teneri fugere, se actibus internis muniendo, visum ab inimico, & muliere cohibendo, quod potest; ac proindè non deobligatur ab auditione sacri, cum volenti nil difficile, & facienti quantùm in se est Deus non deneget gratiam: unde in ejus potestate est præcepto satisfacere, & occasionem peccandi declinare; ex ejusque pravitate provenit visum in mulierem figere. Quòd si nihilominus, his non obstantibus; motibus interioribus (casus est valdè

X difficiŀ

difficilis, si omnia prædicta præmittantur) adeò concutitur, ut in proximo sit consensus, & aliter nequeat victoriam reportare, tenetur fugere occasionem, & ab obligatione sacri erit liber, cum præceptum Ecclesiasticum in concursu Divini cesset, quando cum eo est incompossibile.

PROPOSITIO LXIV.

Absolutionis capax est homo, quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

HAnc Propositionem verbis generalibus docuit Sanc. *disp*.9. *num*.18. dicens, *Ignoranti doctrinam Christianam &c.* citatque Sanch. in summa *lib*. 2. *cap*.3. *num*. 21. require supra Propos. 22. *num*. 12. *fol*. 111.

PROPOSITIO LXV.

Sufficit illa mysteria semel credidisse.

HAnc propositionem, licèt cum addito, docuit Tambur. in Meth. Confess. *lib*. 3. *cap*. 5. §. 1. dicens: *Tria insuper hic adverto, primò in benè moratis, seu confiteri solitis supponi posse semel hæc mysteria credidisse, semel inquam, nam ex necessitate medii semel sufficit*. Require supra Propos. 22. *n*. 13. *fol*. 112.

Expliciunt Propositiones à Sanctissimo Domino Innoc. XI. damnatæ.

Aliqua circa ipsum Decretum explicanda supersunt, & primò quid importet illa particula, *disputativè* ut condistincta ab illa, *defenderit*, nam si non defendit, videtur non alio modo disputare, nisi impugnando; quod licitum est. Breviter ad hoc dicitur, disputativè tractare, idem esse, ac de aliqua istarum Propositionum ita disserere, ut rationes pro utraque parte pro-

te proponantur, non defendendo aſſertivè, nec impugnando vel tantùm rationes in favorem ipſarum proponendo, licèt cum proteſtatione hoc faciendi diſputationis gratia; vel hoc fiat in colloquio privato, & cauſa diſcurſus, vel contra defendentem oppoſitum harum Propoſitionum arguendo: defendere verò importat eas aſſertivè propugnare, rationes probativas adducere, animo, vel modo ipſas confirmandi, non merè referendo; argumentis in contrarium occurrendo, & ſimilia. Uterque actus ſub excommunicationis ſententia inhibetur.

Hinc ſolvitur aliud dubium, an ſcilicèt proponens argumenta in favorem earum, & referendo rationes, quę à ſuis Auctoribus pro eis afferebantur, eaque ſolvendo in prædicto Decreto vetitum intelligatur.

Cui reſpondeo nullatenus vetitum, ſed permiſſum in illis verbis: *Niſi forſan impugnando*. Species enim eſt impugnationis argumenta contraria diluere: dirutis enim fundamentis, ædificium ruere oportet.

Alia difficultas eſt circa pręceptum abſtinendi à cenſura contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur: an in hoc præcepto comprehendantur, qui unam ſententiam defendentes, alteram eſſe falſam aſſerant.

Huic negativè reſpondeo. Ratio eſt, quia hoc dicens, non aliud intendit, niſi oppoſitùm ſe tenere, cum enim teſte Ariſtotele, ab eo, quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicatur vera, vel falſa, dicens illam opinionem eſſe falſam, non aliud aſſerit, niſi ita non eſſe, quod etiam implicitè dicit, dum oppoſitum aſſerit, & hoc intelligitur, in ſua ſententia. Tùm etiam quia, cum frequenter Scholaſtici, nè replicent totam propoſitionem, brevitatis cauſa in præmiſſis utantur hoc vocabulo, hoc eſt falſum, & proindè in conſequentia ita inferunt, hoc æquivalet negativæ propoſitioni.

Cenſurę igitur, & notæ communiter cenſentur iſtę: temeraria, erronea, errori proxima, hæreticalis, hæreſis, error in Fide, offendens pias aures, omninò improbabilis, ſcandaloſa, & ſimilia, quę pręcipi in prędicto Decreto intelliguntur

 ut ab

ut ab eis quisque abstineat, cum ad S. Sedem Apostolicam judicium de his proferre pertineat.

Quæcumque igitur in hoc opere, ope Doctoris Angelici non ex meo protuli, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Beatæ semper Virginis sub Rosarii titulo, à qua in horto Dominicano flores doctrinæ erumpunt, ac Divi Thomæ Aquinatis, ad fidelium profectum, studiosorum utilitatem, Ecclesiæque munimen, omnia ejusdem Sanctæ Sedis Judicio, correctioni, ac censuræ submitto, pro qua paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire, ut Principis Apostolorum verbis utar. Et cum Petro Damiano addo: *Nos si quid erravimus ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa officina fabrilis, cui nimirum is, qui fabri filius dicebatur, Dei filius præsidet; ad cujus regulam omnis meritò moneta reducitur, ad cujus rectitudinis lineam, quicquid uspiam depravatum fuerit reformatur.*

Gedeonis Gladii Finis.

AD GEDEONIS GLADIUM APPENDIX

In quo iterum nonnullæ dirimuntur controversiæ circa Observationes, supra Propositiones damnatas à SS. D. N. Innoc. XI. editas à Rever. P. Mag. Raymundo Lumbier Ord. Carmelitarum.

Auctore Reverendo Patre Sacræ Theologiæ Lectore

FR. LAURENTIO MARIA PISANI

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Fidelissimæ Civitatis Mylarum.



VENETIIS, M. DCCIV.

Apud Aloysium Pavinum.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



APPENDIX AD GEDEONIS GLADIUM.

1 *DUm hoc opus sub prælo sisteret, Observationes circa easdem damnatas Propositiones ad me pervenerunt, in Hispania editæ à Doctissimo, & Rever. Patre Magistro Raymundo Lumbier, tot præfulgido titulis, ac doctrinæ radiis perspicuo, ut hoc ævo inter Carmelitici Ordinis radiantia sydera computetur. Meritò hujus instar fulgoris mea exigua tenuitas, qui minimum inter Dominicanos omni ex capite locum teneo, tenebrescet. Fateor, ni adeò res fuerit progressa, incessum retinuisse: quippè cum aliorum utilitas mihi fuerit calcar, dùm huic satis consultum prospexerim, temeritatis censuram, quæ à concursu in stadio cum viro adeò insigni, procul dubio immineret, haud invitè declinassem. At ità res se habet: qui iter cohibere nequeo, ulterius progredi cogor.*

Cursim igitur prædictas observationes lustrans, pauculas annotationes circa ea, quæ cum à me dictis pugnant adjiciam: reliqua ab eo ubertim scripta intacta, ac studiosis legenda maximoperè commendans: non enim malevolo ducor animo, sed veritatis amore.

2 Primùm igitur omnium, mi lector, in prædicto Authore, à te duo in universùm notari cupio. Alterum, cùm ex Guimenio, vel Amedeo (idem est scriptor) aliquos Thomistas pro quibusdam opinionibus citat, nullam à te adhiberi fidem; nam ut luculenter ostendit Vincentius Baronius in secundo Tomo Moralis Theologiæ ad hoc specialiter instituto, in Dominicanos infensissimus Guimenius; plures falsò eis attribuit opiniones, vel Thomistas fingens, aut adulterans, aut eorum verba mutilans; adeò progressus, ut ipsiusmet S. Thomæ textus corruperit; vel ad alienos detorserit sensus. Et ut scias quanta Baronio debeatur fides, hoc unum perpende; post primam impressionem, Alexandri VII. jussu, Romæ à sex magnæ notæ Theologis revisum, ac diligenti scrutinio ad examen vocatum, approbatum, commendatumque fuisse; ac exindè typis secundò evulgatum.

Alterum: Tapia in toto opere ab ipso citatum, doctrinæ radiis, ac pastorali infula perlucidum, ad Hyspalensem Archiepiscopatum tandem, post Compluti moderatas summo plausu cathedras, ac duas Episcopales, qua par est prudentia, rectas Ecclesias, ex Ordine Prædicatorum assumptum fuisse,

ut ex hoc capias, laxitates perpetuò hujus Ordinis alumnos improbaſſe: & ex eorum doctrinis damnationis diluculum illuxiſſe.

3 In primis igitur, circa ea, quæ ad Juriſdictionis punctum ſpectant, obſerv.3. §.2. in quibus abſumus; ac circa materiam probabilem Sacramenti in caſu neceſſitatis: ſatis mihi ſuadeo Prop.1. ejus fundamenta diluiſſe, itaut nihil ibidem dictis addere ſit neceſsè.

4 Reſolutionem ab eo adductam §.4. obſerv.3. poſſe nempè in mortis articulo ſimplicem Sacerdotem validè, ac licitè abſolutionem impendere, etiam approbato præſente, probabiliſſimam cenſeo; ac ejus opere ad ſummum probabilitatis gradum evectam: at quia adhuc ultrà probabilitatis fines non progreditur: & oppoſita uſquemodò in ſua probabilitate perſiſtit, & aliundè ſit tutior, ut ipſemet n.61. fatetur: in praxim illam deducentem ab inobedientiæ crimine SS. Innoc. Decr. immunem reddere non auderem; quo cautum eſt ſub obedientiæ mandato, nè quis aliquam damnatarum Propoſitionum ad praxim deducat: hæc autem videtur particularis quædam ſub prima damnata contenta; quod hoc diſcurſu perſpicuum fore arbitror: Illicitum eſt in Sacramentis conferendis uti opinione tantùm probabili relicta tutiore, etiam in puncto Juriſdictionis, ut ibi probatum reliqui; atqui tantùm probabilis (quocumque gradu probabilitatis gaudeat) eſt opinio aſſerens, poſſe ſimplicem Sacerdotem moribundo abſolutionem impertiri, approbato non abſente, negans verò tutior: ergo illicitum eſt ea uti, hac relicta: unde non ſolùm eſt de conſilio hanc ſequi, ſed de præcepto.

Unum tamen advertam: caſum neceſſitatis à Trid. permiſſum, in quo omnes DD. conveniunt poſſe ſimplicem Sacerdotem moribundo abſolutionem impertiri, aliquorum DD. nixus authoritate, ad unicam approbati abſentiam non fore coarctandum; ſed extendendum, quoties de approbato fracturum ſigillum timetur; vel ex confeſſione ei facta aliquod grave damnum redundare poterit tertio: hæc namque, ſi ab integritare confeſſionis, quæ eſt de Jure Divino ſufficiunt excuſare, & impoſſibilitatis moralis nomine veſtiuntur; multò magis caſus neceſſitatis appellari poterunt in præſenti.

5 Dubitationem à Lumbier allatam eadem obſerv.3. §.5. de contritione requiſita ad valorem Sacramenti Pœnit. cum hanc adhibere tutius ſit, quàm ſi ſola Attritio in pœnitente reperiatur, optimè ab eodem reſolutam; paucis verbis, arbitror enodaſſe Prop. 1. num 3. ubi obiter, exempli gratia, materiam Sacr. Pœnit. adduxi. Addam tamen immeritò §. 1. num. 24. opinionem Cajet. requirentis Attritionem, quæ ſaltem foret exiſtimata contritio, cenſuraſſe. Falſum inquam eſt, opinionem Cajet. poſt Trid. non manſiſſe probabilem: eò quòd Trid. aſſignans dogmaticè Attritionem pro Sacr. Pœnit. non addidit debere eſſe contritionem exiſtimatam: nam Conc. neque addidit dolorem de peccatis ex motivo dilectionis Dei originem trahere; ſed ſolùm ex metu gehennæ, & pœnarum; vel turpitudinis peccati: & tamen opinio hujuſcemodi dilectionem requirens, etiam poſt Conc. Trid. eſt probabilis; nec poteſt ex Alex. VII. Decr. aliqua cenſura notari; nec ipſe eam cenſurare audet: quæ quidem etiam de dilectione perfecta, ut ipſe innuit, intellecta, plùs exigit, quàm ſi foret exiſtimata contritio: cur igitur impunè poterit opinio Cajet. cenſurari ex hac parte, quia aliquid plùs Attritionem ultrà requirit; cum modò ea, quæ contritionem veram exigere videtur ſit incenſurabilis?

6 Circa Propoſitionem 4. quæ ajebat: *ab Infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili*. Quam ipſe adducit obſerv.6. à n.119. affert rationes, quibus Gonet ante Sanctiſſimi damnationem, prædictam Pro-

Propositionem impugnavit, quam tamen ipse fatetur propugnasse in tract. de Fide: quarum prima est hæc. Si infideli apparet magis credibilis, & magis probabilis Catholica Fides, quàm propria secta, non habet ignorantiæ excusationem, satis enim ipsum admonet illa formido de minori probabilitate, quam circa propriam sectam habet, atque adeò ea ignorantia jam est vincibilis. Item quia si videns quod probabilius est, & quod magis ad veritatem accedit, permanet in propria secta, quam agnoscit minùs ad veritatem accedere, certè veritatem contemnit, nec illam curat.

7 Hanc rationem solvere nititur, parùm efficacem existimans: sicque ait: si hic opinionum conflictus esset in eligenda Religione, deberet quis amplecti quod probabilius est: at in præsenti non est eligere, sed mutare; & mutare hodie sine securitate ex sola majori probabilitate (quæ formidinem falsitatis non excludit) est exponere se periculo, ut cras novæ rationes appareant, quæ oppositum probabilius reddant, atque adeò obligent ad novam mutationem, quod est res durissima, & exposita magnæ inconstantiæ.

8 Hæreamus hìc paulisper, & observemus, ipsi non placere mutare Religionem ex sola majori probabilitate; quod coincidit cum Propositione condemnata: nam Propositio condemnata, vel loquitur in eligenda Religione, vel in mutatione Religionis: constat autem loqui in mutatione Religionis, qua infidelis detinetur, & ipsemet in principio, in hoc sensu affert argumenta, quibus prædicta Propositio nitebatur; in hoc sensu adducit rationes Goneti, & hunc esse casum Propositionis damnatæ supponit, ut ex ejus discursu patet; & ex illis verbis relatis: *at in præsenti non est eligere, sed mutare:* ergo Propositionis damnatæ sensus est, non teneri Infidelem ad mutandam Religionem ex sola majori probabilitate, quod asserit Lumbier: idem enim est hoc, ac dicere ab Infidelitate excusari Infidelem non mutantem Religionem ductum opinione minus probabili: si enim non tenetur, excusatur ab Infidelitate, & dùm ex sola majori probabilitate non tenetur; jam ductus opinione minùs probabili; stante enim opinione probabiliori Catholicæ Fidei, jam minus probabilis est opinio, qua ducitur pro sua secta.

9 Inde ad argumentum Goneti respondet: majorem probabilitatem non auferre penitùs formidinem, an illud sit verum nec nè; immò addere aliam formidinem magnam, an sit gravis, & illicita inconstantia, ab antiqua, & Paterna Religione sub his contingentiis recedere.

Sed in hoc sibi contradicit, dùm in resp. ad primum argumentum in favorem hujus Propositionis damnatæ num. 126. ait: *Non esse inconstantiam, vel levitatem animi mutare Religionem, quando in capessenda vera stat salus æterna, vel æterna damnatio, & ut ut sit periculum non assequendi veram, dum res est in sola probabilitate, quantùmvis majori; periculum tamen est minus, quàm probabilitate minori, & consequenter illa sequi debet, est enim tutiori via ingredi, & saltem docet ratio naturalis esse formaliter prudens consilium apud Deum: allegare enim poterit fecisse se in causa dubia quod melius sibi, & Deo placentius intellexit: quare nequit esse ibi formalis error, quidquid de materiali sit.* Hæc ille: quibus sibi contradicit, rationemque Goneti mirè confirmat; non enim Gonetus voluit majorem probabilitatem adimere formidinem; sed cum in majori probabilitate sit minor formido, majorque securitas, quæ sufficiens est ad expellendam ignorantiam invincibilem falsitatis suæ sectæ, ob quam solùm poterat excusari ab Infidelitate, nullus ampliùs excusationi remanet locus.

Ad Confirmat. respondet: *Non esse contemptum veritatis quando de veritate non constat; hìc autem licèt major aliqua apparentia veritatis sit, de veritate non constat:*

ſtat: exercere autem mutationem certam propter meliorationem incertam videtur poſſe prudentem detinere nè faciat, quin hoc ſit contemnere veritatem, ſed velle priùs aſſecurari de ipſa. Hæc autem reſponſio manifeſtè contradicit his, quæ ex ipſomet paulò ante retulimus; neque argumentum enervat, nam ad minùs ab illa majori probabilitate debet moveri ad inquiſitionem veritatis: quòd ſi hanc negligat, certè contemnit veritatem: quod benè intulit Gonet ex hoc quòd adhuc in propria permanet ſecta, ideſt in illa quieſcens, nec veritatem quærens. Præterquàm quòd circa ea, quæ ſunt fidei, non debet de veritate conſtare; ſed de credibilitate, quæ major eſt, exiſtente majori probabilitate; & imprudenter ſe gereret, qui non relinqueret minùs pro magis probabili; hæcque eſt melioratio certa ex parte actus mutationis, certum enim eſt melius eſſe in materia tàm gravi probabilius amplecti: quidquid ſit, an ex parte objecti, in quod fit mutatio, ſit melioratio certa.

10 Affert deindè ſecundam rationem Goneti, quæ ſic procedit: Auctores qui defendunt errorem probabilem Infidelis, ipſum ab Infidelitate excuſare; vel loquuntur de vera, vel de apparente probabilitate; ſi de vera, ea reperiri non poteſt in Infideli; nullus enim error vera probabilitate gaudet: probabilitas apparens excuſare non ſufficit, alioquin omnes hæretici excuſationem haberent: ergo, &c.

Ad hoc argumentum reſpondet: illos Auctores loqui de vera probabilitate, & ait probabilitatem Infidelis eſſe veram probabilitatem reſpectivè ad ipſos Infideles, quibus illa falſitas, quia nondùm eſt aperta ipſis, non eſt error, hocque latè explicat.

At exiſtimo Gonetum loqui de vera probabilitate in ſeipſa, vel apparente in ſeipſa; licèt hæc reſpectivè ad aliquem ſit vera probabilitas, videlicèt in ejus exiſtimatione: ſicque poſſemus ſubdiſtinguere probabilitatem veram, in abſolutam, & reſpectivam: vera probabilitas abſoluta eſt quando in ſe fundamenta ſunt ſolida ad probandam aliquam propoſitionem, & cum ea habent connexionem, licèt non evidenter, ſed obſcurè probent; vel quia ſunt media extrinſeca, non probant demonſtrativè, ſed probabiliter. Probabilitas verò reſpectiva, eſt quando fundamenta in ſe non ſunt ſolida; vel non habent connexionem in ſe cum propoſitione: at reſpectu ejus, cui non eſt aperta falſitas, apparent ſolida, vel connexionem habentia cum propoſitione; & in hoc ſenſu dixit Ariſtotiles: *ſæpe falſa ſunt probabiliora veris*. Loquendo ſcilicet de probabilitate reſpectiva: unde Angeli, qui cognoſcunt pro utraque parte rationes probabiles, quæ adducuntur, cognoſcunt quænam ſint probabiles abſolutè, quænam reſpectivè. Gonet igitur appellat veram probabilitatem illam quæ eſt in ſe, & abſolutè talis, quæ non poteſt dari de falſo; poteſt enim hoc veroſimili, & apparenti fundamento fulciri, non ſolido, & abſolutè vero; vocat autem apparentem probabilitatem illam, quæ eſt reſpectivè talis, quę licèt ipſis videatur vera probabilitas, in ſe tamen talis non eſt; unde in ſe ſolùm eſt probabilitas apparens: hinc ſolùm verbaliter diſcrepabit Gonet à Lumbier.

Demus igitur, ut ipſe vult, probabilitatem Infidelium eſſe veram reſpectivè, adhùc in ſuo robore ſtat argumentum Goneti, nec dum eſt ſolutum, nam ſic reſumo: vel hæc probabilitas reſpectiva ſufficit excuſare ab Infidelitate, vel non: ſi ſecundum, habemus intentum, quia ſic non excuſabitur Infidelis illa ductus probabilitate, ſi primum: ergo omnes hæretici eſſent excuſandi, cum omnes pro ſe habeant aliquam hujuſmodi probabilitatem pro ſua ſecta, & conſequenter nullus peccaret peccato Infidelitatis, quod tanquàm

quàm inconveniens deducebat Gonet; quæ consequentia æquè sequitur admissa responsione Patris Lumbier.

11 Hìc advertere oportet: aliud esse, Infidelem non excusari ab infidelitate; aliud verò teneri mutare Religionem. Ad hoc, ut quis excusetur ab Infidelitate, idest; ut ad novam culpam non imputetur ei Infidelitas, sed dicatur Infidelis negativè, requiritur ignorantia invincibilis, ut tradidi Propos. 4. ex S. Th. ut autem admittatur hæc ignorantia invincibilis requiritur, ut nihil unquàm seriò audierit de Fide; nullus ei prædicaverit, aut mysteria Fidei proposuerit: ut habet ipsemet Lumbier eadem observ. 6 §. ult. num. 170. quam dicit esse communem sententiam, & regulam generalem S. Aug. Immò addit S. Th. sufficere ad hoc, ut restiterit auditui Fidei. Ratio est; quia cum aliquid audivit seriò, & sufficienter, incipit habere remorsum, & dubitationem de sua secta, ac proindè tenetur inquirere veritatem; cum in re tanti momenti, in qua agitur de æterna damnatione, & salute, non debeat inquisitionem veritatis omittere; unde si hanc omitteret, culpabiliter, & vincibiliter esset Infidelis. Vel si auditui Fidei restitit, ipse est in culpa, ut Fidei Catholicæ veritatem ignoret; unde culpabiliter ignorat.

Ad hoc autem, ut teneatur mutare Religionem, requiritur major probabilitas Catholicæ Fidei & in hoc sensu intelligitur damnata Propositio, dum ibi dicitur: *non credens*: quod idem est, ac non mutans Religionem. Exemplum sit ex communi Moralistarnm doctrina: si aliquis possessor bonæ fidei urgeretur dubio positivo; an res, quam possidet sit sua, necnè, tenetur statim inquirere de veritate, ut certioretur, alioquin mortaliter peccabit hanc diligentiam omittens: non tamen tenetur statim illam restituere, nisi quousque deprehenderit probabiliùs esse alterius. Ita proportionaliter in præsenti.

12 Inquires: an requiratur evidentia, vel certitudo moralis de majori probabilitate Catholicæ Fidei; & judicium reflexum de ipsa majori probabilitate, ut quis teneatur mutare Religionem?

Pater Lumbier observ. 6. cit. num. 124. & 125. & 141. videtur exigere moralem certitudinem, vel evidentiam hujus majoris probabilitatis, ac judicium reflexum de ipsa. At existimo hoc non requiri: ratio est, quia cognita majori probabilitate (hæc enim cognitio requiritur, aliàs respectu illius non esset major probabilitas, potestque sine judicio reflexo haberi præscindendo à morali certitudine, & evidentia illius,) est minus periculum sequendo opinionem probabiliorem, quàm adhærendo minùs probabili, consequenter eam amplecti est tutiori via incedere, estque prudens consilium facere, quod magis à periculo recedit in re tàm gravi: ergo, &c. Tum quia hoc videtur magis consonum Propositionis condemnationi, & oppositum videtur cum illa coincidere: nam si non teneretur credere, nisi haberet evidentiam, aut moralem certitudinem, aut judicium reflexum de illa, adhùc ductus opinione minùs probabili, non credens, excusaretur ab Infidelitate; quod ibi damnatur: quoniam, etsi moralis certitudo, vel evidentia, aut judicium reflexum de illa majori probabilitate absint: eo ipso quòd pro Catholica Fide versatur opinio probabilior, per hoc præcisè, ad perseverandum in sua secta, ad non credendum, ducitur opinione minùs probabili. Nec cum fundamento asseritur illam Propositionem fuisse damnatam pro casu speciali illius Lutherani relati à Caram. qui habebat evidentiam majoris probabilitatis Catholicæ Fidei; dùm absolutè, sine addito, & in tota sua amplitudine, eo modo quo aliqui Catholici DD. eam tradidere, condemnatur.

13 Cir-

13 Circa Propositionem 65. quam affert eadem observ. 6. num. 159. non mihi placet excusatio Tambur. idque quod subdit. *Non esse condemnabile quòd Fides de his mysteriis, semel sufficeret ut medium (quando probabile est nec etiam semel esse sic necessariam) dummodò maneret præceptum de ea Fide sæpiùs repetenda.* Nam in primis facit sensum, quòd per *illa mysteria* intelligantur tantùm mysteria Trinitatis, & Incarnationis: Tambur. autem loquitur indefinitè de omnibus mysteriis Fidei, inter quæ certum est contineri ea, quæ sunt necessaria necessitate medii, ac proindè satis condemnabile est semel esse necessariam illorum Fidem, ut medium ad absolutionem obtinendam; & nullatenus probabile, nec etiam semel esse sic necessariam; ut fusè suo loco probavi. Secundò nequeo intelligere, quomodo posset implere præceptum sæpiùs repetendi Fidem, qui licèt semel crediderit illa mysteria, ea oblitus est: in quo sensu illa Propositio damnatur, & à Tambur. in Meth. Confess. adducitur: unde admisso, quòd damnetur Propositio prædicta quantùm ad necessitatem præcepti, cum ex doctrina illa Tambur. impotentia satisfaciendi huic præcepto oriatur, etiam ipsa damnatur.

14 Deinde num. 160. adducit tres sensus, in quibus posset esse damnata prædicta Propositio, vel scilicèt, ut ea credito semel habita ad confessiones in posterùm subserviat, quin necesse sit in ipsis repetere talem Fidem: vel ut sufficiat semel in vita ea credidisse, ut licèt deinceps esset ignorantia culpabilis, vel culpabilis oblivio, non violaretur Fidei præceptum, nec esset obex ad absolutionem, vel satisfieri præcepto de Fide explicita circa hæc mysteria, per unum actum illius, semel in vita habitum.

At ego existimo in duobus primis conjunctim esse damnatam, quia hæc Propositio refertur ad præcedentem, in qua sermo erat de Fide necessaria ad absolutionem obtinendam; ac proindè ly *sufficit* debet referri ad absolutionem, damnaturque sufficere semel credidisse illa mysteria, ut absolutionis aliquis sit capax: itaut tàm oblivio, quàm ignorantia culpabilis sit obex ad absolutionem; ac proindè creditio semel habita non sufficiat ad confessiones in posterùm faciendas, ut satis suo loco probavi. Hinc si intelligat Lumbier de omnibus mysteriis Fidei, inter quæ continentur ea, quæ certò apud omnes sunt necessaria necessitate medii ad actum supernaturalem doloris, ad confessionem omninò requisitum, eliciendum, malè subdit. *Quare in duobus postremis sensibus, & fortè non in primo damnata est hæc Propositio.* Si verò loquatur de mysterio Trinitatis, probabile existimo: at si conjunctim cum Incarnationis mysterio, omninò falsum: quamvis enim dolor de peccatis absolutè haberi possit sine Fide explicita Incarnationis, nullatenus tamen, ut ordinatus ad remissionem peccatorum medio Pœnitentiæ Sacramento obtinendam: cum hoc debeat supponere virtutem remissivam à Christo collatam, & ejus institutionem ab ipso procedentem.

In tertio verò sensu, puto non procedere condemnationem præfatæ Propositionis, non quia sensus iste falsus non sit, sed quia in hoc sensu jam fuerat damnata Propositio 17. qua dicebatur: *satis est actum Fidei semel in vita elicere.* Unde non oportebat iterum hìc eam condemnare. Tum quia, ut dixi, hæc Propositio refertur ad præcedentem; quare damnatur in sensu, quo præcedens, ut scilicèt satis sit ad absolutionem obtinendam semel credidisse; itaut nec actum Fidei opus sit repetere, nec obstet oblivio mysteriorum Fidei.

15 Lum-

15 Lumbier Obſervat. 7. & iterum 20. circa primam ab Alex. VII. damnatam Propoſitionem, de Charitatis pręcepto breviter diſcurrens, ait: ſibi videri obligare ſępiùs in vita, & in morte, licèt facile non ſit aſſignare poſitivè iſtud quando. Obſervat. 20. probabiliter inclinat, ut ad hoc quilibet quotannis teneatur, & initio uſus rationis, & in mortis articulo, at etiam oppoſitum probabile cenſet, nè conſcientias (inquit) pluribus ſcrupulis implicet. Quidam verò æquè Doctus, ac pius ad hoc propoſitum proclamat. Bone Deus! cur, cum pauci ſint in Univerſo ſcrupuloſi, innumerique relaxationi dediti, tanta erga ſcrupuloſos ducuntur charitate Doctores, ut nullam erga perditos habeant? cur tantoperè ſcrupulis medendis incumbunt, non relaxationi reparandę? At hic Auctor deindè aliquantulum plùs debito, meo videri, pręceptum Charitatis arctavit, ſuamque doctrinam ex D. Th. deducere conatur; cui recentior quidam adjunctus eſt. Ea propter in re tàm perdifficili, ex Angelico fonte, varias doctrinæ aquas ſparſim effuſas hauriens, pręſsiùs, ac fuſiùs, iterum calamum reſumere cogor; Divina, ut ſpero, ſuffultus ope, Aquinatis radiante fulgore, tàm neceſsariam attingere veritatem, ac diligentibus illam promere confidens.

16 Vult itaque prædictus Auctor pręceptum dilectionis Dei obligare, cum interrumpitur ordinatio virtualis actuum humanorum in Deum; adeò ut ex vi præcepti Charitatis teneamur omnes actus noſtros in Deum virtualiter ordinare, & toties actum Charitatis oporteat repetere, quoties, hæc virtualis ordinatio deficit, & interrumpitur: taliter quòd quoties per peccatum hæc virtualis ordinatio interrupta fuit, reſurgente peccatore, ſtatim teneatur actum Charitatis elicere, ut ordinatio virtualis ſequentium actum reſumatur. Ab exiſtente verò in Gratia, toties actus Charitatis debent repeti, quoties hæc virtualis ordinatio, vel novitate actionis, vel ſomno, intermittitur, ut ſequentes actiones virtute actus Charitatis iterum in Deum virtualiter referantur. Taliter quòd, tota ratio, quare obliget præceptum eliciendi actum Charitatis, eſt, ut homo omnia ſua referat in Deum, & toties obligat, quoties hæc ordinatio virtualis interrumpitur.

17 Hæc autem opinio falſa eſt, & contra D. Th. falſa quidem; quia ſupponit teneri hominem omnes ſuas actiones ex Charitate facere: immò hoc principium eſt baſis hujus doctrinæ, ſi enim ad hoc non teneretur, quomodo tenetur tunc actum Charitatis elicere, quando interrumpitur ordinatio virtualis? Hæc enim conſequentia, nonniſi ex iſto principio deduci poteſt, eoque negato, tota hæc ruit doctrina: ſic enim in horum ſententia oportet ſyllogizare. Ut actus noſtri referantur virtualiter in Deum, ut Auctorem ſupernaturalem, oportet actum Charitatis præcedere; ordinatio enim virtualis nequit à ſolo habitu haberi, ſed prævium exigit actum: ergo tenetur homo, toties actum Charitatis elicere, quoties hæc virtualis ordinatio interrumpitur. Quæ quidem Conſequ. non poteſt probari, niſi hac addita præmiſsa. Sed homo tenetur omnes ſuas actiones, virtualiter in Deum Auctorem ſupernaturalem ordinare, ſi enim ad hoc non tenetur, nullatenus, præceptum eliciendi actum Charitatis, quoties hæc ordinatio interrumpitur, colligi poteſt. Concedamus enim nos, illas actiones, non eſse in Deum virtualiter ex Charitate ordinatas, at hoc non eſse neceſſarium, nullumque præceptum obligare, ut taliter homo in Deum ſua referat opera; proindeque nec opus eſse, ut actum dilectionis Dei eliciat, qui ad hanc ordinationem eſt neceſsarius.

Su-

18 Supradictum autem principium falsum est: nam ex eo sequerentur plura inconvenientia. Primò: quòd quicumque existens in peccato mortali, quodcumque opus bonum faciens, peccaret mortaliter; non quidem ratione operis facti, sed ex eo capite, quia illud opus non esset in Deum ordinatum, si ad hoc teneretur: hoc autem videtur coincidere cum illa Prop. Mich. Baji, quæ est 34. in ordine, inter damnatas à B. Pio V. & Greg. XIII. qua asserebatur: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Quam quidem, neque Bajus potuit intelligere formaliter, ex objecto, ad quod opus tendit, sed ex alio capite, quod concomitanter concurrit, ut illud opus ex objecto bonum, evadat malum, ut dicit deinde Propos. 39. Unde isti Auctores quò ad substantiam cum Bajo convenirent, quàmvis non in motivo, ex quo peccaminosa redderetur illa actio.

19 Hoc argumento usus est S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. in arg. *sed Contra*. dicens: *Quicumque non servat præceptum, peccat mortaliter: si igitur modus Charitatis cadat sub præcepto, sequitur, quod quicumque operatur aliquid, & non ex Charitate, peccet mortaliter: sed quicumque non habet Charitatem, operatur non ex Charitate: ergo sequitur, quòd quicumque non habet Charitatem, peccet mortaliter in omni opere, quod facit, quantùmcumque sit de genere bonorum; quod est inconveniens*. Consimilem doctrinam tradidit q. 2. de malo art. 5. ad 7. dicens: *Hoc autem est simpliciter falsum, quòd omnis actus, qui non est ex voluntate informata Charitate, sit demeritorius, alioquin illi, qui sunt in peccato mortali, in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum, quòd interim quidquid boni possent, facerent: nec opera ab eis facta, quæ sunt de genere bonorum, disponerent eos ad Gratiam; quæ omnia sunt falsa*.

Nec valet dicere: non teneri peccatorem omnes suos actus ordinare virtualiter in Deum; ac proindè non peccare in omni actu, quem facit existens in peccato mortali: sed tunc peccasse contra præceptum Charitatis, quando primò peccavit, interrumpens tunc ordinationem suorum actuum in Deum.

Non inquam valet: nam quare Justus tenetur virtualiter omnes suos actus in Deum ordinare, itaut per Adversarios teneatur, quoties hæc ordinatio interrumpitur, iterum actum dilectionis Dei elicere, quamvis Charitatem non amiserit, per quam, saltem ordinatio habitualis remansit: & non tenebitur peccator omnes suos actus ita in Deum ordinare? Quare peccabit Justus hanc ordinationem virtualem omittens, non verò peccator? Nunquid deterioris conditionis erit Justus, quàm peccator in eodem opere faciendo, cum huic habitualis quoque desit in Deum ordinatio? Nec tunc solùm dicendum est peccasse, quando per peccatum hanc ordinationem interrupit, quia illa interruptio continuata eadem est transgressio. Non inquam: nam licèt per peccatum sit aversus à Deo, attamen posset ad Charitatem habendam se disponere, ut ait S. Th. 1. 2. loco cit. in corp. *Homo potest se disponere ad Charitatem habendam, & quando habuerit eam, potest ea uti*. Et sic sua culpa esset, ut tunc ex Charitate illud opus non faciat; & si teneretur actus suos in Deum ordinare, peccaret, non se disponendo ad Charitatem habendam, ut ex Charitate faceret, quia non fecit quantùm in se erat. Et quamvis idem peccatum continuatum sit, diuturno tempore omittere id, ad quod aliquis tenetur, puta restituere aliena, quando actus est per se præceptus; quando tamen est propter aliud, toties urget novum præceptum, totiesque censetur omittere, quoties diversitas eorum, propter quæ præcipitur, occurrit. Quia, namque tenetur quisque Confessionem sumptioni Eucharistiæ præmittere; non solùm peccat, quando primò Confessionem omisit, etsi nova peccata non committat;

tat; sed quoties Confessionem Communioni non præmittit: nec minùs sunt diversi actus illæ multiplicatæ Communiones; quàm varia opera bona, quæ facit peccator: immò illæ sunt solo numero diversæ; hæc autem, sæpè contingit, specie esse diversa.

20 Ex his sequitur aliud inconveniens, nempè, quòd statim ac peccator peccavit, teneretur actum Charitatis elicere, & conteri, nè sequentes actiones, quas post peccatum eliceret, careant virtuali ordinatione in Deum; quod tamen est contra communem DD. sensum.

Neque valet, si dicas: sufficere, ut sequentes actiones non sint deordinatæ à Deo; non tamen requiri, ut sint ad ipsum ordinatæ. Non, inquam, valet: nam si requiritur per hos DD. quos impugno, virtualis ordinatio actuum in Deum; ut huic præcepto opponatur quisque, sufficit hujus ordinationis omissio: ad peccandum enim contra præceptum positivum, sufficit omissio actus præcepti.

21 Sequitur quoque ex prædicta sententia aliud inconveniens; nempe peccatorem existentem in peccato mortali; cum per Attritionem supernaturalem accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ, in eómet actu peccare mortaliter; quia illemet actus non esset virtualiter ordinatus in Deum ex Charitate: Nam non ex aliquo actu antecedente, cum iste sit interruptus per peccatum. neque virtute novi actus, cum supponamus hunc non elicere tunc, sed actum Attritionis; qui licèt includat aliqualem Dei dilectionem, in aliquorum sententia; non tamen illam, quæ sit verus actus Charitatis; hæc enim habet pro objecto Deum, ut summum Bonum, ad quod omnia referantur; non timorem Inferni, vel aliud quodcumque motivum deformitatis peccati, ut oppositæ alteri Divinæ perfectioni: quæ respicit Attritio supernaturalis.

22 Sequitur tandem. Justum peccantem venialiter, peccare mortaliter; quia peccatum veniale non refertur virtualiter in Deum, quamvis in ipsum habitualiter possit referri, unde in eo actu omitteret Justus virtualem ordinationem in Deum ex Charitate. Hinc D. Th. 2. 2. q. 44. art. 4. ad 1. non aliter posse solvi hoc argumentum judicavit, nisi per hoc, quòd sufficiat habitualis ordinatio nostrorum actuum in Deum, nempè non faciendo aliquid oppositum Divinæ dilectioni; sic enim ait, *Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere; uno quidem modo in actu, idest, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; & ista est perfectio Patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat: & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale; quia non tollit habitum Charitatis, cum non tendat in oppositum objectum; sed solum impedit Charitatis usum.*

Quæ verba S. Doctoris nequeunt admittere aliquorum glosam, dicentium intelligere, nomine habitualis, virtualem ordinationem, nam perspicuum est seipsum explicasse de vera habituali, cum dixit, *ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*. Ad ordinationem autem virtualem non sufficit hoc, sed ulteriùs requiritur, quòd ille actus procedat ex Charitate influente per aliquem actum antecedentem. Patet etiam ex causali, quam adducit, ideò scilicet peccatum veniale non contrariari Charitati viæ, quia non tollit habitum Charitatis, & hoc ideò, quia non tendit in oppositum objectum, non esset autem vera, si intelligeretur in verbis antecedentibus de ordinatione virtuali, quia peccatum veniale, licèt non contrarietur Charitati, non tamen est ex Charitate, & quamvis non tendat in oppositum objectum; tamen tenderet in objectum, quod non refertur virtualiter

liter

liter in finem Charitatis, & per hoc sufficeret tollere habitum Charitatis ratione hujus omissionis, ut sequitur ex Adversariorum sententia, ut probavimus. Denique patet ex postremis verbis, ubi S. D. ait: *sed solùm impedit Charitatis usum*. Si autem virtualiter ordinaretur in Deum ex Charitate, jam tunc actu esset exercitium Charitatis in illa virtuali ordinatione, & non impediretur Charitatis usus.

23 Est etiam hæc opinio contra D. Th. ut patet ex locis supra adductis & ex aliis adducendis: nam S. D. sæpè docet ordinationem virtualem nostrorum actuum in Deum, ex Charitate, esse quidem necessariam, ad hoc ut actus nostri sint meritorii vitæ æternæ, quia ad hoc neque sufficit habitualis ordinatio; ut ait loco cit. de malo, inquiens: *Non omnis actus procedens à voluntate informata Charitate est meritorius, si voluntas pro potentia accipiatur, alioquin venialia peccata essent meritoria, quæ committunt interdùm etiam Charitatem habentes; sed verum est quòd omnis actus, qui est ex Charitate, est meritorius*. Et deindè subdit clariùs: *Unde modus sub necessitate præcepti includitur, secundùm quòd præceptum ordinatur ad consequutionem Beatitudinis, non autem secundùm quòd ordinatur ad vitandum reatum pœnæ: unde qui honorat parentes, non habens Charitatem, non meretur vitam æternam, sed tamen neque demeretur*. Idem docet q. 23. de Verit. art. 7. ad 8. *Alio modo dicimur ad aliquid teneri, quia sine hoc non possumus finem Beatitudinis consequi, & sic tenemur, ut aliquid ex Charitate faciamus, sine qua nihil potest esse æternæ vitæ meritorium*. Attamen S. D. in prædictis locis semper negat teneri actus nostros virtualiter ordinare in Deum ex Charitate, adeò ut hanc virtualem ordinationem omittendo peccemus: sicque ista obligatio nec ex præcepto Charitatis, nec ex vi aliorum præceptorum, quæ obligent, ut ex Charitate fiant, oritur; ex quocumque enim horum proveniret; peccaremus, & reatum pœnæ incurreremus, omittendo; quod negat S. D. ut expressiùs habet loco cit. de malo; dicens: *Tenetur autem quilibet ad conformandum voluntatem suam voluntati Divinæ, quantùm ad hoc, quòd velit quidquid vult Deus eum velle, secundùm quòd Dei voluntas innotescit per prohibitiones, & præcepta; non autem quantùm ad hoc quòd ex Charitate velit*. Et loc. cit. de Verit. sic clariùs loquitur: *Dupliciter ad aliquid tenemur, uno modo sic, quòd si non faciamus, pœnam incurremus, quod est propriè ad aliquid teneri. Et sic, secundùm communiorem opinionem, non tenemur ad faciendum aliquid ex Charitate, sed ad faciendum aliquid ex dilectione naturali, sine qua ad minus, quidquid fit, malè fit*. In quibus verbis nota: *quod est propriè ad aliquid teneri*. Quia alius modus, nempè, ut meritoriè faciamus, non est propriè ad id teneri. Ex quibus satis liquet, rationem, quare Adversarii volunt teneri ad eliciendum novum actum Charitatis, quoties ordinatio virtualis interrumpitur, quia scilicet tenemur actus nostros ex Charitate, saltem virtualiter, in Deum ordinare, falsam esse si loquatur de necessitate præcepti propriè, undecumque proveniat, sic enim ipsum transgrediendo pœnam incurreremus, quod per S. Th. est falsum: nihil enim tenemur ex Charitate facere, ex vi præcepti; idem enim est dicere: non tenemur ad aliquid faciendum, quod dixit D. Th. verbis mox citatis; ac dicere, nihil facere tenemur, sicuti enim, non aliquis, æquivalet ad ly, *nullus*, ita, non aliquid, ad ly *nihil*.

24 Attamen ex hoc ipso colligitur, quantùm quisque studere debeat, ut opera sua ex Charitate faciat, hac pressius cogitatione; nè scilicet vacent merito, quod magni ponderis cuilibet esse deberet. Considerandum quoque est, non omninò præcepto vacare, aliquid ex Charitate facere; nam eo ipso, quòd

quòd eſt neceſſarium adultis neceſſitate medii ad conſequendum finem Beatitudinis, cum omnia neceſſaria neceſſitate medii, ſint etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, hoc etiam ſub præcepto cadere debet, & ideò S. Th. non ſolùm dixit eſſe utile aliquid ex Charitate facere, ſed de præcepti neceſſitate, quantùm ad hoc, quòd meritoriè actus noſtros faciamus; quod adeò verum eſt, ut Pelagianæ impietatis dixerit eſſe, aſſerere: non teneri aliquid ex Charitate facere, quia ſic poſſet aliquis ſine Charitate legem implere; ergo aliquid ex Charitate, & meritoriè facere, cadit ſub lege, & conſequenter ſub præcepto. At quia loquendo de hoc præcepto proveniente ex neceſſitate medii, non requiritur, ut omnia opera noſtra ex Charitate fiant, ideò dixit S. Th. quòd aliquis faciens opus non ex Charitate, non meretur vitam æternam, ſed tamen non incurrit reatum pœnæ, quia poteſt per aliud opus legem implere, ſed ſolùm requiritur, ut aliquod opus ex Charitate fiat & ideò loco cit. de Verit. dixit Angelicus. *Et ſic tenemur*, *ut aliquid* (nota ly aliquid, ut contradiſtinctum ab omni) *ex Charitate faciamus*.

25 Hinc patet Magiſtrum Gonet tom. 10 diſp. 2. de merito art. 6. malè aſſerere, eum, qui poſt peccatum, reſurgeret per Pœnit. Sacram. cum ſola Attritione ſupernaturali, nullumque actum Charitatis eliciat, ſi ſtatim contingat mori, ad Beatitudinem ingredi, non tamen ratione meriti (cum ipſe optimè ibidem, & ex S. Th & efficaciſſimis rationibus probaverit, opus meritorium debere eſſe ex Charitate, ſaltem virtualiter influente) ſed titulo hæreditatis. Malè, inquam, hoc aſſerit, ſi loquatur de eo, qui nunquam, nec antea, aliquem actum Charitatis elicuerit, aliàs iſte ſine Charitate legem implevisset, quod quidem intelligendum eſt de actu, non enim habitus cadunt ſub præcepto. Itaque nec titulo hæreditatis Beatitudinem conſequeretur: quia tranſgreſſor extitit præcepti Charitatis, provenientis ex neceſſitate medii, quod indefinitè pro tota obligat vita: nec adultis titulo hæreditatis ſed meriti, conceditur Regnum, quare Paulus ajebat: *adimpleo ea*, *quæ deſunt paſſioni Chriſti*.

25 Ex alio quoque capite videtur eſſe contra S. Th. præfata opinio, quam impugno: nam S. D. pluribus in locis, ut eſt 2. 2 q. 44. art. 1. ad 1. & art. 4. ad 1. & præcipuè 1. 2. q. 100. art. 10. in corp. ubi ex profeſſo de hoc agit, aſſerit modum Charitatis non cadere ſub præcepto, ſecundùm quòd eſt modus actuum aliarum Virtutum; ſic enim inquit:; *Alio modo poteſt conſiderari actus Charitatis ſecundùm quòd eſt modus actuum aliarum Virtutum*, *hoc eſt*, *ſecundum quòd actus aliarum Virtutum ordinantur ad Charitatem*, *quæ eſt finis præcepti*, &c. *Et hoc modo verum eſt*, *quod ſecundi dixerunt*, *quòd modus Charitatis non cadit ſub præcepto*. Per iſtos autem Auctores modus iſte caderet ſub præcepto, quia volunt, ut ſit in præcepto actus Charitatis, ut per eum ordinentur cæteri actus virtualiter.

Neque dicas: hos Auctores, non aſſerere, modum Charitatis prædictum cadere ſub præcepto: immò expreſsè hoc negare; ſed ſolùm velle modum intrinſecum Charitatis cadere ſub præcepto; quod utique docet D. Th. 2 2. locis mox citatis. Non, inquam; hoc dicas, nam licèt hoc fateantur, tamen implicitè deinde in eorum doctrina, modum prædictum cadere ſub præcepto, continetur. Quod quidem, ut clariùs pateat, ex eodem D. Th. videamus, quid ſit modus iſte Charitatis, ſecundùm quod, ſcilicet, eſt modus aliarum Virtutum, & inveniemus conſiſtere in hoc, quòd actus aliarum Virtutum ordinentur ad Charitatem, vel fiant ex virtuali ordinatione Charitatis, quod dixit S. D. loco mox cit. 1. 2. explicans in quo prædictus

modus consistat, inquiens. *Hoc est, secundùm quod actus aliarum Virtutum ordinantur ad Charitatem*, & q. cit. de malo notentur illa verba: *non autem quantùm ad hoc, quòd ex Charitate velit, nisi secundùm illos, qui dicunt, quòd modus Charitatis est in præcepto*. Ubi patet S. Doctorem, hoc, quòd ex Charitate fiant actus nostri, asserere, non posse defendi, nisi ab illis, qui dicunt quòd modus Charitatis est in præcepto. Cum igitur Adversarii velint nos teneri ad eliciendas actiones ex Charitate, idest, ut virtualiter ordinentur in Deum ex Charitate, nam ad hanc ordinationem reassumendam dicunt teneri actum Charitatis repetere; jam in eorum doctrina continetur, cadere sub præcepto prædictum Charitatis modum.

27 Dices 1. contra prædicta D. Th. 2. 2. q. 44. art. 4. explicans quid importet diligere Deum ex toto corde, ait, importare hoc, quòd omnia referantur in ipsum Deum. Hoc ipsum asseruit 1. 2. loco à nobis cit. ad 2. ubi dicit: *Dicendum: quòd sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex Charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, honorare parentes, sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Ergo per S. Th. ex vi præcepti Charitatis tenetur quisque suas actiones in Deum ordinare; licèt ad hoc non teneatur ex vi præceptorum specialium, quod esset, modum Charitatis cadere sub præcepto.

Resp. quòd S. D. quando dicit, Deum diligendum esse ex toto corde, idest, ut omnia referantur in Deum, intelligendus est in ipso actu dilectionis, non in cæteris, quos deindè elicere debet, hoc est, quòd quando homo elicit actum Charitatis, ad quem tenetur, debet per illum actum, omnia in Deum referre, cum enim actus Charitatis tendat in Deum, ut diligibilem super omnia, & tanquam finem ultimum, hocque est de intrinseca ejus ratione; non diligeretur autem super omnia, & ut finis ultimus, si per illum actum non referrentur omnia in Deum; indè fit, omnia in ipsum illo actu debere referri, aliàs actus Charitatis non esset, quapropter hic modus est de substantia actus Charitatis, & instante præcepto de eliciendo actu dilectionis, si hic modus deesset, non impleretur præceptum. Hoc autem ibidem ad 1. docuit S. D. dicens: *Sub præcepto, quod datur de actu alicujus Virtutis, non cadit modus, quem habet ille actus ex alia superiori Virtute, cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ Virtutis, & talis modus significatur, cum dicitur. Ex toto corde*. Hinc tamen non valet inferri, teneri hominem semper omnes suas actiones referre in Deum, itaut hac ordinatione interrupta, oporteat, & sub præcepto teneatur novum actum Charitatis elicere.

Nota igitur, aliud esse, per actum Charitatis, omnia referri debere in Deum, quando elicitur: aliudque esse ex vi præcepti Charitatis teneri semper, omnia in Deum virtualiter ordinare; quod expressè negat S. Th. ut patet ex locis superiùs allatis. Unde ad locum adductum in argumento ex 1. 2. dico intelligendum esse, tunc teneri parentes ex Charitate honorare, ex vi præcepti dilectionis, quando simul concurrunt præceptum dilectionis Dei, & præceptum honorandi parentes, quia tunc illum actum honoris tenetur ex Charitate in Deum referre, & hoc consonat verbis ibidem immediatè subditis à D. T. sic dicente: *Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare, & ita potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi Charitatis*. Potest ergo per D. Th. implens præceptum de honora-

noratione parentum, non semper ex Charitate hoc facere; nec semper ad Deum ex Charitate, hunc actum in Deum referre; sed quando simul illa duo præcepta concurrunt, & quia aliquando, non simul concurrunt, potest alterum implere, non peccando, si ex Charitate id non præstet.

Ex quibus patet sensus verborum ejusdem S. Th. loco cit. 1. 2. in corp. ubi explicat, in quo consistat modus Charitatis, dicens. *Hoc est dictum, quòd in hoc præcepto, honora Patrem, non includitur, quòd honoretur Pater ex Charitate, sed solùm quòd honoretur Pater: unde qui honorat Patrem, licèt non habeat Charitatem non efficitur transgressor hujus præcepti; & si sit transgressor præcepti, quod est de actu Charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam.* In his enim postremis verbis, in quibus Recentior quidam fundatur, non est intelligendus S. D. quòd semper honorans Patrem, & non ex Charitate, sit transgressor præcepti, quod est de actu Charitatis; hic enim sensus non benè cohæret cum verbis, quæ paulò ante attulimus, quæ protulit S.Th. in eodem art. nec cum aliis locis ejusdem. Sed sensus est, admisso, quòd tunc transgrediatur præceptum de actu Charitatis (quod contingeret, quando simul hoc præceptum urgeret) non tamen ideò esset transgresor præcepti de honoratione parentum: sicque congruit cum cæteris locis D. Th.

28 Dices 2. S. D. 2. 2. q. 10. art. 5. ad 1. ait: *Charitas est una, quæ inhæret summo Bono, sunt autem diversa vitia Charitati opposita, quæ per conversionem ad diversa bona temporalia recedunt ad uno summo Bono.* Ergo peccans, & si non contra Deum immediatè, sed vel occidendo, aut furando, aut fornicando, peccat contra Charitatem, sicque duo peccata committit: ac proindè præceptum dilectionis Dei obligat, ut quæ fiunt, ex Charitate fiant; sicut enim omnia peccata sunt contra ipsam, ita omnia bona debent esse ex ipsa. Insuper S. Th. 2. 2. q. 34. art. 2. in corp. ait: *Ratio culpæ consistit in voluntaria aversione à Deo: hæc autem voluntaria aversio à Deo per se quidem importatur in odio Dei, in aliis autem peccatis, quasi participativè, & secundùm aliud.* Ergo si quodcumque peccatum saltem participativè continet odium Dei, quodlibet erit contra Charitatem, cui opponitur odium, & sic dupliciter peccaret, quicumque quodlibet peccatum committeret. Item S. D. 2. 2. q. 25. art. 12. in corp. ait: *Quilibet actus peccati mortalis contrariatur Charitati secundùm propriam rationem, quæ consistit in hoc, quòd Deus diligatur super omnia, & quòd homo totaliter illi se subjiciat omnia sua referendo in ipsum.* Ergo idem quod prius.

Resp. concesso primo Enthymemate, negando reliquas consequentias. Verum est enim, quòd quicumque peccans opponitur Charitati, & dilectioni Dei habituali, ex hoc tamen non sequitur quemlibet peccantem, duo peccata committere: pro quo, nota, quòd Charitas dupliciter sumi potest, uno modo, ut positivè eliciens proprium actum, qui est dilectio, & sic de ipsa datur præceptum speciale, & positivum, obligans per se; quod pluries repetitur in S. Script. illis verbis: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Et hoc modo sumptum, obligat pro loco, & tempore, sicut cætera præcepta positiva, & ad peccandum contra hoc præceptum sufficit omissio dilectionis. Alio modo sumitur, prout est quædam generalis jussio non faciendi quidquam contra Deum, non recedendi à Deo per conversionem ad bonum commutabile, sed omnia referendi ad ipsum Deum, idest negativè, nihil scilicet admittendo, qnod relationem ad Deum tollat: ut dixit idem S. D. 2. 2. q. 44. art. 4. ad 2. *Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur; ita scilicet quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat.* Et hoc præceptum est negativum, obligans semper, & ad semper, quia ad sem-

 per

per tenemur non facere quidquam contra legem Dei. At hoc præceptum non ponit in numero cum specialibus præceptis Decal. sed hæc sunt determinationes, & quasi conclusiones illius generalis præcepti, & universalis principii ideòque dicitur in Script. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Et Apost. ad Rom. 13. loquens de dilectione Proximi, omnia præcepta secundæ tabulæ ad dilectionem Proximi reducit, postquàm dixerat. *Qui diligit Proximum, legem implevit.* Et tandem concludit: *Plenitudo ergo legis dilectio.* Super quem locum ait S. Th. *In quantùm verò dilectio Proximi includit dilectionem Dei, intelligitur; quòd dilectio Proximi excludit malum, non solùm, quod est contra Proximum, sed etiam quod est contra Deum, & sic includentur etiam præcepta tabulæ primæ.* In quo etiam sensu dixit idem S. D. 2. 2. q. 44. art. 1. ad 3. *Omnia præcepta Decal. ordinantur ad dilectionem Dei, & Proximi, & ideò præcepta Charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decal. sed in omnibus concluduntur.* Quæ verba non sunt intelligenda in eo sensu, quo ea usurpat defensor Tambur. in Apolog. contra Baron. num. 20. & 21. eis intendens probare præceptum Charitatis non obligare per se, sed in alio: nam S. D. loco cit. ad 1. dixerat: *Cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.* Unde q. 25. art. 4. cum probasset Charitatem esse specialem Virtutem, quia habet objectum speciale; scilicet Bonum Divinum, in quantùm habet specialem rationem boni; ad 3. explicat in quo sensu ab Aug. dicta sit generalis jussio, inquiens, *quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta, sicut ad finem, secundùm illud 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti est Charitas.* Non ergo ideò, quia non sit de Charitate speciale præceptum; ut etiàm observavit in favorem D. Th. Lumbier observat. 20. num. *686.* Unde præcepta Charitatis, licèt sint specialia, includuntur tamen in aliis præceptis, vel quia omnia reducuntur ad ipsa tanquàm ad finem; vel quia includuntur in omnibus, tanquàm principia in conclusionibus, quæ potiùs in sua virtute conclusiones includunt. Qui ergo peccat mortaliter, peccat utique contra præceptum Charitatis, sed non ideò duo peccata committit, quia præceptum, in quod peccat, est quædam determinatio præcepti Charitatis: sicut qui die festo operi servili incumberet, non committeret duo peccata; alterum, quia non sanctificat festum, & alterum, quia operi servili incumbit; quia hoc est pars illius.

Ex hoc autem non sequitur, quòd sicuti omnia peccata sunt contra ipsam Charitatem, ita omnia bona debent esse ex ipsa. Ratio discriminis est, quia illa opponuntur præcepto negativo jam explicato, quod obligat ad semper; hæc autem cadunt sub præcepto positivo, quod non ad semper obligat, ut ex supradictis patet. Unde idem S. Th q. 23. cit. art. 7. resolvit posse dari veram Virtutem sine Charitate, secundùm quòd Virtus ordinatur ad aliquem finem particularem; cui doctrinæ, quia viderentur contraria quæ habet in resp. ad 1. & 2. nota aurea verba Cajet. sic dicentis: *In eodem art. tàm in resp. ad 1. quàm in resp. ad 2. cave nè fallaris ex eo; quod dicitur, scilicet sine Charitate deest debita ordinatio ad finem ultimum; si namque debita ordinatio deficit, actus non solùm est imperfectus, sed malus: privatio siquidem boni debiti malum constituit. Cave inquam, quoniam non est sermo de ordinatione debita actui, ad hoc quòd sit bonus moraliter, sed ad hoc quòd sit bonus simpliciter, idest ad vitam æternam. Et propterea hujusmodi privatio, non constituit actum malum moraliter, sed non bonum simpliciter. Et pro tempore, quo obligat præceptum Charitatis, constituit etiam malum: privatio siquidem boni debiti, quando, sicut, &c. oportet, constituit verè rationem mali.*

29 Remanet igitur inquirendum: quando non obliget præceptum Charitatis, prout præcipit actum positivum dilectionis Dei, & quando peccet homo speciali peccato contra Charitatem, omittendo dilectionis actum: suppono namque ex D. T. aliquando committi peccatum contra hoc præceptum; ut patet ex his, quæ habet 1. 2 loco cit. dicens: *Unde qui honorat Patrem, licèt non habeat Charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, & si sit transgressor præcepti, quod est de actu Charitatis.* Ubi loquitur de præcepto dilectionis Dei, hic enim est Charitatis actus. Et ibid. ad 2. clarè innuit, præceptum eliciendi actum dilectionis Dei, aliquando obligare, & aliquando transgressionem posse contingere hujus præcepti, ut patet verbis superiùs relatis. Præter tempus igitur à me probabiliter assignatum suo loco, aliud tempus colligendum videtur ex D. Th. quod sequentibus conclusionibus explicabo.

30 Dico 1. Tenetur homo, ex vi præcepti Charitatis, permanere, & perseverare in Charitate, non recedendo ab amicitia Dei; non quidem propter alia opera facienda; sed propter ipsam Charitatem, ut semper in amicitia Dei permaneat.

Probatur ex S. Script. nam Joann. 15. præcepit Dominus: *Manete in dilectione mea*: quod quidem est distinctum præceptum ab eo, quod tradiderat de actu dilectionis, cum dixerat: *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* & cap. 14. ait: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Super quæ verba, lect. 5. sic ait S. Th. *Ergo qui sic habet mandata Dei, aliqualiter servat ea, sed adhùc imponitur ei, ut servet perseverando: unde dicit Aug. qui habet in memoria, & servat in vita, qui habet in sermonibus, & servat in moribus, qui habet audiendo, & servat faciendo, qui habet faciendo, servat perseverando, ipse est qui diligit me.*

Probatur etiam ratione. Quilibet tenetur non peccare, & Legem servare sed hoc ipsum importat in Charitate permanere, & ab amicitia Dei non recedere; ut patet tùm ex verbis adductis, Joann. 14. & etiam Joann. 15. ubi dicitur: *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Super quæ verba lect. 2. ait S. Th. *Hic ostendit, quid sit manere in ejus dilectione, & primò ostendit quòd hoc est servare ejus mandatum, &c. Dicit ergo manete in dilectione mea, & hoc facietis, si præcepta mea servaveritis, sic enim manebitis in dilectione mea.* Ergo quilibet tenetur in Charitate permanere, & ab amicitia Dei non recedere.

31 Dixi tamen: non quidem, propter alia opera facienda, sed propter ipsam Charitatem, quia cum Charitas sit finis præcepti, non est per se ad alia ordinata. Tùm etiam quia, si permanere in Charitate esset necessarium propter alia opera facienda, necessaria esset in omnibus operibus nostris habitualis ordinatio Charitatis in Deum, sicque ea, quæ fiunt à peccatore, cum fiant sine hac habituali ordinatione, non solùm, non essent meritoria, sed essent demeritoria, non quidem ex vi ipsius operis, sed quia concomitanter peccaret, omittendo hanc habitualem ordinationem, quod esse inconveniens supra dixi. Nec obstant illa verba supra relata D. Th 2. 2. q 44. art. 4. ad 2. in quibus videtur velle habitualem ordinationem Charitatis, nam ibi loquitur de habituali ordinatione ipsius hominis, non operum ejus, dicit enim: *Ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur; ita scilicet quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat.* Quod importat negationem eorum, quæ sunt contra Legem Dei: non positionem alicujus ordinationis in Deum, in his, quæ non sunt contra Legem Dei.

32 Ex quibus patet hominem non peccare duplici peccato , etiam quando primò Charitatem amittit , altero contra præceptum speciale , quod transgreditur , & altero contra præceptum servandi habitum Charitatis , hoc enim est generale mandatum , quia includitur in omnibus præceptis , nec ponit in numero cum eis , quantùm ad multiplicationem peccati , ut ex supradictis patet ; aliàs ratio aversionis, & conversionis constituerent duo peccata .

33 Dico 2. Toties tenetur homo actum positivum dilectionis Dei elicere , quoties id necessarium fuerit pro conservatione habitus Charitatis , & amicitiæ Dei , & toties peccabit , quoties hunc actum tunc temporis omittet.

Hæc conclusio supponit necessarium fore actuum exercitium pro conservatione habitus Charitatis ; quod quidem duplicem sensum habere potest . Uno modo , quia Charitas in sui conservatione dependeat ab actibus , sicut habitus acquisiti , qui per cessationem ab actu corrumpuntur , non quidem extinctu , sed marcore , ut loquitur Arist. quia nempè senescunt, & per absentiam causæ conservantis pereunt , & in hoc sensu falsum est Charitatem in sui conservatione ab actibus dependere ; est enim habitus infusus, à Deo dependens tanquam à causa , tàm in sui productione , quàm in sui conservatione . Alio modo , ut intelligatur , quòd per cessationem ab actu diminuitur Charitas indirectè , per hoc quòd refrigescit subjectum habens Charitatem , per cessationem ab actu , & disponitur ad corruptionem ipsa Charitas , ut dixit S. Th. 2. 2 q. 23. art. 10. in corp. *Potest tamen indirectè dici diminutio Charitatis , dispositio ad corruptionem ipsius , quæ fit , vel per peccata venialia , vel per cessationem ab exercitio operum Charitatis*. Et hoc ideò, quia debilitantur vires , ut contrario agenti , nempè motivis inducentibus ad peccatum mortale resistere possit , unde facilè ab eis superari potest , sicque Charitas amittatur : unde idem S. Th. ibid. art. 11. in corp. ait ; *Unde quando actu in Deum non fertur , potest aliquid occurrere , per quod Charitas amittatur*. Et ad 4. sic inquit : *Charitas secundùm rationem sui actus excludit omne motivum ad peccandum ; sed quandoque contingit quòd Charitas actu non agit , & tunc potest intervenire aliquod motivum ad peccandum , cui si consentiatur , Charitas amittitur*. In hoc igitur sensu necessarii sunt actus dilectionis Dei pro conservatione habitus Charitatis , ut homo in Charitate permaneat , & ab amicitia Dei non recedat , & hæc necessitas , cum non ordinetur ad aliud extra lineam Charitatis , sed ad ipsam Charitatem , non incongruit actibus Charitatis; qui sunt actus ejus, quæ est finis præcepti . Hoc supposito.

34 Probatur Conclusio . Certum est extare præceptum eliciendi actum Charitatis , & per se aliquando obligare , non ratione alterius , ut Propos. 7. probatum est : certum quoque est præcepta positiva obligare quoties necessitas urget ; sed conservatio habitus Charitatis est necessaria necessitate præcepti , ut probatum est : & ad ipsius conservationem est necessaria actuum Charitatis exercitatio modo explicato : ergo præceptum dilectionis Dei obligat toties , quoties id necessarium fuerit pro conservatione habitus Charitatis .

Confirmatur . Præceptum de fine , implicitè claudit præceptum eorum , quæ sunt necessaria ad finem ; sed conservatio Charitatis est in præcepto , ut probatum est , ergo in hoc præcepto includitur præceptum faciendi quicquid est necessarium pro conservatione Charitatis . Atqui ad conservationem Charitatis est necessaria exercitatio actuum ejusdem , quando ex eorum cessatione adeò refrigescit , ut minuantur vires ad resistendum contrario agenti, quod

ti, quod est dispositio ad ejus corruptionem: ergo tunc est in præcepto actum dilectionis elicere. Major communiter admittitur, eamque inductivè possem probare. Traditur à S. Th. 2. 2. q. 32. art. 5. in corp. ubi de dilectione Proximi sic ait. *Cum dilectio Proximi sit in præcepto, necessè est omnia cadere sub præcepto, sine quibus dilectio Proximi non conservatur*. Reliquæ propositiones ex dictis constant. Non oportet autem tempus præfigere, sed unusquisque sibi consulat, quantùm satis sibi esse cognoscit.

35 Objicies 1. contra hanc secundam Concluf. authoritatibus S. Script. adductis pro prima Concluf. in quibus, præceptum Charitatis servari asseritur per hoc, quòd mandata Dei serventur. Hoc etiam docuit S. Th. 2. 2. q. 44. art. 4. ad 2. ubi explicans, in quo consistat præceptum dilectionis Dei, dicit: *Ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*. Et ex authorit. jam adducta Apost. ubi per observantiam præceptorum, quæ sunt circa Proximum, probat diligi Proximum: ergo præter observantiam Legis, non oportet aliquem actum dilectionis elicere.

Hanc sententiam, quam probare intendit argumentum docuit P. Joann. Henriq. citatus a Lumbier Observ. 20. num. 685. Resp. tamen, quòd dum in prædictis locis fit mentio de observantia præceptorum, etiam includitur præceptum actus dilectionis, quod, & in Lege veteri, & in nova jam fuerat promulgatum, & adeò commendatum, ut Dominus dixerit. *Hoc est maximum, & primum mandatum*. Unde per observantiam mandatorum non excluditur necessitas eliciendi actum dilectionis Dei. Et ex supradictis jam constat D. Th. hoc speciale præceptum statuisse, ut contradistinctum a negativo nihil faciendi contra Legem Dei.

36 Ob. 2. Si ideò est in præcepto, elicere actum dilectionis Dei, quia per ejus cessationem disponitur Charitas ad corruptionem, etiam esset in præcepto, sub mortali obligante, vitatio peccatorum venialium, sed hoc est absurdum: ergo, &c. Seq. prob. nam per multiplicationem venialium etiam refrigescit Charitas, & disponitur ad corruptionem, ut patet ex adducta authoritate S. Th. ergo si hæc est ratio, quare teneatur sub mortali ad eliciendum tunc actum Charitatis, etiam esset ratio sufficiens, quare teneatur sub mortali ad vitanda venialia.

Resp. negando Sequ. ad cujus probationem dico, disparem esse rationem; nam dispositio ad corruptionem per venialia est reparabilis per ipsum actum Charitatis, qui retractat venialia, ac dispositionem ad corruptionem per illa inductam expellit: at dispositio ad corruptionem per cessationem ab actu, non potest per aliud expelli, & fervor Charitatis reparari nisi per ipsum actum dilectionis: unde hic est simpliciter necessarius pro conservatione habitus, non autem vitatio venialium.

37 Dices dupliciter 1. Potest per orationem conservatio habitus obtineri, & contrario agenti resisti: ergo non est simpliciter necessarium actum dilectionis elicere pro habitu conservando. Antec. patet ex praxi piorum hominum: 2. Si toties oporteret actum dilectionis elicere, quoties id est necessarium pro habitus conservatione, necessarium esset semper in actuali dilectione manere, nam ut ait S. Th. supra relatus: *Quandoque contingit, quòd Charitas actu non agit, & tunc potest intervenire aliquod motivum ad peccandum*. At hoc non est possibile viatori, sed est perfectio Patriæ, ut ait idem S. D. ergo.

Resp. ad 1. Quòd si oratio ordinetur ad hunc finem conservandi habitum Charitatis, ab ipsa Charitate imperatur; actus autem imperatus, licèt spe-

cificativè sumptus sit actus Virtutis, à qua elicitivè procedit; reduplicativè tamen, ut imperatus non specificatur ab objecto, ad quod immediatè tendit, sed à motivo, quod est objectum Virtutis imperantis, estque actus illius. Oratio igitur, ut imperata à Charitate, ab objecto ipsius specificatur, & reduplicativè ad Charitatem pertinet; quamvis specificativè sit actus Religionis.

Ad 2. nego Sequ. ad cujus probationem dico, quòd licèt quando Charitas actu non agit, possit intervenire aliquod motivum ad peccandum, si tamen Charitas non est in via ad corruptionem per diuturnam cessationem ab actu, suppetunt vires ad illud motivum vincendum: unde non ideò tenetur homo actus Charitatis elicere, nè detur locus insurgendi motivis peccandi, sic enim, semper oporteret in actuali Charitatis exercitio permanere; sed ad hoc, ut in suo robore permaneat Charitas, ad insurgentia motiva vincenda, ad quod sufficit, nè diuturno tempore actus Charitatis omittantur. Hos autem plùs, minùsve repetere oportet, prout diversitas applicationis, & status exigit: ab implicato namque negotiis sæcularibus frequentiùs opus est actus Charitatis repeti; cum ea divertant à Deo. Ab applicato verò meditationi, lectioni sacrorum librorum, prædicationi, similibusque piis operibus, non adeò frequenter, quia cum hi actus, in piis viris, regulariter imperentur à Charitate; eorumque exercitium in suo robore Charitatem retineat; non disponitur ad corruptionem, nec diminuitur per cessationem ab actu formali dilectionis.

38 Dices tandem. Videtur, præceptum Charitatis, hoc modo explicatum, incongruè poni: nam solos Justos obligaret, non peccatores, qui è Charitate exciderunt.

Resp. quòd pariformiter ad Justos, etiam obligat peccatores: nam sicut tenemur Jus Divinum illæsum servare, non peccando, ita, & læsum, quò ad fieri potest, per Pœnitentiam raparare: ex quo colligit S. Th. præceptum Contritionis. Ita pariter, sicut tenemur Dei amicitiam conservare; ita, & per peccatum amissam, tenemur recuperare; sicque ex vi præcepti Charitatis, tenetur peccator actum dilectionis elicere ad habitum recuperandum, & iterùm cum Deo amicitiam ineundam: Unde S. Th. q. 23. de Verit. art. 7. ad 7. ait: *Quilibet tenetur quantùm in se est ad Charitatem habendam, & si non facit quod in se est, peccat peccato omissionis.* At quia in nova lege, præcepto Contritionis successit Sacramentum Pœnitentiæ, quod cum sola Attritione justificat; potest per hoc Sacramentum, in Dei amicitiam redire: sicque ex hoc præcisè capite non tenetur peccator determinatè actum dilectionis elicere, sed indeterminatè, vel actum Charitatis, seu Contritionis elicere; vel ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere.

39 Sed meritò quæris: an ad recuperandam Dei amicitiam, in quolibet instanti teneatur, itaut toties omittens actum Charitatis pro ipsa acquirenda, quoties potest, multoties peccet?

Ad hoc respondeo, non teneri in quolibet instanti, nec toties peccare, quoties potens id præstare, omittit; sicut etiam dicitur de actu Contritionis: & tamen non minùs tenetur Jus Divinum læsum reparare, quàm Dei amicitiam requirere. Tenetur igitur tunc, quando imminet necessitas aliquid faciendi, quod sine Charitate facere non potest; ut in sententia Scoti, quando singulis diebus Dominicis, tenetur ad actum amoris Dei, ex vi præcepti Charitatis; vel saltem, aliquo cujuslibet hebdomadæ die, ut probabile suo loco reputavi: vel in die festivitatis, in qua aliquod Divini amoris mysterium

ſterium recolitur; ut ibidem probabile dixi, in periculo, vel articulo mortis, &c. quæ tempora per hunc modum dicendi non excluduntur, ſed aliud ſuperadditur. Ratio eſt, quia præcepta affirmativa non obligant ad ſemper, licèt ſemper obligent; ſed quando neceſſitas urget, ſicut etiam dixi de Juſto, non teneri, niſi quando neceſſitas urget habitum Charitatis conſervandi; ita tunc tenetur peccator, quando neceſſitas urget habitum recuperandi. Hoc docuit S. Th. loco cit. de Verit. poſt verba poſtremò relata, ſubdens, *Non tamen oportet, quòd in quolibet inſtanti, in quo non facit, peccet, ſed tunc tantùm, quando facere tenebatur, utpotè, cum ei neceſſitas imminebat aliquid faciendi, quod ſine Charitate facere non poteſt, ut Sacramenta accipere*. Ubi nota hæc ultima verba: *ut Sacramenta accipere*: appoſuiſſe S. Doctorem cauſa exempli, non quia hoc unicum ſit tempus, in quo ad Charitatem habendam tenetur, & hoc uſus eſt exemplo, quia clarum eſt tunc temporis teneri.

40 At iterum obmurmurantem audio: hoc modo dicendi ſæpius obligari Juſtos, quàm peccatores ad actum amoris Dei eliciendum, frequentiùs enim contingit neceſſitas repetitionis actuum, pro habitu conſervando, quàm neceſſitas aliquid faciendi, quod ſine Charitate fieri nequit: cum etiam admiſſis illis probabilibus opinionibus, æquè tunc Juſti, ac peccatores teneantur.

Reſpondeo: rem ita eſſe; nec mirum; nam divites ad dandam eleemoſinam tenentur, non pauperes: & potiùs quàm iſti abſtinere ab opere ſervili die feſto obligantur. Deobligantur infirmi ab audiendo ſacro, non tamen benè valentes. An ideò hoc oneris eſt divitibus, & benè valentibus, & quærimonias effundent, quare illi excuſentur? Sicut igitur opibus, & valetudine illa onera compenſantur, ita facilitate, delectatione, ac merito, quibus Juſti in illis eliciendis actibus afficiuntur, onus (jucunditas potiùs, ac ſuavitas) illius præcepti compenſatur.

Concludamus igitur præter tempora, ſupra probabiliter aſſignata, teneri hominem ad eliciendum actum Charitatis, quoties eſt neceſſarius in Juſto pro conſervatione habitus Charitatis, qui per ceſſationem ab actu, cum tepeſcat, diſponitur ad corruptionem, ideſt facilè vinci poteſt à contrario agente, & hoc eſt ex vi ipſius præcepti Charitatis, non ex vi aliorum præceptorum; unde optimè proſcripſit Alexander VII. Propoſ. 1. ſententiam aſſerentem hominem non teneri ad actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum ad eas Virtutes pertinentium, & Innoc. XI. illam aliam aſserentem. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus*. Sic enim obligaret ratione alterius præcepti. Neque mea ſententia coincidit cum aſserentibus, tunc teneri elicere actum Charitatis, quando urgeret tentatio, quæ ſine actu Charitatis vinci non poſset nam non ajo teneri, quando inſtat tentatio, ſed quando Charitas eſt in via ad corruptionem; & propter ipſius conſervationem: ex quo tanquàm effectus ſequitur tentationum victoria. Cum igitur hæc neceſſitas ſæpiùs urgeat, ut experientiæ conſtat, optimè damnatæ ſunt illæ Propoſitiones, quæ vel ſemel tantùm in vita, vel nè ſingulis rigoroſè quinquennis, per ſe obligare ajebant Charitatis præceptum. Super hoc autem efficaciſſimè, nè dicam evidenter, diſcurriſse arbitror, & ſi alicui rigida videatur doctrina, ſaniori tamen judicio ac Eccleſiæ ſententiæ libenter meum ſubmitto ſenſum.

41 In eadem obſervat. 7. num. 182. ubi ſermo eſt de comedere, & bibere; & de uſu conjugii, ob ſolam voluptatem: vult indè non inferri idem dicen-

dum

dum de aliis quibuscumque delectationibus; unde remaneat in suo robore opinio de actu indifferente in individuo. At licèt fatear opinionem de actu indifferente in individuo non explodi; quia hæc præscindit à quocumque fine; valdè tamen probabile existimo cæteras quascumque humanas actiones, constituentes sibi finem in delectatione, ob paritatem rationis damnatas manere implicitè, in illis duabus Propositionibus; unde rationes, quas ibi adduxi ad expugnandas illas, æquè, ac pro reliquis militant.

Frivolæ autem sunt responsiones, quas ipse adhibet: dum enim ait: hominem operantem propter delectationem moderatam, non operari ritu bruti, sed juxta gradum homini, & bruto communem: videtur mihi clarè concedere in secunda parte, quod negat in prima. Quis namque est gradus homini, & bruto communis, nisi gradus sensitivus seù animalis? Si ergo operatur juxta hunc gradum, operatur ritu bruti, idest non secundùm id, per quod à bruto secernitur; quod indecens est actioni humanæ, & deliberatæ, & vitium hominis, ut ibi ex S. Aug. inculcavimus. Si ergo ipsi non constat de præcepto in oppositum, ut ait, prohibente operationem propter delectationem moderatam; mihi constat ex præscripto naturæ, quæ hominem docet non prætermittendum rationis ductum in actibus deliberatis, qui sunt actus humani, in quantùm homo est; ac proindè debent regulari ab eo, per quod in esse hominis constituitur, nempè à ratione, & si in re cum gradu sensitivo conveniant: nonnè indecens est actum à ratione imperatum irrationabilem esse? rationem imperantem, rationis regulas prætermittere? Quis quæso Regem in actibus ipsis regiis plebejè se gerentem non parvi faceret? Ex quo patet constare de lege naturali prohibente delectationes appeti tanquàm finem ab homine, quia ipsa instituit delectationes propter operationes, ut ex S. Th. Seneca, ac S. Aug. suo loco retulimus: unde cum in medio reperiatur ratio utilis, & ratio delectabilis, non est quippè malum delectationem appetere: at non separando a ratione utilis, quæ per se medio competit, sed ea utendo propter finem assequendum: malum autem est in illa sistere tanquàm in fine; ex hoc namque medium converteretur in finem, quod est naturæ ordinem invertere: & teste D. Aug. *Omnis humana perversitas est uti fruendis, & frui utendis.*

42 Id quod eadem observat. 7. §. 4. num. 190. videtur à doctrina à me tradita, Propos. 13. num. 5. contra rationem à Tambur. assignatam, discrepare prima facie; non tamen in re dissonat: non enim est intelligendus, tristitiam, vel gaudium specificari à motivo, seu fine operantis, non *ab objecto* volito; nam oppositum docet num. 194. in resp. ad arg. *contrariæ sententiæ*; sed est intelligendus juxtà à me dicta num. *6.* quia scilicèt motivum refundit bonitatem, vel malitiam in objectum, quod proindè specificat actum, ut sic malitia vel bonitate indutum, quandò motivum est talis conditionis, ut objectum honestare valeat; objectumque est capax honestatis ex circumstantiis, cum non est adeò intrinsecè malitia affectum, ut eam nullatenùs deponere queat, pro quo etiam facit id, quod affert num. *196.*

43 Pro quo notanda est alia doctrina, quam habet num. 198. quæ maximè conducit ad intelligentiam ejus, quod dixi Propos. cit. num. *6.*

Sciendum igitur est duo esse genera intrinsecè mali, aliud est malum ex inclusione malitiæ, quod scilicèt ita in se includit malitiam, ut ex nulla circumstantia honestari possit, neque jussu Dei reddi licitum; immò impossibile est à Deo præcipi, hujusmodi est mendacium; odium Dei, &c. aliud est per se malum non ex inclusione malitiæ impræscindibilis, sed quia ex genere

nere suo habet imperfectionem, & informitatem, à qua tamen ex aliquo adjuncto potest exui, & depulcrari. Homicidium est intrinsecè malum secundi generis, quia secundùm se dicit imperfectionem, & informitatem, qua tamen spoliatur, si exercetur ab habente potestatem, & Justitiæ legibus servatis, vel si cedit in commune Reip. bonum, vel si à Deo imperetur, cujusmodi extant in S Scriptura plura exempla, etiam eorum, qui à suicidio excusantur, quia id fecerint ex Dei instinctu. In casu igitur, quo quis lætatur de morte alterius, vel tristatur de ejus vita, vel ei mortem optat, quandò justè ab habente potestatem illi mors posset infligi, ut docui ex Cajet. ibi: illud objectum, nempè mors specificat actus gaudii, desiderii, &c. at prout in illis circumstantiis malum non est, sed informitate, & imperfectione exutum, ac depulcratum; unde motivum concurrit, ut circumstantia honestans objectum: ac proindè ab eo aliquoties desumitur bonitas objecti.

In hoc igitur consistit discrimen inter nostram doctrinam, & illam Tambur. Castropal & aliorum ibi relatorum: quòd illi velint, quamvis obiectum sit malum, actum non specificari ab ipso, sed à motivo, quod est bonum, & sic in omni casu, quo adesset motivum bonum, isti actus essent boni: unde posset quis complacere de omnibus flagitiis à se perpetratis, non quia talia, sed quia indè aliquod emolumentum, & utilitatem percepit. Sic de fornicatione, perjurio, infamatione, & similibus: (quia ut obiectum complacentiæ, sunt objectum actus inefficacis) quod est absurdum. Nos autem volumus, etiam actus illos specificari ab objecto, non à motivo: at in casu, quo objectum ex adjunctis circumstantiis est denudabile à malitia, potestque honestari, actus circa ipsum ut sic versans, non erit illicitus: actus verò erga objectum nullatenùs à malitia denudabile, etiam si sit inefficax, & motivum sit bonum, ut gaudium de mendacio præterito, etiam si ex eo orta sit salus animæ; & propter hoc motivum, nequit licitus esse. Licitum tamen esse potest gaudium de salute animæ sequuta, quia hæc esset objectum specificativum illius actus, quæ est aliquod bonum, quamvis ex prava causa originem traxerit. Hæc benè nota, non enim absre iterum conatus sum explanare.

44 Ab eo, quod observat. 9. § 3. num. 303. refert ex Leandro, doceor modificare id, quod asserui Propos. 34 num. 2. ubi dixi licere indirectè, & per accidens abortum procurare, etiam fœtus animati. Sic inquam prædictum assertum est limitandum, ut intelligatur, attento naturæ ordine: attamen attento ordine gratiæ, ob salvandam animam fœtus non licere. Hoc autem contingere potest, quando certò moraliter constat, quòd si mater moriatur, poterit infans extrahi, & aqua Baptismi ablui. Ratio desumitur ex doctrina S Th. à me pluries in hoc opusc. relata: nempè ad subveniendum saluti spirituali Proximi in extrema constituti necessitate, teneri quemlibet ex Charitate vitam corporalem exponere, plùs enim diligenda est salus animæ alterius, quàm corpus proprium: at in eo casu versatur proles in extrema necessitate salutis spiritualis, & privationis Gloriæ, ergo licèt mater aliàs habeat jus conservandi propriam vitam, & si indè per accidens sequatur mors innocentis, debet huic juri cedere, & salutem spiritualem illius animæ, propriæ vitæ corporali præferre.

Notanter autem dixi, quando certò moraliter constat, non enim tenetur privari jure tuendi propriam vitam pro bono incerto alterius spirituali: sic enim damnum pateretur sine alterius profectu, vel saltem nimis dubio.

45 In

45 In eadem observat. 7. num. 299. affert casum, quo fœmina manserit gravida ex vi inevitabili, quam ei vir intulit, nec appareret via, ut de violentia constaret, videtur tunc abortum posse procurari, quæ est unica via pro tuendo suo honore, aitque videri id non fore contra condemnationem, nec contra rationem. Mihi tamen videtur fore contra rationem, & ex paritate rationis ad eum casum extendi condemnationem. Quòd enim hæc invita passa sit hanc infamiam, non tollit malitiam repertam in abortu; quæ non aliter excusari potest, nisi quia per accidens sequatur: in præsenti autem directè intenderetur, unde ex doctrina à nobis tradita Propos. 30. num. 1. & 2. ac 7. evidenter colligitur non esse licitum in hoc casu procurare abortum, etiam si sit fœtus inanimati, cum sit homo in via, sicut non licet directè intendere mortem alterius, ob propriam defensionem, ut latè loco cit. explicuimus. Immò hic casus mihi videtur comprehensus in 30. Propos. damnata qua dicitur. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Si enim fœtus debet dici invasor, cum aliud non faciat nisi inferre ignominiam, quæ est idem effectus, ac ille sequutus ex calumnia, etiam si aliter hæc vitari nequeat, illicitum erit abortum procurare. Tùm etiàm quia, licèt vir fuerit violentus aggressor, & injustus, tamen fœtus indè sequutus est innocens, at non licet directè occidere innocentem ad tuendam propriam vitam, quamvis si ex defensione propriæ vitæ, per accidens sequatur mors innocentis non sit culpabilis, qui jure defensionis utitur, ut tradit Tapia ab ipso citatus; ex quo nititur suam sententiam confirmare.

Nec valet argumentum, quod adducit, sic dicens, tunc semen tanquàm viri instrumentum, aut virtus est aggressor injustus, & violentus castitatis fœminæ; sed juxtà communem Theologorum doctrinam potest fœmina injustum suæ castitatis aggressorem occidere: ergo etiam fœtum inanimatum.

Non inquam valet. Tum quia, semen transacta violentia actuali viri, non est aggressor castitatis, jam enim castitas fuit violata, sivè sequatur conceptio fœtus, sivè non, nec per abortum recuperatur, unde non remanet locus defensioni tanquam contra aggressorem castitatis, sed solùm tanquàm contra aggressorem honoris, qui ex effectu sequuto periclitatur, & actualiter videtur persistere. Vel igitur licitum est abortum procurare, ratione, qua fœtus est substitutus illius, qui fuit aggressor castitatis, & hoc modo coincidit cum illo, qui post impactam alapam fugit, quem non licèt insequi ad repercutendum, nam licèt iste perseveret, non tamen perseverat ut castitatis aggressor, quare perinde est, ac si fugerit secundùm hanc rationem: vel tanquâm contra invasorem honoris, & sic est similis ei, qui nititur calumniam inferre, quem non est licitum occidere, etiam si aliter ignominia vitari nequeat.

Tum etiam quia. Ideò licet violentum, & injustum castitatis aggressorem occidere, quia directè actio illa est defensiva, & de se tendens ad repellendum aggressorem; sicut dixi de aggressore vitæ, ex quo per accidens, & præter intentionem sequitur mors invasoris, In præsenti autem directè intenditur ejectio fœtus, ad ejusque interemptionem tendit actio, quamvis sit ordinata ad finem propriæ defensionis, quod esse illicitum ex SS. Th. & Aug. ibi ostendimus. Etiam constat ex Propos. 18. inter damnatas ab Alexander VII. quæ sic habet: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest*

test innocens damnum evitare. Et tamen in hoc casu esset ad propriam defensionem (nec alia patet via) mors illorum ordinata. Ex quibus cônjice, semper oculos fixisse Summos Pontifices ad extirpandam doctrinam de occisione per se intenta, licèt ad propriam defensionem ordinata tanquàm medio; non enim aliundè illicita reddi poterat occisio in dicta Propos. notata, non enim injustum est se defendere ab injusto aggressore, vel vitæ, vel bonorum, circa quæ ferri potest iniqua sententia; neque quia deesset moderamen inculpatæ tutelæ, nam dicitur: *Si alia via non potest innocens damnum evitare*. Ex quo igitur capite illicitum est? certè non aliundè, nisi à modo assignato.

46 Ex his patet ad casum huic affinem ab ipso Lumbier adductum num. 300. quem non audet decidere, talisque est, fuit quorumdam doctorum hominum consultatio, qui jamdiù consulti, an esset licitum medicinali aliquo potu abortum procurare in quadam Religiosa, alioquin maxima Dei serva, cum qua Dæmon violenter congresum habuerat, & medicorum judicio signa graviditatis apparebant, & resolverunt affirmativè; quia sic graviditas erat injustus aggresor, & violentus castitatis illius; quod speculativè probabile videri ait Lumbier. Mihi verò nec speculativè videtur probabile, ob rationes supra adductas, & Summorum Pontificum Decreta, quibus videtur obstare.

47 Ex his quæ habet observat. 15. circa Propos. 57. moveor ad examinandam quæstionem de Sacramento valido, & informi, quod circa Sacramentum Pœnitentiæ de mente S. Th. tuentur tàm Thomistæ, quàm alii. Hujus examen ibi omisi, quia nullum mihi scrupulum attulit, posse hanc opinionem existimari cum illa damnata connexionem habere: in nullo enim casuum, quos recensent Thomistæ, ex defectu supernaturalis Attritionis censent Sacramentum Pœnit. validum fore, sed informe: mihi verò qui in uno dumtaxat casu cum Gonet id admitto, ut infrà explicabo, nec levem attulit suspicionem. Optimè autem, non satis laudatus Lumbier, hujus opinionis de Sacramento valido, & informi cum Propositione prædicta incohærentiam ostendit. Nostrum igitur erit, in quo casu revera admittendum sit Pœnit. Sacr. validum, ac informe, disputare.

48 De mente S. Th. admittentis hoc Sacr. validum, sed informe, sine fundamento quis dubitaret, an hoc admiserit ex defectu doloris supernaturalis, ex quo validum fieret; quamvis fructus non reciperetur, nam ipse perpetuò docuit actus pœnitentis, inter quos est contritio, seù dolor, esse de necessitate Sacramenti, esse partes hujus Sacramenti, esseque de ejus substantia; immò de ejus mente dubitatur, an veram, & perfectam contritionem statuerit pro hujus Sacramenti materia. Nec eum oblitum hujus doctrinæ putes; nam art. immediatè præc. ad illum, quo statuit dari posse Sacramentum validum, & informe; nempè in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. bis eam repetiit. Primò, quæstiuncula 2. ad 1. ubi sic habet.

Ad primum ergo dicendum quòd in Sacramento Pœnitentiæ non solùm est aliquid ex parte ministri, scilicèt absolutio, & satisfactionis injunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit Sacramentum, quod est etiam de essentia Sacramenti, sicut contritio, & confessio, & iterum quæstiunc. 4. in corpore, ubi inquit: *Dicendum quòd alia Sacramenta non consistunt in hoc quod ad Sacramentum accedens aliquid agat, sed solùm, ut recipiat, sicut patet in Baptismo, & hujusmodi: sed actus recipientis requiritur ad percipiendum utilitatem Sacramenti in eo, qui est suæ voluntatis arbiter constitutus, quasi removens, prohibens, scilicèt fictionem: sed in*

Pœni-

Pœnitentia actus accedentis ad Sacramentum est de substantia Sacramenti, eò quod contritio, confessio, & satisfactio sunt Pœnitentiæ partes, quæ sunt actus pœnitentis. In quibus verbis assignat discrimen inter Pœnitentiam, & Baptismum quare scilicèt hic possit esse validus, & informis ex defectu dispositionis in suscipiente, non autem Pœnitentiæ Sacramentum; quia scilicèt ad hoc actus pœnitentis sunt necessarii, ut partes, non ut dispositio ad utilitatem Sacramenti tantummodò. Quare quandò S D. ait posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, nequit intelligi, ut hoc eveniat ex defectu contritionis, vel attritionis supernaturalis, quæ per ipsum est actus requisitus ad substantiam Sacramenti, ejusque pars; nullum enim Sacramentum potest consistere, & esse validum sine eo, quod ad ejus substantiam requiritur.

49 Quamvis autem Scotus asserat essentiam Sacramenti Pœnitentiæ consistere in absolutione, actus verò pœnitentis, esse requisita; non est intelligendus de requisitis ad recipiendum fructum Sacramenti, sicut in Baptismo, aliàs etiam sine hujusmodi actibus, scienter, & culpabiliter omissis consisteret validè Pœnitentiæ Sacramentum, quod est contra Trid. *sess.* 14. statuentem requiri ad integritatem Sacramenti: sed est intelligendus de essentia metaphysicè accepta, quæ consistat in absolutione; adeò ut non excludat actus pœnitentis, vel à requisitis essentialibus; vel à partibus integralibus Sacramenti Pœnit. quemadmodum omnes admittimus de essentia physica Beatitudinis formalis esse non solùm actum intellectus, sed etiam voluntatis; quamvis deinde controversia sit, in quonam ex illis essentia metaphysica consistat: asserentibus Thomistis in actu intellectus, Scotistis verò in actu voluntatis, quapropter hæc difficultas de Sacr. Pœnit. valido, & informi, etiam in schola Scoti locum habere potest.

50 Conformiùs tamen ad Trid. est, actus pœnitentis esse materiam hujus Sacramenti, quàm requisita; licèt enim cap. 6. sess. 14. dicat: *requiruntur*: tamen paulò ante dixerat: *sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur:* ubi, ut patet ly (*requiruntur*) debet intelligi conformiter ad contextum; scilicèt tanquàm materia, & tanquàm partes. Et can. 4 dicitur. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ; scilicèt contritionem, confessionem, & satisfactionem, & tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* Ubi explicat in quo sensu requirantur, videlicèt tanquàm materia, non ut merè requisita. Et quamvis ibi dicatur, *quasi materia* hoc non est ad excludendam veram rationem materiæ, sed quia non est materia ab extrinseco apposita, ut in cæteris Sacramentis, ut dicitur in Cathechismo Rom. de Pœnit Sacr. num. 14. ubi sic habetur: *Non ideò hi actus, quasi materia, à Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habent, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, Chrisma in Confirmatione.*

51 Maneat igitur Attritionem supernaturalem, non solùm requiri ad fructum in Sacramento Pœnit. sed etiam ad validitatem, undè Propositio asserens sufficere Attritionem naturalem modò honestam, est falsa tàm si intelligatur de sufficientia ad validitatem, quàm quò ad fructum.

Huic

Huic autem non conformantur Thomistæ afferentes posse dari Sacram. Pœnit. validum, & informe; nam nunquàm recurrunt pro validitate ad Attritionis supernaturalis defectum, quæ sufficiat pro valore, non autem pro fructu: sed semper retenta pro validitate, necessitate doloris supernaturalis, ex alio cap. assignant informitatem, nempè carentiam gratiæ, & remissionis peccatorum, quæ est effectus, fructus, & utilitas Sacramenti, qua si careat est informe. Ad tres namque casus reducuntur illi, qui assignantur à Thomistis, teste Gonet in clypeo Theol. Thomisticæ *tom.* 15. *disp.* 10. *art.* 1. §. 1. quorum primus est quandò contingit aliquem facere confessionem non integram, ex defectu sufficientis examinis, quod tamen pœnitens credit esse sufficiens ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, quamvis non crassa, & affectata, & hoc tenent Ledesma, Nugno, & Candidus; & hunc casum admittit quoque Lumbier, etiam si defectus examinis sit culpabilis num. 517. Secundus casus est, quandò pœnitens habet dolorem supernaturalem sufficientem ad valorem Sacramenti; sed deficit propositum requisitum pro fructu; vel quia, licèt excludat formale propositum peccandi, non tamen virtualem, & implicitam quandam, seu secretam peccandi voluntatem; quod tamen pœnitens non cognoscit: ut affert Gonet ex Joann. à S. Th. vel ut explicat Lumbier, num. 519. quia non adest propositum explicitum non peccandi in futurum, quia distrahitur circa futurum, licèt sit dolor efficacissimus de objecto præterito cum ipse asserat non sufficere propositum virtuale pro fructu Sacramenti, quamvis pro validitate sufficiat. Vel denique, quia propositum non est ita efficax, ut sufficiat pro fructu, sivè id pœnitens ignoret invincibiliter, sivè vincibiliter; cum hac differentia, quòd si ignorantia est vincibilis, mortaliter peccat: secùs verò si invincibilis foret.

Tertius casus, qui tantùm admittitur à Gonet, & à Philippo à SS. Trinitate; quem quoque Suar. tradidit, est, quando Attritio non est generalis, idest ex motivo generali turpitudinis peccati in genere; atque adeò non se extendit ad peccata ex oblivione naturali, & inculpabili pœnitentis omissa in confessione. Ex. Gr. quis habens quatuor peccata lethalia, perjurium, furtum, homicidium, & adulterium, solùm tria explicat in confessione, & de ipsis dolet ex motivo particularis deformitatis eorum: quartum verò ex oblivione naturali, & inculpabili non confitetur, nec de illo dolet, quia existimat illud non commisisse.

Constat igitur: casus, in quibus per Thomistas admittitur Sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe, nullatenùs sub prædicta damnata Propositione comprehendi, nec ullam ea connexionem habere: siquidem illa asserebat sufficientiam Attritionis naturalis: isti verò supponunt dolorem supernaturalem: unde quando S. Th. ait: *Et secundùm hoc, confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus.* Non est intelligendus, quia revera dolorem non habeat, sed quia non habet dolorem de omnibus peccatis, etiam de illo inculpabiliter oblito, quia ad illud non extenditur dolor, ut dicitur in tertio casu, quem solum ego admitto: pro quo astruendo.

Dico 1. Confessionem non esse validam, & informem in primo casu, nempè quando quis facit confessionem non integram ex defectu sufficientis examinis.

Probatur. Vel pœnitens inculpabiliter hoc præstat, credens invincibiliter, sufficiens examen suæ conscientiæ præmisisse; vel culpabiliter, & cum ignorantia vincibili, atque adeò mortaliter culpabili: si primum, est Sacra-

cramentum validum, & formatum, ac obtinet remissionem peccatorum: si secundum, tunc confessio non solùm est informis, sed etiam invalida: ergo in illo casu non habetur confessio valida, & informis. Prob. Minor quò ad primam partem: quoniam tunc non ponit obicem gratiæ, & remissioni peccatorum, si quidem inculpabiliter illud peccatum omittit: ergo indirectè ipsi remittitur peccatum omissum. Prob. Conseq. ex Trid sess. 14. cap. 5. ubi dicitur: *Peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universùm, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine.* Quæ mundatio non habetur sine peccatorum remissione: ergo si inculpabiliter peccatum omittit, cum ei non occurrit, indirectè ei remittitur. Et licèt Conc. videatur loqui de peccatis, quæ naturali oblivione è memoria excidunt: eadem tamen est ratio de istis, ac de inculpabiliter oblitis: in utroque enim casu adest integritas formalis confessionis, quæ est essentialiter requisita, licèt desit materialis integritas. Et quamvis ibi dicatur; *diligenter cogitanti*; & in casu nostro sit defectus examinis: tamen cum iste defectus sit ex invincibili ignorantia moraliter est diligens cogitatio: non enim negligit culpabiliter cogitationem, facit namque quantùm scit: & sicut ad plus non tenetur, quia plus non potest, ita qui plus non scit invincibiliter; ex ignorantia enim invincibili oritur impotentia moralis, cum cognitio sit principium operationis. Nec potest dici Conc. loqui de diligenti cogitatione mathematica, non morali; non inquam, nequit namque exigere ab homine plusquàm ejus conditio patiatur: cumque hæc requiratur ob implendum præceptum integritatis, non potest minorem obligationem inducere, quàm ipsa integritas.

Quò ad secundam partem prob. De substantia confessionis est formalis integritas, qua deficiente confessio est invalida: & Sacramentum Pœnit. ob nullitatem unius ex partibus essentialibus, nedùm erit informe, sed etiam invalidum: atqui in casu posito confessio illa non håbet formalem integritatem: ergo est invalida, & consequenter, &c. Major conceditur etiam ab Adversariis. Minor prob. Ad hoc, ut confessio sit formaliter integra, deficiente integritate materiali, requiritur rationabilis causa, quam esse impotentiam physicam, vel moralem, vel grave damnum ipsius pœnitentis, vel proximi, ad quod vitandum obligat Lex naturalis, quæ præponderat præcepto Divino de materiali integritate; communis est DD. consensus; at in casu posito non omittitur illud peccatum ex impotentia physica, vel ob grave damnum, ut constat: neque ex impotentia morali, quoniam ignorantia vincibilis, & culpabilis hanc non inducit; non enim est moraliter impotens, qui moraliter potest vincere, & superare causam, ex qua provenit impotentia; ut est in præsenti, ubi defectus examinis est ex ignorantia vincibili, & culpabili: ergo.

53 Dico 2. Si deficiat propositum non peccandi de cætero, quia interiùs latet aliqua occulta peccandi voluntas, quamvis explicitè adsit exclusio peccandi in posterùm Sacramentum Pœnit. nedùm est informe, sed etiam invalidum.

Prob. Sacramentum nequit esse validum, si desit aliqua ex partibus essentialibus ad ejus constitutionem requisitis; sed Attritio, ut excludens omnem affectum peccati mortalis, est pars essentialis Sacramenti Pœnit. & cum latet aliqua occulta peccandi voluntas non excludit omnem affectum peccati mortalis: ergo in eo casu Sacramentum Pœnit. non solùm erit informe, sed etiam invalidum. Major est apud omnes certa. Minor quò ad primam partem habetur

betur ex Conc. Trid. sess 14. cap. 4. quò ad secundam est manifesta; quoniam omnis affectus peccati exclusio, & inclusio alicuius affectus peccati, sunt termini contradictorii, vel ad minùs contrarii, ac proindè non possunt esse simul.

54 Dices 1. cum Joann. à S. Th. *de Sacramentis disp.* 33. *art.* 4. & cum P. Lumbier Observ. 15. num. 517. & 528. quòd Conc. quandò assignat Attritionem pro parte essentiali Sacramenti Pœnit. solùm loquitur de Attritione, quæ sit supernaturalis: cùm verò addit debere conjungi cum spe veniæ, & excludere omnem affectum peccati mortalis, loquitur de ipsa, ut est dispositio ad fructum Sacr. recipiendum: potest autem haberi Attritio supernaturalis sine conjunctione cum proposito: & tunc sufficiet pro valore Sacramenti, licèt non pro fructu, sicque erit Sacramentum informe.

Contra hanc responsionem instat Gonet. Conc. cap. præc. loquens de partibus in communi assignavit tres: deindè de qualibet in particulari tribus capitibus sequentibus; & primò de contritione, quam divídit in perfectam, quæ contritio simpliciter appellatur, & in imperfectam, quæ Attritio dicitur: ergo non solùm loquitur de Attritione, ut est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam ut est pars intrinsecè illud componens.

Posset responderi cit. Auctores non negare Conc. loqui de Attritione, quæ est, & prout est pars Sacramenti: sed solùm asserere: interea loquentem de ipsa, ut parte, assignasse conditiones requisitas pro fructu: unde ille conjunctio cum proposito est conditio, non pro valore, sed pro fructu, si cum eo conjungatur Attritio, quæ est pars: quare si ab eo separetur, erit quidem pars, sed non dispositio pro fructu. Attamen sic contra hanc responsionem instatur, ex quo radicitùs prima responsio rejicitur.

Dum Conc. loquitur de Attritione ut parte, cur illæ conditiones, quas ibidem subdit non sunt conditiones requisitæ, ut Attritio sit pars, sicut integritas est conditio requisita ad confessionem ut pars est, non ut est dispositio pro fructu? unde nam constat illas conditiones subdere tanquàm necessarias pro fructu, non verò tanquàm conditiones concomitantes Attritionem ut partem esentialem Sacramenti: cum ex tenore verborum potiùs videatur in hoc sensu loqui, quàm in illo? An forsan, quia Conc. post illa verba, subdit: *quo pœnitens adjutus viam sibi ad Justitiam parat?* At hæc quare nequeunt convenire Attritioni quatenùs est pars hujus Sacramenti? cum actus pœnitentis per ipsummet Conc. Trid. ut patet ex verbis relatis num. 24. eatenùs sint pars hujus Sacramenti, quatenùs sunt dispositio ad Gratiam?

Tum etiam quia (est totalis eversio contrariæ doctrinæ) Conc. Trid. post illa verba: *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ* subdit: *Donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum.* Ex quibus verbis colligitur necessitas Attritionis supernaturalis: Tunc sic: hæc supernaturalitas non attribuitur à Conc. Attritioni, nisi ut conjunctæ cum proposito, non verò ut seorsim ab illo: si seorsim ab illo est pars Sacramenti; prout talis non debet esse supernaturalis: etsi ut conjuncta cum illo est dispositio pro fructu; supernaturalitas solùm exigitur, ut Attritio sit dispositio pro fructu sicque dici posset ad valorem Sacramenti sufficere Attritionem prout est dolor de peccatis, à supernaturalitate præscindens: & conjunctionem cum supernaturalitate exposcere, ut sit dispositio pro fructu: quod ipsimet Adversarii negant, ut revera negare debent.

Urgetur: in verbis Conc. per modum conditionalis utrumque conjungitur; dum dicitur: *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, illam non solùm*

non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum. Ergo si non purificatur conditio conjunctionis cum exclusione voluntatis peccandi, & spe veniæ, non erit donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, atque adeò non erit Attritio supernaturalis: & consequenter nec ad valorem Sacram. Pœnit. erit sufficiens. Consequentia sequitur ex lege conditionalis propositionis.

Hinc patet malè Lumbier num. 518. asserere; ibi Conc. distinguere duas attritiones supernaturales, vel potiùs ejusdem unius status duos, alterum conjunctionis, alterum non conjunctionis cum proposito, & illa spe: & in statu conjunctionis lucrandum esse fructum. Malè inquam; nam si Attritio non sit cum illa exclusione voluntatis peccandi conjuncta, & spe veniæ, non est Attritio supernaturalis, ut probavi: unde si distingueret duas Attritiones, alteram in statu conjunctionis, alteram verò in statu separationis; potiùs divideret dolorem in supernaturalem, & naturalem; ac proindè non esset ejusdem unius status duplex. Et quamvis foret Attritio supernaturalis ex motivo, non tamen ex principio, seu auxilio supernaturali, ex quo vera supernaturalitas petitur in actibus nostris, ut dixi de Fide; si quidem non esset donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus.

55 Respondet 2. Joann. à S. Th. quòd licèt ad obtinendum effectum hujus Sacramenti requiratur dolor, qui de facto omnem peccandi affectum excludat; ad ejus tamen valorem sufficit, quòd pœnitens existimet, & invincibiliter putet se habere attritionem, omnem peccandi affectum excludentem, quamvis revera attritio ejus talem affectum non excludat. Immò Lumbier num. 521. addit: etiam si pœnitens vincibiliter ignoret hujus propositi defectum, ideòque peccet, fore Sacramentum validum.

Sed contra est 1. quandocumque aliquid est necessarium ut pars essentialis Sacramenti; sivè culpabiliter, sivè inculpabiliter desit, quantumcumque existimetur adesse, non conficitur Sacramentum: quia materia Sacramentorum debet esse illa, quæ verè est instituta à Christo, non talis existimata; si quis enim panem non verum, sed talem invincibiliter existimatum consecraret, non conficeret Corpus Christi: atqui juxtà Conc. Trid. ut vidimus, est pars essentialis Sacramenti Pœnit. dolor, ut excludens omnem peccandi voluntatem, & ex institutione Christi: ergo si desit hoc propositum, quantumcumque existimetur adesse, etiam invincibiliter, non conficitur Sacramentum Pœnitentiæ (sicut Adversarii fatentur si dolor non foret supernaturalis, estò hoc invincibiliter ignoretur) & consequenter in prædicto casu erit invalidum, licèt pœnitens id invincibiliter ignorans non peccet; si verò vincibiliter ignoret, à culpa non sit immunis.

Contra est 2. tàm contra hanc responsionem, quàm contra præcedentem relatam num. 54. adnotando quòd licèt propositum explicitum sit actus distinctus à dolore, ab eoque separabilis, tamen negari nequit propositum implicitum, seù virtuale consequens dolorem de peccatis, esse ejus propriam passionem: nam ex eo, quòd aliquis dolet de peccatis, ipsaque detestetur, sequitur ex natura rei quòd velit ampliùs non peccare: hoc supposito sic argumentor. Quamvis possit dari essentia sine propria passione, si ejus sequela impediretur: non tamen possibile est dari aliquam essentiam cum opposito suæ propriæ passionis, quia adminùs cum vi radicandi propriam passionem, quæ est inseparabilis, & essentialis essentiæ, immò ipsa essentia, opponitur contrarium propriæ passionis, & cum ea est incompossibile: sicut licèt ab homine possit separari risibilitas, nequit tamen reperiri

riri in eo radicalis irrisibilitas, etiam aliundè quàm ab ejus principiis essentialibus orta: atqui propositum, & voluntas non peccandi, ac exclusio affectus ad peccatum est propria passio doloris: ergo cum dolore nequit componi oppositum, nempè aliqua virtualis voluntas peccandi, aliquis affectus ad peccatum, etiam latens, & occultus; ac proindè si hujusmodi voluntas adsit, à posteriori colligi debet non adesse verum dolorem, ac peccatorum detestationem, licèt quia ille latens vermiculus ignoretur, verum existimetur non ementitum inesse dolorem, ac proindè non reperiri id, quod ipsimet adversarii pro Sacr. Pœnit. valido exposcunt.

56 Dico 3. Si adsit dolor supernaturalis, explicitumque propositum in pœnitente non peccandi de cætero; at sint actus inefficaces, si nomine inefficacis intelligatur imperfecta detestatio peccati, ac propositi imperfectio, ut non pertingant ad substantiam veri propositi, & doloris, vel aliquis lateat implicitus ad peccatum affectus, sic nedùm fit Sacramentum Pænit. informe sed etiam invalidum. Si autem nomine inefficacis intelligatur actus quò ad substantiam perfectus, sed imperfectus quò ad gradum, quia scilicèt sunt actus remissi: sic erit Sacramentum nedùm validum, verùm etiam formatum.

Hanc conclusionem statuo, quia P. Lumbier num. 519. & num. 536. asserit: Sacramentum fore validum, sed informe, si actus sint supernaturales, sed inefficaces, non se explicans quid nomine inefficacis intelligat. Attamen num. 541. videtur nomine inefficacis uti ad significandum actus remissos doloris, & propositi, quos asserit non esse sufficientes pro fructu, sed sufficere pro valore, etiamsi culpabiliter omiserit conatum ad ferventiores actus, ex ignorantia vincibili, & culpabili: ego autem assero in neutra acceptione inefficacis fore Sacramentum validum, & informe, sed in prima, esse quoque invalidum, in secunda verò formatum.

Prima pars patet ex præcedentibus, & etiam quia Conc. Trid. requirens dolorem de peccatis, & propositum non peccandi, requirit veros, non existimatos hos actus, & quò ad substantiam tales; in priori acceptione illi actus inefficaces non essent quò ad substantiam verus dolor, verumque propositum: ergo, &c.

Quò ad secundam partem probatur. In ea acceptione tàm dolor, quàm propositum gauderent vera, & essentiali ratione doloris; nec ulteriùs requiritur etiam ad fructum: nam Conc. Trid. dùm requirit hos actus, nihil aliud desiderat, ut per ipsos disponatur pœnitens ad justificationem (quæ est fructus) in Sacram. obtinendam: nec alicubi unquam mentio fit debere esse intensos: unde sine aliquo fundamento in S. Script. & Conciliis astruitur hos actus debere esse intensos, & non sufficere remissos pro fructu. Tum etiam quia: per verum actum Charitatis, & Contritionis, quantumcumque remissum, extra Sacramentum justificatur peccator, & recipit Gratiam quamvis in gradu remisso: sed quidquid operatur extra Sacramentum Charitas, & Contritio, potest Attritio cum Sacramento: ergo etiam si hæc sit remissa, est sufficiens ad Gratiam obtinendam, & remissionem peccatorum cum Sacramento. Major communiter admittitur: minorem habent DD. passim, & Concilia dicentia: hominem in Sacramento Pœnitentiæ ex attrito fieri contritum; quod saltem intelligitur quò ad effectum, id est justificatur ac si esset contritus, supponendo sententiam asserentem sufficere Attritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam ipse Lumbier tenet.

57 Dico 4. Si sit verus dolor supernaturalis, at propositum non peccandi

 de cæ-

de cætero non sit explicitum, sed implicitum, quod in dolore continetur, probabilissimum est sufficere ad Sacramentum Pœnit. validum, & formatum; ac proindè ex defectu expliciti propositi non esse Sacr. Pœnit. informe. Ita Cand. *tom.2. disquisit.24. art.22. dubit.1.* Nugno *tom.2. in 3 p. q.1. in addit. art. 1. dub.5. concl.2.* Suar. *tom.4. in 3 p. disp.20. sect.4. num.34.* Leander *disp.7. q.22.* aliique ab ipso citati.

Prob. 1. in Conc. Trid. sess. 14. can.4. habetur: ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, scilicèt, contritionem, confessionem, & satisfactionem; sed vera contritio quò ad essentiam, & substantiam subsistit sine explicito proposito de futuro (sed cum solo virtuali) cum hujusmodi propositum sit quid consequens ad contritionem; vel (ut concedit ipse Lumbier) actus concomitans, non connexus cum dolore: ergo sine explicito proposito potest haberi remissio peccatorum, & consequenter percipi Gratia; proindeque Sacramentum nedum erit validum, sed formatum.

Confirmatur. Sicut ponitur in prædicto loco Concilii contritio, ita, & confessio; sed confessio fiat cum omnibus requisitis essentialiter ad ejus constitutionem pertinentibus, estò deficiat aliquid non essentialiter ad ipsam spectans, erit Sacramentum validum, & formatum: ergo cum de essentia contritionis non sit propositum explicitum, aliis asserentibus consistere essentialiter in detestatione, seù odio peccati, aliis in dolore de ipso; aliis in utroque; nemine verò asserente ad ejus essentiam pertinere explicitum propositum: si hoc deficeret, Sacramentum Pœnit. nedùm esset validum, sed etiam formatum: sicut deficiente integritate materiali confessionis, si habetur formalis.

58 Prob. 2 in Conc. Trid. sess. 24. cap. 4. ubi recensentur conditiones Attritionis sufficientis nedùm ad valorem, sed etiam ad fructum, dicitur: *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, &c.* Sed voluntas peccandi satis excluditur per propositum virtuale non peccandi, inclusum in dolore; cum hoc sit contrarium voluntati peccandi: nec hujus propositi expliciti, & formalis mentio fit: ergo hoc propositum virtuale sufficit non solùm ad validitatem, sed etiam ad fructum; & consequenter, &c.

Confirm. Potest obtineri Gratia, & remissio peccatorum extra Sacramentum sine proposito explicito non peccandi, ut cum quis justificatur per actum Charitatis (*qui enim manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo*) & tamen Charitas non affert explicitum propositum non peccandi: ergo multò magis per Sacramentum Pœnitentiæ poterit quis justificari, & obtinere peccatorum remissionem hoc explicito peccandi proposito: aliàs nimis durum esset addere pro remissione peccatorum in Sacramento obtinenda, aliquid ultrà id quod extra Sacramentum sufficit.

59 Dico ultimò. Si aliquis haberet quatuor peccata mortalia specie diversa, quorum tria confiteretur, & de ipsis haberet Attritionem supernaturalem, ex motivo particularis deformitatis eorum: aliud verò ex inadvertentia inculpabili, & naturali oblivione non explicet; nec de illo doleat quia invincibiliter putat se illud non commisisse, confessio erit valida, sed Sacramentum Pœnitentiæ erit informe.

Probatur quòd talis confessio erit valida; nam tunc illa confessio esset integra formaliter, etsi non materialiter, quod sufficit ad validitatem confessionis, ex alio capite ille dolor quatenùs extenditur ad peccata, quæ in confessione explicantur, etiam sufficit ad validitatem Sacramenti: ergo licèt

in illo

in illo casu non se extendat ad peccatum omissum, non obstat valori Sacramenti: ergo tunc erit Sacramentum validum. Consequentiæ inferuntur: antec. quò ad primam partem patet, quo ad secundam probatur. Attritio eatenùs est pars Sacramenti Pœnitentiæ, quatenùs fit sensibilis per confessionem peccatorum: ergo ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit, ut se extendat ad illa peccata, quæ in confessione aperiuntur.

Dices: qui ex justa causa reticet in confessione aliquod peccatum, cujus memoriam habet, si tantùm doleat de illis, quæ aperit, non verò de illo, quod subticet. Sacramentum est invalidum; ergo similiter dicendum est in casu nostro.

Resp. negando consequ. & paritatem. Ratio est, quia pœnitens in primo casu omittens dolorem peccati, cujus conscientiam habet, ponit obicem effectui Sacramenti, ac proindè peccat mortaliter, & cum hoc ipsum non confiteatur, confessio non est formaliter integra: in nostro verò casu confessio est formaliter integra, quia peccatum, ad quod Attritio non se extendit, omittitur in confessione ex ignorantia invincibili, aut oblivione inculpabili; ac proindè de ipso dolere non tenetur, nec de ipso non dolendo peccat, sed facit quantum satis est ad valorem Sacramenti.

60 Probatur deindè, quòd sit informe. In confessione unum peccatum non remittitur sine alio; sed in nostro casu non remitteretur pœnitenti illud peccatum, quod ex inadvertentia inculpabili non confitetur: ergo nec reliqua remittuntur, & consequenter Sacramentum carebit suo effectu, eritque informe. Major constat, minor probatur, non remittitur peccatum, nisi habenti dolorem formalem, aut virtualem de ipso; sed in nostro casu pœnitens de peccato oblito non habet dolorem formalem, & explicitum, ut patet, neque virtualem, quia dolor alicujus peccati ex speciali motivo turpitudinis ipsius, non est dolor virtualis peccatorum diversæ speciei, quæ habent diversam turpitudinem particularem, ergo cum in eo casu dolor sit ob specialem turpitudinem illorum trium peccatorum, quæ in confessione aperit, non extenditur, neque virtualiter, ad peccatum oblitum.

Nec valet dicere, quòd quamvis illa Attritio considerata præcisè ex proprio motivo, non extendatur, nec virtualiter ad peccatum oblitum, tamen quatenùs hìc, & nunc conjungitur voluntati suscipiendi Sacramentum, & quærendi amicitiam Dei, ad illud extenditur.

Non inquam valet, quoniam voluntas suscipiendi Sacramentum, neque formaliter, neque virtualiter opponitur peccato, sicut nec intentio recuperandi amicitiam Dei, ut patet in eo, qui in oratione exposcit Divinam amicitiam, quam tamen, si sit in statu peccati, non obtinet, nisi actum contritionis eliciat, ergo illa Attritio, ut conjuncta tali voluntati, & intentioni, nec virtualiter extenditur ad peccatum oblitum.

61 Objicies primò contra 1. conclusionem arg. desumpto ex doctr. Lumbier. Si quis faceret confessionem non integram ex defectu sufficientis examinis, quod tamen pœnitens credit sufficere, licèt ex ignorantia vincibili, & culpabili; potest se existimare sufficienter dispositum ad Sacramenti susceptionem; licèt falsò; sed cum hac existimatione sufficiens habetur dispositio ad validitatem Sacramenti: ergo, &c. Prob. minor, cum illa existimatione non est incompatibilis intentio suscipiendi Sacramentum, & veniam, & absolutionem; siquidem ille concipit, licèt falsò adesse partes essentiales, & dispositionem, ut absolvatur, sed stante hac intentione nihil deerit Sacramento, ut validum sit, licèt informe, ergo, &c.

Resp. neg. minorem, & ad ejus probat. iterum nego minorem: siquidem si illa intentio sufficeret, cum hæc etiam adesse possit deficiente dolore supernaturali, quando existimatur adesse, etiam tunc fieret Sacramentum validum, quamvis informe, quod ipsemet non admittit: cum ergo integritas formalis sit non minùs necessaria necessitate medii, ut confessio sit vera pars Sacramenti Pœnit. licèt integritas materialis sit tantùm de præcepto; si hæc desit, ut revera deficit, cum adest defectus examinis culpabiliter ignorati, ut probavi, nullatenùs validum potest resultare Sacramentum, quia deficit pars essentialis, & medium necessarium ad ejus validitatem: ut suprà visum est.

Neque hoc argumentum urget contra secundam, vel tertiam conclusionem, quia scilicèt defectus propositi non obstat validitati Sacramenti, cum sit dispositio pro fructu, non pro valore: ac proindè si desit, erit Sacramentum validum, licèt informe, hoc enim jam improbatum est conclus. 2. & 3. Reliqua argumenta, quæ contra has conclusiones fieri possent, ex ibi dictis eversa manent.

62 Objicies 2. contra 4. conclus. ex eodem Lumbier, qui num. 538. ait sententiam requirentem ad fructum propositum formale, esse tutiorem, & probabiliorem. Trid. asserit contritionem pro lucrando fructu remissionis esse dolorem, & detestationem de peccato commisso, & simul cum proposito non peccandi de cætero; ubi observanda est particula; *cum*, quam semper in Conciliis usitatum est, significare alium actum distinctum, ut benè tradit Pater Bernal *de Euchar. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 64. ergo Trid. requirit propositum tanquàm actum distinctum, ac proindè formale, & explicitum pro lucrando fructu.

Confirm. nam ibid. subdit Conc. *Declarat igitur S. Synodus hanc contritionem* (quam nempè requisivit ad fructum, ait Lumbier) *non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & incohationem, sed veteris etiam odium continere*. In quibus verbis patet connumerare illa tanquàm actus distinctos: ergo requiritur propositum formale, & explicitum, ut Sacramentum sit formatum: qua propter si ex oblivione, & distractione, pœnitens seriò detestans peccatum, non afferret propositum emendationis explicitum, foret in eo casu validum Sacramentum, sed informe.

Sed in primis, retorquentur hæc argumenta contra Adversarios; nam Conc. Trid. locis cit. non solùm loquitur de Contritione necessaria quò ad fructum, sed quò ad valorem, nam loquitur de ipsa prout est pars Sacramenti, ut tradiderat cap. 3. quapropter caput. 4. sic exorditur, *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet; animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito, &c.* Neque Conc. distinguit inter hujusmodi actus, ut requisitos ad validitatem, & ad fructum, sed eatenùs docet esse partes, quatenùs ad fructum disponunt, unde si hoc non præstent, neque partes hujus Sacramenti erunt; sic enim ait cap. 3. *Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.* Ergo si ex illis verbis relatis colligeretur necessitas propositi expliciti pro fructu remissionis, etiam colligeretur ejusdem necessitas pro validitate Sacramenti, sicque illo deficiente nedùm esset Sacramentum Pœnitentiæ informe, sed etiam invalidum, quod ipsi negant.

Resp. igitur ad argumentum, quòd Conc. postquam assignavit contritionem esse partem hujus Sacramenti, de ipsa instituit sermonem in particulari,

ri, eamque descripsit, assignans illos actus doloris, & detestationis, cum proposito,&c. ex quibus colligitur propositum non pertinere ad ejus essentiam; illa enim particula *cum* denotat concomitantiam hujus actus, quare nequit esse de ejus essentia: unde licèt per hoc designetur esse actum distinctum; non tamen ideò infertur, requiri hunc actum distinctum, & explicitum, sed potiùs oppositum, tàm ad valorem, quàm ad fructum, quia non est actus ad Contritionem essentialiter requisitus, & si ad fructum requireretur etiam ad valorem: Conc. autem in verbis adductis, quàmvis intendat loqui de Contritione, quia est actus pœnitentis, ut paulò ante dixi, notetur loqui de ipsa specificativè, non reduplicativè; ideſt de illa Contritione, quæ est actus pœnitentis, non in quantùm est actus pœnitentis: quare non assignat illa tria, nempè dolorem, detestationem, & propositum, ut necessariò requisita, ad hoc ut sit pars ipsius Sacramenti: hocque patet ex phrasi. *Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet*. Et etiam quia si de ea, ut reduplicativè est actus pœnitentis loqueretur, propositum explicitum, non solùm esset necessarium ad fructum, sed etiam ad valorem, ut dixi, & idem est, ac si dicerem: homo ex anima, & corpore constat: corpus verò, quod est altera pars, est substantia quædam materialis organizata, cum brachiis, pedibus, &c. ubi licèt corpus sit de essentia hominis, non tamen ex sensu verborum inferretur, etiam pedes esse de essentia hominis: ita pariter in præsenti.

Ad Confirmat. resp. quòd ubi interponit Lumbier; (*quam nempè requisivit ad fructum*) potiùs interponi deberet (*quam requisivit ad valorem*) ut constat ex dictis in retorsione argumenti, & sic si concluderet, esset contra ipsum. Concesso igitur antec. nego consequ. nam licèt illi actus distincti enumerentur & revera distincti sint; declarat S. Synodus illos actus contineri in Contritione, vel tanquàm essentiales, vel tanquàm consequentes, aut concomitantes; non tamen declarat deberi omnes illos distinctos contineri, ut sit dispositio ad fructum: quare loquitur de ipsa, quæ est pars, & dispositio, specificativè, non ut est pars, & dispositio reduplicativè, ut modò dicebam: unde ea, sine quibus essentialiter consistere potest Contritio, non requiruntur, neque ut pars, nec ut dispositio, cum ipsa sine illis possit esse pars, & dispositio, sicut corpus humanum potest esse pars hominis sine pede; licèt cum aliqua imperfectione, perfectiusque foret, si pes non deesset. Cæterum, quia essentia Contritionis sine continentia virtuali propositi non subsisteret, cum de ratione cujuslibet essentiæ sit continentia virtualis, & vis emanativa suarum passionum, si virtuale propositum deficeret, non esset vera Contritio; proindeque nec pars, nec dispositio ad fructum Sacramenti, & ad hoc explicandum semper numerat S. Synodus propositum tanquàm quid concomitans, vel consequens, ut sciatur radicalem vim propositi in essentia Contritionis requiri.

63 Objicies 3. contra ultimam conclus. Illa Attritio, quæ est sufficiens ad validitatem Sacr. Pœnit. sufficit etiam, ut sit dispositio ad Gratiam, & remissionem peccatorum: unde, ut nos ipsi observavimus, Conc. Trid. non distinguit inter Attritionem, quæ est pars, & quæ disponit ad effectum Sacramenti: ergo si in casu à nobis assignato illa Attritio sufficit pro valore, sufficiet etiam ad effectum, vel è contra.

Resp. distinguendo antec. sufficit, ut sit dispositio, &c. quantùm est de se concedo antec. ita ut per accidens nequeat impediri, nego antec. unde Conc. Trid. loquitur de Attritione quantùm est de se: cum quo tamen stat, quòd

per accidens, quia scilicèt pœnitens inculpabiliter obliviscitur aliud peccatum, & Attritio est ex motivo particularis turpitudinis peccatorum, quæ confitetur; non præstet effectum: unde, quia hic casus est rarus, regulariter Attritio, quæ sufficit pro valore, sufficit etiam ad effectum.

Sed contra. Ut Attritio sit materia hujus Sacramenti, debet esse talis, ut super illam possit verificari forma; sed forma hujus Sacramenti, videlicèt: *Ego absolvo te à peccatis tuis* non verificatur super illa Attritione, quæ non est dispositio ad Gratiam, quia in eo casu pœnitens à peccatis non absolvitur: ergo illa Attritio non erit materia hujus Sacramenti.

Resp. neg. minorem; nam sensus verborum absolutionis, non est: ego confero tibi Gratiam à peccatis solventem, seu remitto tibi peccata, ut docet S. Th. 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. sed sensus est, ego impendo tibi Sacramentum absolutivum à peccatis, remissivum peccatorum, & collativum Gratiæ: quod quidem verificatur, etiam si defacto non remittantur peccata, nec conferatur Gratia, ob defectum ex parte suscipientis, non ex parte Sacramenti.

64 Objicies 4. In eo casu produceretur Gratia, & haberetur peccatorum remissio, ergo Sacramentum nedùm esset validum, sed etiam formatum. Prob. antec. 1. peccata inculpabiliter oblita remittuntur in hoc Sacramento etiam si ad ea non extendatur confessio, ut dictum est supra, ex Conc. Trid. ergo etiam remittentur hujusmodi peccata, & si ad ea non extendatur Attritio. 2. Tunc pœnitens nullum ponit obicem Gratiæ Sacramentali, alias peccaret, cum ex præcepto Divino obligetur non impedire effectum Sacramenti; sed nullo apposito obice, non est cur non producatur Gratia: ergo defacto producitur. 3. Qui facit totum id, quod tenetur præstare, & quod potest humano, & morali modo, ad recipiendum effectum Sacramenti, est sufficienter dispositus ad illum, & habita sufficienti dispositione, non est cur non producatur Gratia, atqui in casu conclusionis, qui habet Attritionem de illis peccatis, quorum reminiscitur, & ex oblivione omninò inculpabili omittit aliud peccatum, facit totum id, quod potest, humano, & morali modo; nihil enim aliud potest ex hypothesi oblivionis: ergo est sufficienter dispositus, & consequenter producetur Gratia.

Resp. neg. ant. Ad 1. probat. nego consequentiam, & paritatem: disparitas est, quia integritas materialis confessionis, quæ in eo casu non adesset, solùm est de præcepto, ac proindè quando quis excusatur ab impletione præcepti ex inculpabili oblivione, non potest impediri effectus Sacramenti, dum adsunt cætera requisita necessitate medii: at Attritio interior est necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum, secundùm legem ordinariam, & Christi institutionem: unde etiam si inculpabiliter ad aliquod peccatum non extendatur, secundùm præsentem institutionem, nequit remitti, ut patet ex differentia inter necessarium necessitate medii, & necessitate præcepti.

Ad 2. dist. majorem. Nullum ponit objicem, positivum, transeat, negativum, nego majorem, & in eodem sensu distincta minori, nego consequ. nam in eo casu ponitur impedimentum negativum Gratiæ, nempè negatio extensionis doloris ad peccatum oblitum; qui cum sit necessarius, necessitate medii, eo deficiente, non producitur Gratia; non tamen peccat, quia invincibiliter ignorat pœnitens se illud apponere. Ad 3. jam patet ex dictis illum esse sufficienter dispositum, quia deficit medium omninò necessarium ad remissionem peccatorum: ex eo tamen quòd facit totum id, quod potest, solùm excusatur à peccato: non tamen fit quòd sit sufficienter dispositus, si

in re

in re desit medium necessarium: sicut siquis eliceret dolorem naturalem, quem invincibiliter existimaret supernaturalem, estò totis viribus conaretur, nec plùs posset: non tamen ideò fieret validum Sacramentum.

65 Petes: an hæc sententia de Sacramento valido, & informi, benè cohæreat cum primæ Propositionis condemnatione, qua aboletur usus probabilitatum circa valorem Sacramenti? An potiùs, qui deindè advertit ad informitatem Sacramenti, debeat reiterare confessionem, ut utatur tutiore?

Resp. in casu, quo ego admisi Sacramentum validum, & informe, nullum esse dubium, optimè cohærere cum illius Propositionis damnatione: nam in hoc casu, opinio, quam tueor, est tutior: quippè contraria asserens tunc non dari Sacramentum validum, & informe; non ideò id asserit, quia existimat fore invalidum, sed quia putat fore quoque formatum: unde quò ad valorem nedùm est probabilis, sed communis, & ex hac parte, ut ait Suarez, certa: asserendo igitur fore informe, quàmvis hoc non pertineat ad quæstionem de valore, tutiorem sequor.

In cæteris verò casibus, in quibus alii admittunt Sacramentum validum, & informe; si controversia est de informitate, pro certo apud omnes constante esse validum: ut est in casu quartæ Conclusionis, manifestum est à prima damnata Propositione abesse; ob eandem rationem. Si verò controversia sit etiam de validitate; ut in illis duobus casibus, quos impugnavimus; P. Lumbier satis subtiliter, & eruditè ostendit sub illa damnata Propos. non comprehendi. Videatur ipse loco cit.

66 In eadem observat. 15 circa Proposit. *59.* qua est sermo de absolvendis dimidiatè tantùm confessis, ratione magni concursus pœnitentium: postquàm ipse Lumbier, satis damnatam Propositionem evertit; num. 550. ad explicandum id, quod ipse triplici loco suæ Moralis Summæ, circa hanc materiam dixerat, oculos convertit: quorum primus est ex num. 121*6*. quem refert his verbis: *Quandò in Missionibus est magna frequentia Confessionum, nè pœnitentes inabsoluti abeant, cum periculo non redeundi, elapsa hac occasione; potest dimidiari Confessio, imposito pœnitenti onere reditus tempore opportuniori. Nam si dimidiari ex temporali necessitate potest, quantò meliùs ex spirituali necessitate proximorum, immò ex propria, si periculum est non redeundi?* deindè subdit hunc casum non videri manere condemnatum; quia non est dicere, ratione solùm magni concursus pœnitentium, sed ratione periculi non redeundi, si Confessarius tunc sine eo solatio dimittit.

67 At pedetentim quæso procedamus. Si in prædicto casu adest periculum non redeundi, si pœnitens inabsolutus abeat: quantò majus periculum erit non redeundi tempore opportuniori ad complendam, & integrandam Confessionem, prout ei oneris imponitur? Nam si inabsolutus, remorsum conscientiæ patietur, ut aliquando confiteatur: si verò absolutus dimittitur, minùs de reditu cogitabit, in securitate absolutionis requiescens: maximè si sit rusticus, cum quo ipse præcisè observari debere ait, quia non facilè induci, & reduci posset ad reditum.

Deinde, hunc à se recitatum casum, ideò non manere damnatum, ait; quia non est dicere: ex sola ratione magni concursus pœnitentium, sed ratione periculi non redeundi. At simile argumentum nullam vim habere, doceor ab ipsomet suprà num. 530. ubi refert explicationem cujusdam, exhibitam primæ ex damnatis Propositionibus, videlicèt intelligi debere de iis, quæ Minister debet apponere, quò ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, non autem de iis, quæ pro valore debeat apponere pœnitens, quia

illa

illa Propositio loquitur expressè, *in conferendis Sacramentis*: quæ vox clarè indicat Ministrum non pœnitentem. Hanc autem explicationem rejicit n. 531. quia opponitur non cortici, sed substantiæ condemnationis, nam cum ejus finis fuerit tollere irreverentiam, & periculum nullitatis Sacramenti quod æquè urget ex defectu eorum, quæ debet pro valore apponere pœnitens ac Minister, ideò in utroque, usus probabilitatum debet censeri reprobatus ergo (inferam ego) pariter, ex eo quòd Propos. 59. fit solùm mentio, ob magnum concursum pœnitentium; non benè infertur, non comprehendi alios casus, qui ex alio capite, quàm magni concursus, admittunt posse dimidiatè tantùm confessos absolvi: hoc enim esset stare cortici, non condemnationis substantiæ.

Quod hucusquè dixi, de arguendi modo processit, & de mala illatione; an autem revera recitatus casus comprehendatur; affirmativam partem probabiliorem existimo. Ratio est, quia finis condemnationis, est abolere doctrinam tollentem integritatem Confessionis, extrà casum necessitatis, quæ, ut probavi, debet esse necessitas absoluta respectu Confessionis, qua supposita, sequitur impossibilitas, vel moralis, vel physica integritatis Confessionis; atqui in casu recitato à Lumbier non supponitur necessitas, vel præceptum obligans ad Confessionem absolutè, sed occasione Missionum, ubi non urget necessitas, sed devotio ad Confessionis frequentiam impellit: ergo in prædicto casu nulla est necessitas sufficiens ad excusandum ab integritate Confessionis. Immò etiam admissa necessitate ex suppositione, ut sufficiente ad excusandum ab integritate, adhùc periculum non redeundi, non est casus necessitatis, nam dependet à voluntate pœnitentis: ea autem, quæ à libera voluntate pendent, quomodò inter casus necessitatis sunt computanda? Unde est communis doctrina, ex Cajet. desumpta, quam retuli Propos. 31. num. 1. non debere prætermitti defensionem bonorum, etiam si indè mors invasoris sequatur, quia licèt pluris debeat æstimari vita proximi, quam bona temporalia propria; illaque in casu necessitatis debeat his præferri; ille tamen, casus necessitatis non esset, ex eo quòd fur in tali casu sua spontè se ponit. Sic igitur in præsenti, quia periculum non redeundi ex voluntate pœnitentis dependet, non est inter casus necessitatis computandum.

68. Hinc patet ad rationem, quam subdit Lumbier; quia videlicet. *Si dimidiari potest ex temporali necessitate, quantò meliùs ex spirituali proximorum?* Negatur enim suppositum, idest, esse tunc necessitatem spiritualem, quia ex spontanea voluntate dependet.

Nec valet id, quod ibi inferiùs subdit: hoc præcisè observandum cum rusticis, qui non facilè induci, & reduci possunt ad reditum; alii verò, qui ingenui sunt, sibi imputent, si redire postea nolint.

Non, inquam, valet, nam non minus isti, quàm illi sibi imputare debent cum illi hoc ipsum, quòd facilè reduci nequeunt, sibi imputare debeant, cum potiùs Confessarii consilio, ac mandato obtemperare deberent, seque illi regendos submittere.

Si autem scandalum, ex discessu sine absolutione oriretur, jam admisi absolvendos fore, & inter casus moralis necessitatis numerari debere, si tamen bona fide, & non ex malitia, ut dimidiarent Confessionem, accesserint (eandem limitationem subintelligi volo in secundo casu à Lumbier adducto, num. 551.) Eo namque casu, etiam si nullum urgeat præceptum accedendi, nec sit necessitas absoluta Confessionis, dùm tamen bona fide accessit ad Confessionem, urgetque scandalum, ne ab incæpta Confessione inabsolu-

solutus repellatur, habet jus illam dimidiandi: unde necessitatem dimidiandi, ortam ex suppositione Confessionis non necessariæ, non admitto, quandò ex hujus positione, priùs prævidetur necessitas consequens dimidiationis, quia in tali casu, voluntaria est hæc necessitas, cum fuerit prævisa: secùs verò, si prævisa non fuerit, estò voluntaria, & non ex aliquo præcepto majori, vel alia necessitate, ortum habuerit Confessio: sicut homicidium in ebrietate patratum, si fuerit prævisum, non vacat culpa, si verò nullatenùs prævisum fuerit, & si inebriatio voluntaria fuerit, culpa carebit.

69 Denique num. 554. amplectitur opinionem Suar. & Granados, quam ego reprobavi loco cit. num. 7. non approbat tamen opinionem, pro qua ego citavi Mendoz. ipse verò citat Hurtadum: non est autem opus hìc circa eam immorari, sed quæ ibi dixi, videnda sunt. Nec mihi placet responsio adhibita à Lumbier, tunc scilicèt pro illo casu cessare præceptum integritatis ex interpretatione mentis Legislatoris; *cum enim* (inquit) *Sacramenta instituta sint pro bono fidelium, eorumque spiritualibus necessitatibus, non est credibile de Christi benignitate, quòd ex præcepto integritatis, privare fideles voluerit, tanto tempore, ingentibus adeò bonis.*

Non, inquam, mihi placet: nam omissa quæstione, ad quem pertineat Christi legem interpretari, & an hic casus habeat requisita, ut per interpretationem excipi possit: si hanc esse legitimam causam dimidiandi Confessionem, admittatur, non esset cur non debeat excipi casus damnatæ Propositionis: quia etiam tunc privarentur fideles, nedùm bono Gratiæ Sacramentalis, sed etiam Indulgentia, quæ est ingens bonum spirituale. Casus autem quem affert de præmittenda confessione ante communionem, cujus tamen præceptum non obligat, quando Sacerdos esset celebraturus pro satisfaciendo præcepto Ecclesiastico de audiendo sacro, vel communionis in Paschate, non est similis. Tùm quia illudmet præceptum trahit secum exceptionem, si adsit copia Confessarii: quam non affert præceptum integritatis Confessionis. Tum etiam quia integritas formalis est necessaria ad substantiam Sacramenti; estque, non solùm necessaria necessitate præcepti, verùm etiam necessitate Sacramenti: an autem in illo casu esset integra formaliter Confessio, cùm deficiat integritas materialis; & non excuset impotentia, neque physica, neque moralis, neque urgeat majus præceptum, nimis dubium est; ex quo valor Sacramenti periclitatur: non autem agitur de valore Sacramenti in adducto exemplo de præmittenda Confessione. Fateor tamen hunc casum; & alium ibi adductum num. 9. non deduci ut contentum in Proposit. damnata, sed ejus occasione, quid ego sentiam explicavi.

70 Observat. 16. agit de occasione peccandi, & ad examen vocat Proposit. 61. 62 & 63. ubi latè discurrit in speciali §. à num. 596. quænam sit proxima occasio peccandi: occasione impugnationis prædictarum Propositionum, varios casus, præter à me adductos, resolvit; tam sparsim, quam peculiariter §. 6. omninò legendos.

Nota num. 615. adducere, ad confutandam Propositionem 63. illamet verba D.Th. quibus Sancius in suam sententiam adducere eum conabatur, quæ nos retulimus Propos. 62. num. 6. satisque ab impostura vindicavimus. Ex hoc capias, etiam aliorum testimonio, benè Doctrinam D.Th. à me, pro contrario sensu, à damnata Proposit. explicari.

Nota quoque, tunc solùm ipsum admittere posse quæri occasionem proximam peccandi ex urgentissima causa, quæ obliget, quando sunt mutatæ circum-

cumstantiæ, vel novæ præmunitiones, &c. quod etiam ego sæpè admisi in Parocho, & aliis, quia tunc non censetur periculum morale, nec proxima occasio. Negavi tamen in eo sensu, si adhuc in ratione occasionis proximæ perseveret. Nil aliud superest circa hæc notare: lectori reliqua remitto, judiciumque meum meliori submitto.

71 Die 12. Februarii 1679. emanavit Decretum quoddam de Sacra Communione, tenoris sequentis.

DECRETUM CIRCA COMMUNIONEM Quotidianam.

Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diæcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria 6. Parasceve, & simul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam esse à Jure Divino: quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse. Videlicet, quòd aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, immò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares: aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito: ac tandem quod aliqui confiteantur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus considerandа commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Trident. Interpretum; eadem S. Congregatio, prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens, quotidianusvè Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. PP. fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut sæpiùs illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut Hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cum inquit. Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; *idque non immeritò: multiplices enim sunt, conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus; nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est reliquendus;* qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu, *laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc ampliùs animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus ut vacent orationi; eos seriò admoneant, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum* puriorique mente *ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis, quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet: illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seù frequenter, seù quotidie accesserit, repellatur, & nihilominùs:* det operam, ut unusquisque dignè pro devotio-

nis,

nis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici corporis suavitatem degustet. *Itidem moniales, quotidie Sacram. Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent.* Si quæ verò puritate mentis eniteant; & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint; *id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim* de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant: *generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur*, debere, sivè laici *negotiatores sint, sivè conjugati, sivè quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri: & si quando se minùs paratos senserint, ab ea abstinere*, seque ad majorem præparationem accingere. *Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum Officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur: quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divina præstante gratia, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt; suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in Cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem, ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de Jure Divino: doceant, in Ecclesiis, seù Oratoriis privatis ex dispensatione, seù Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam: nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes Domi, vel cubantes in lecto, præterquàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria 6. Parasceve, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur: insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seù particulas, neque grandiores; sed consuetas: non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secùs egerint, sciant, Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigorosam animadversionem in contra facientes etiam Regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.*

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Card. Columna, Præf.

S. Archiepisc. Brancatius, Episc. Viterbien. Secret.

Dis

Die 15. mensis Februarii 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Ægidium Fœlicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro Magistro Cursorum, Gregorius Staggius Apost. Curs.

72 Circa ejus explicationem latè Lumbier à num. 483. ego autem lectorum consulens utilitati, aliqua ex eodem summariè perstringam. Quatuor resolvuntur in hoc Decreto. Primum est, Communionem quotidianam, aut frequentem, fuisse semper approbatam in Ecclesia, absque eo quòd SS. PP. determinatos dies, hebdomadas, aut menses assignaverint, in quibus, vel suscipienda, vel ab ea abstinendum esset: & ideò, quantùm est de se, illicitum non est, etiam Laicos, quotidie Eucharistiam sumere. At sæpè inculcat magnam requiri præparationem, devotionis fervorem, puritatemque mentis, adeò ut ex illa frequentia magnus obveniat spiritus calor, spiritualisque profectus: hinc tempus non esse stabiliendum absolutè, & quadam generali regula; sed à Prælatis, Parochis, & Confessariis, qui uniuscujusque conscientiæ sinus exploratos habent, pro diversitate cujusque concedendam; adeò ut Moniales, quæ puritate mentis enitent, & fervore spiritus incalescunt, à quotidiana Communione non arceant, qui earum curam gerunt.

Ex quo patet, scopum principalissimum Decreti fuisse præparationis curam, & ex ea dependere oportere frequentiorem, vel minùs frequentem accessum, quare ad quotidianam Communionem non sufficiet carere conscientia peccati mortalis, sed attendendum est ad fructum, & augmentum Virtutum indè ortum. Pariter constat, quàm temere doceantur fideles, Patri Spirituali præcipienti, nè communicent, obedire non teneri, cum se noverint conscientiam peccati mortalis non habere, constat, inquam, hoc supradicto Decreto repugnare.

73 Totum hoc explicuit Doctor Angelicus 3. p. q. 80. art. 10. ubi quærens. *Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere*; qui SS. PP. & Concilia satis præ oculis habebat, sic quæsito satisfacit: *Respondeo. Dicendum, quòd circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideò utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat: unde Ambros. dixit in lib. de Sacramentis: Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco: debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis: in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideò si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quòd quotidie sumat: unde Aug. cum dixisset. Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit; subjungit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties, in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum: unde in lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus dicit. Quotidie Eucharistiæ Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

Dein-

Deindè idem S. Doctor in resp. ad 5. sic habet: *Ad quintum dicendum, quòd secundùm diversum statum Ecclesiæ, diversa circa hoc statuta emanaverunt. Nam in Primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio Fidei Christianæ, statutum fuit, ut quotidie Fideles communicarent: unde Anacletus Papa dicit. Peracta Consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim, & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodùm verò diminuto Fidei fervore, Fabianus Papa indulsit, ut si non frequentiùs, saltem ter in anno omnes communicent, scilicèt in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini. Soter, etiam Papa, in Cœna Domini dicit esse communicandum, ut habetur in Decr. de Consecrat. dist. 2. Postmodùm propter iniquitatis abundantiam, refrigescente Charitate multorum, statuit Innocentius III. ut saltem semel in anno, in Pascha fideles communicent. Consulitur tamen in lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus omnibus diebus Dominicis esse communicandum.*

74 Secundum est. Communionem quotidianam non esse de Jure Divino, præcipitque Episcopis, Parochis, & Confessariis, ut severè reprehendant illam Propositionem. Ad SS. PP. authoritates, quæ in favorem prædictæ Propositionis adduci possent, ex doctrina relata S. Th. facilis est responsio.

75 Tertiò præcipit eisdem, ut reprehendant abusum suscipiendi Communionem in lecto, delata secretò Sacra Hostia; vel communicandi feria *6.* Parasceve: item sumendi plures particulas, vel solito majores; quod ortum puto ex opinione percipiendi ex hoc majorem Gratiam Sacramentalem.

Circa quod observandum est non prohiberi communionem in privatis Oratoriis, aut ex illis delatam, sanis, vel infirmis, qui legitimam à Pontifice facultatem Oratorii privati obtinuerint, immò id expressè concedi in hoc Decreto: solùmque prohiberi, nè secretò, & sine debita decentia deferatur Eucharistia ex Oratorio.

76 Quartò mandat Ordinariis, nè permittant fideles confiteri venialia simplici Sacerdoti, non approbato. Circa quod notandum, non annullari per hoc Decretum talem Confessionem, & saltem quousque isti permittant, confessio erit valida. Imprudenter tamen se geret simplex Sacerdos, se ad hæc audienda exponens, & pœnitens qui id sciat, imprudenter ea aperiet simplici Sacerdoti.

77 Tandem caveat quicumque his ordinationibus contraire; nam quantumvis Regularis, & exemptus sit, puniri potest ab Ordinario, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato, ut constat ex Decreti postremis verbis.

78 Insuper scito, alias duas Propositiones de Divino concursu, ab eodem Innoc. XI. fuisse damnatas 13. Novembris *1679.* tanquàm Novitatem redolentes, ac Temerarias.

Prima earum est: *Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum.*

Secunda est: *Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.*

Quia hæ Propositiones ad praxim non pertinent, illas examinare omitto, ad Commentatores D. Th. in 1. p. q. 14. & *19.* studiosos remitto.

79 Tandem ad me pervenit, dum adhuc subesset prælo opella, aliud Sac. Congreg. Decretum, circa quod aliqua ad Confessionis sigillum pertinentia breviter differere visum est.

Feria

Feria iv. die 18. Novembris 1682.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam, coram Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter Deputatis.

Prævia matura consultatione DD. Consultorum, facta fuit discussio sequentis Propositionis: Scientia ex confessione acquisita uti licet, modò fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur: in cujus comparatione prius meritò contemnatur. *Addita deindè explicatione, sivè limitatione, quòd sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ, cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur, & statuerunt dictam Propositionem, quatenùs admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sivè limitatione, & præsenti Decreto prohibent, nè quis ultrà audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere, sub pœnis arbitrio Sac. Congregationis infligendis: mandantes etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsùs abstineant.*

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus Riccardus S. Rom. & Universalis Inquisitionis Not. Die 5. Decembris 1682. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papæ, & SS. Inquisitionis Cursorem.

80 De sigillo Confessionis agit S. Thomas 3. p. quæst. 11. supplementi, & ibidem omnes Commentatores, & fusè Diana *part.* 5. *tract.* 11. Candid. *tom.* 2. *disquis.* 24 & alii, qui videri possunt, si lata discussio optetur: mihi quæ ad præsentis Propositionis notitiam conducunt, breviter enucleanda.

81 Præmitto: sigillum Confessionis esse servandum ex præcepto naturali, Divino, & Ecclesiastico. Naturali quidem, quo quisque tenetur ex fidelitate rem apud se depositam custodire. Præcepto Divino, non quidem positivo, sed connaturali, & per se connexo cum natura Sacramenti Pœnitentiæ quod probat S. Th. loco cit. art. 1. in corp. duplici ratione; cujus prima ad hanc potest redigi formam.

Quæ pertinent ad significationem sacramentalem, sunt essentialia, & per se connexa cum Sacramento, ac Jure Divino connaturali Sacramento, ex ipsa Sacramenti institutione præcepta, atqui sigillum Confessionis pertinet ad significationem Sacram. Pœnit. ergo, &c. Prob. minor: Confessio, qua quis Sacerdoti se subjicit, est signum interioris, qua Deo subjicitur, commune enim est Sacramentis, ea quæ exteriùs geruntur, esse signa eorum quæ interiùs contingunt: sed per hoc quòd Deo subjiciuntur peccata in Confessione, Deus ipsa tegit, idest, eorum ampliùs non recordatur ad puniendum; nec eorum rationem quærit, neque in hac vita, nec in futura, secundùm illud: *In quacumque hora ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor ampliùs*. Nec sunt ampliùs materia Judicii, vel exprobrationis,

con-

confusionis ipsi pœnitenti, jam enim remittuntur: *nec judicabit Deus bis in idipsum*. Ergo sigillum Confessionis, quo peccata teguntur, pertinet ad significationem ipsius Sacramenti.

Confirmatur. Per hoc Sacramentum significatur gratia remissiva peccatorum, per quam teguntur peccata coram oculis Dei, unde dicitur Ps. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Ergo sigillum Confessionis, per quod peccata teguntur, pertinet ad significationem Sacramentalem: unde tanquàm violator Sacramenti peccat, qui Confessionem revelat.

Aliam rationem adducit S. Th. ibid. quia videlicet est satis conveniens naturæ hujus Sacramenti, tàm necessarii ad salutem, ut ad ipsum faciliùs adducantur, & simpliciùs homines peccata confiteantur: maximè autem ab ipso abhorrerent, si scirent in aliquo casu detegi posse peccata. Hanc secundam rationem S. Th. amplificat Suar. & putat demonstrationem à priori, ut refert Nugno *tom. 2. in 3. p. ad q. 11. supplem. ad art. 1.*

Præceptum quoque Ecclesiasticum constat ex *cap. Sacerdos de Pœnitent. dist. 6. & ex cap. Omnis utriusque sexus*. Tanquàm Apostolica traditio videtur semper acceptatum fuisse in Ecclesia, non solùm à Doctoribus, Sanctis, & Scholasticis, sed etiam ab omnibus fidelibus. Videatur Nugno loco cit.

82 Tàm arctum igitur est hoc præceptum de sigillo Confessionis, ut nunquàm, & in nullo casu, etiam pro bono communi, aut totius Ecclesiæ utilitate cesset ejus obligatio, ut neque indirectè manifestari possit, facto, aut signo aliquo, peccatum in Confessione auditum, unde S. Th. loco cit. ad 3. ait: *Prælatus potest sine læsione conscientiæ dimittere peccatum impunitum, quod scit tantùm ut Deus, vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo, quo ad ipsum refertur: unde in his, quæ ad ipsum deferuntur in foro Pœnitentiæ, debet in eodem foro, in quantùm potest, adhibere remedium*. Hoc etiam docuit Quodlib. 5. art. 13. & in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. Unde Soto *in 4. dist. 18. q. 4. art. 5.* advertit sub sigillo Confessionis cadere omnia, quæ necessaria sunt ad explicandum peccatum, & propter hoc dicuntur in Confessione, si cedant in infamiam, vel grave detrimentum ipsius pœnitentis: ut si pœnitens occasione suæ Confessionis dicat se habere defectum originis, vel aliquid simile, totum hoc cadit sub sigillo Confessionis: hoc etiam docuit Nugno loc. cit. Et communiter ad personam complicis extenditur.

Hinc Gonet in Clypeo *tom 15. disp. 11. artic. 2.* infert, non posse Episcopum Ordines publicè petenti denegare, quem ex sola Confessione cognovit esse irregularem. Nec Parochum, in matrimonium non copulare eos, quos ex sola Confessione cognovit aliquo impedimento dirimente laborare. Nec Confessarium posse vitare eum, quem ex sola Confessione, scit esse excommunicatum non toleratum; licèt nullus alius præter pœnitentem suspicari possit, hoc fieri propter notitiam Confessionis. Id quoque docuit Cand. *loco citat. artic. 52. dubit. 3.*

83 Ex his sequitur scientia ex Confessione acquisita uti non licere, quando ex ejus usu sequitur aliqua indirecta revelatio Confessionis: ut quum Prælatos aliquas leges faceret ad evitandum peccatum subditi, quod in Confessione audivit, ex quo potest sequi indirecta aliqua Confessionis revelatio. Posset tamen quis uti scientia ex Confessione acquisita sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, ut asseritur in prima parte Propositionis adductæ, quæ quò ad hanc partem non damnatur:

unde possset Superior uti illa notitia, ut sit cautior, & prudentior in adhibenda custodia, occultè visitando septa Monasterii, non tamen aliquid exteriùs operando, ut mutando claves, erigendo murum, amovendo ab officio, etiam ad nutum amovibile subditum; vel similia. Hoc modo intelligendum est Decr. Clem. VIII. anno 1594. die 26. Maii, quo prohibet Superioribus, vel Confessariis, deindè ad Prælaturam assumptis, nè utantur notitia ex Confessione habita ad regimen Monasterii: videlicet, quando hic usus, etiamsi nec indirectam habeat annexam revelationem, affert tamen, vel minimum pœnitenti incommodum, vel occultæ reprehensionis habet vim. Secùs verò, quando nullum sequitur pœnitenti incommodum: quapropter ex Confessione viri docti, potest pro se, vel aliis, Confessarius uti ea notitia ad meliùs examinandam conscientiam suam, ad confitendum aliquod peccatum, quod tale non existimabat ex ignorantia vincibili, & ad similia.

Pariter poterit Sacerdos, si in Confessione deprehendat sibi paratum fuisse vinum toxicatum pro missa celebranda; abstinere à celebrando, si aliquam aliam occasionem potest fingere, ut nullo modo sequatur, nec indirecta criminis manifestatio. Et generaliter possunt fieri omnes aliæ actiones indifferentes, quas, omnibus consideratis circumstantiis, & motivis particularibus, nullatenus potest suspicio oriri ex Confessionis notitia processisse; nec indè aliquod sequitur pœnitenti gravamen. Ita Gonet loco cit. art. 1. coroll. 4. Dian. part. 5. tract. 11. resol. 3. *vers. Notandum est tamen*. Ubi etiam citat Sanch. & alios. Cand. tom. 2. disquis. 24. artic. 51. dubit. 2 & 3.

83 Ex his sequitur solutio alterius casus. Si ex duobus, qui conspirarunt in necem Sacerdotis, alter pœnitentia ductus, ipsimet confiteatur; simulque pandat inter se convenisse, ut si hoc, alter manifestaret, occideretur ab altero, & proculdubio ipsi mors esset à socio inferenda, si Confessarius fugeret, aut non celebraret, &c. Ex hoc enim, quòd aliàs non erat facturus, satis socius deprehenderet, ab altero revelatum fuisse secretum: an possit Confessarius in tali casu pro evitanda morte propria, illa scientia uti. Cui resp. quòd si Confessarius potest aliter sibi consulere absque pœnitentis detrimento; ut sumendo pharmacum, adeò secretè, ut nulli suspicionem afferat, si periculum est de veneno, etiam si sit celebraturus (tunc enim cessaret obligatio jejunii naturalis) vel alio modo pœnitenti non nocivo, posset licitè illa scientia uti, juxtà supra dicta. Si verò ex sua actione, quamvis indifferente, cognita à socio pœnitentis, imminet pœnitenti mors, non licet illa scientia uti. Colligitur ex Dianæ doctrina loco cit. Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 33. sect. 7. num. 6.* 7. & 8. ubi etiam si periculum saluti spirituali Confessarii immineret, hocque ex Confessione depræhendat, extendit. Cand. probabiliorem hanc sententiam judicat loco cit. art. 51. dubit. 6. citans Bonac. licèt probabilem censuerit oppositam, quam docuit Coninch. disp. 9. de sigillo Confess. dub. 4. num. 56.

Ratio pro hoc, & similibus casibus est, quia aliàs impediretur usus Sacramenti Pœnitentiæ, deterrerentur enim ab accessu ad illud, & violaretur debita reverentia Sacramento; unde eadem ratio militat, ac de sigillo, cujus præcepti obligatiò in nullo casu cessat. Tum quia bonum Sacramenti præferendum est propriæ vitæ.

85 Duo igitur sunt præ oculis habenda in usu hujus scientiæ; alterum, nè sequatur, nec indirecta manifestatio, & revelatio: alterum nè pœnitenti sequatur gravamen in quocumque illi nocivo honori, vel alteri honesto commodo.

modo. Quapropter, non posset quis denegare suffragium, vel Novitio ad Professionem admittendo, vel in electione ad Prælaturam, aut Beneficium: nec Abbas amovere ab officio Ministrum, quem in Confessione novit indignum. Ita Diana *loco cit. resol.* 4. ubi plures alios citat. Cand. *loco cit. art.* 52. *dubit.* 3. Gonet. & Suar. locis cit.

Circa quæ oritur dubium, an usus hujus scientiæ in his enumeratis, cum nullum periculum revelationis extat, nec indirectæ, sit tantùm prohibitus Jure Ecclesiastico, an verò Jure Divino connexo cum natura hujus Sacramenti, cujusmodi est præceptum de sigillo Confessionis.

Circa hoc Ochagavia, & Tannerus, relati à Diana, asseruerunt in rebus gratuitis posse Confessarium illa scientia uti; unde nec Jure Ecclesiastico, per ipsos, videtur hoc prohibitum. Saur. loco cit. *num.* 4. quamvis asserat non licere; reducit tamen ad prohibitionem factam à Clem. VIII. & ait non videri contra naturalem rationem. Gonet quoque ejusdem est sententiæ; videlicèt esse prohibitum Jure Ecclesiastico, non verò naturali, aut Divino, quandò nulla, nec indirecta sequitur manifestatio.

At observandum est circa suffragium, quòd hoc vel est debitum, vel gratuitum: debitum quidem, ut Novitio, qui jam probationis annum explevit, religiosè satis exteriùs vivendo; nec habens aliquod impedimentum nè ad professionem admittatur, & cujus denegatio cederet in magnum dedecus ipsius. Vel est merè gratuitum, cujus denegatio nec cedit in dedecus ejus, cui denegatur, cujusmodi est in electione Priorum, ubi quià jam ex consuetudine notum est quemlibet ferre suffragium in favorem ejus, cui amicitiæ vinculo jungitur, ex denegatione suffragii, non præsumitur indignitas Personæ, nec aliqua ei infamia resultat. Similiter in eo, qui promovendus est ad Beneficium, pro quo fit concursus; vel in foro exteriori, ille, cujus indignitas cognita est in Confessione, absque omni dubio dignior existimatur in reliquis conditionibus ætatis, natalium, scientiæ, Prudentiæ, vigilantiæ, &c. Vel probabile est alium in his conditionibus debere præferri; itaut nulla infamia, aut dedecus ei resultet ex denegatione suffragii, neque aliqua suspicio ipsimet pœnitenti, ob Confessionem ei denegari suffragium (hæc enim sola est tacita reprehensio culparum, & sufficiens causa, nè denegetur) itaut aliud incommodum ei non resultet, nisi exclusio à Beneficio. Hoc præmisso.

Dico. In primo casu denegari non posse suffagium, & hoc ex Jure Divino connaturali ipsi Sacramento, quia aliàs redderetur odiosa Confessio, non minùs ac ex fractione sigilli. In secundo, & tertio si nulla suspicio etiam ipsi pœnitenti oriatur denegari suffragium ob Confessionem, ac proindè nulla indirecta fractio sigilli; nec aliud dedecus, aut infamia, sed sola privatio officii; cum ex hoc non reddatur Confessio odiosa, nec injustè privetur officio, cum eo revera sit indignus; denegatio suffragii non esset contra Jus Divinum, & naturale jam explicatum. Pariformiter dicendum est in amotione ab officio amovibili ad nutum, servatis omnibus prædictis circumstantiis, & in hoc casu loquuntur Gonet, & Suar. intelligendusque est S. Th. loco citat. 3. part. qui ad 3. & 4. admittit, sed cum pluribus limitationibus, posse Priorem ab Abbate officio privari (quippè nondum Jure Ecclesiastico erat veritum) & suffragium denegari. At hæc circumstantiæ in praxi raròcontingere possunt, & hæc opinio, ut dixit Bann. 2. 2. q 33. art. 8. in fine, vix potest in usum venire.

Attamen Jure Ecclesiastico, post Decr. Clem. VIII. non potest hac ratione suffragium denegari, etiam in circumstantiis positis, nec ab officio quis

amoveri: quæ Lex sancta, & justa est; quia id, quod non est per se malum, ob periculum mali potest prohiberi, ut ait Suarez loco cit. & quia facilè quisque errare posset, judicando omnes illas circumstantias adesse, cum re vera non sint.

88 Dices. Etiam admissis illis circumstantiis, uteretur Confessarius, dùm operatur ut homo, notitia, quam habet, ut Deus: cum tamen dicat Bern. *Nihil minùs scis, quàm quod ut Deus scis*. Quod est contra rationem hujus Sacramenti: ergo secluso Ecclesiastico præcepto, illa scientia uti, etiam in illis circumstantiis, est contra Jus Divinum consequens ad naturam hujus Sacramenti.

Resp. dist. antec. Uteretur notitia, &c. contra finem hujus Sacramenti, aut in præjudicium ejus, nego, non obstando fini Sacramenti, nec ullum ei præjudicium inferendo conc. anteced. & nego consequ. Nam non quilibet usus scientiæ ex Confessione acquisitæ est prohibitus Jure Divino connaturali huic Sacramento, ut patet ex communi sententia admittente in Superiore diligentiam, dum non vergat in detrimentum pœnitentis: & etiam ad effugiendam mortem, quam ex Confessione novit sibi imminere: sed ille usus, qui est in præjudicium hujus Sacramenti, quique retraheret fideles à Confessione, eamque redderet odiosam, &c. Unde, cum in illis circumstantiis hæc vitentur, non esset usus illius generis, qui huic Sacramento præjudicat, & fini, ob quem præceptum sigilli inductum est, obstaret; ac proindè non esset eo præcepto prohibitus: quare semper cum hac limitatione, quando scilicet usus illius scientiæ esset confusioni, & pudori pœnitenti docuerunt hanc sententiam DD. ut videre est apud Dian. loco cit. § *sed prorsus contrariam: &c.* Et certè quis unquàm negavit posse Confessarium loqui de auditis in Confessione, dùm personam non manifestet; nec in ejus cognitionem devenire possunt audientes? Et tamen cui non innotescit tunc uti ut hominem notitia, quam ut Deus habet? Non ergo ex hoc præcisè capite malum est.

89 Sed quæres: an Confessarius, vel Prælatus possit uti scientia ex Confessione acquisita, ad removendam pœnitenti occasionem peccati, quando ex hoc non sequitur, nec indirecta criminis manifestatio, nec aliquod aliud incommodum, sivè corpori, sivè honori, sivè bonis externis: an hæc evitatio inter gravamina pœnitentis debeat computari, quia solatio, & delectione ex actu peccaminoso proveniente privatur.

Suppono tanquàm certum ex dictis, prædictum quæsitum locum habere, quando occasio peccandi non habet annexam aliam utilitatem honestam; cujusmodi pro Religioso esset socius consuetus, qui ei ad alia peragenda negotia est valdè utilis, quæ non potest suppleri per quemcumque; officium honorificum; vel aliud quodcumque commodum annexum occasioni peccandi. Supponitur etiam in quæsito, via tàm remota, ac suavi tolli illam occasionem peccandi, ut confusionem, aut ruborèm non afferat pœnitenti, neque suspicati posset ex Confessionis notitia processisse. Similiter supponitur non posse tolli occasionem, corripiendo complicem: propter hoc enim non licere uti scientia ex Confessione acquisita; fusè, & ardenter probat Bann. loco supra cit. Casus igitur posset consimiliter evenire: Sciens Confessarius ex Confessione Titii, quænam sit ejus concubina, quæ est ei proxima occasio peccandi: post tempus occurrit ei vir nobilis quærens famulam, & Confessarius occasione discursus, laudat ei pro tali famulatu nimis aptam fore illam, quam scit esse concubinam Titii, ut ex hoc ei tollatur occasio peccandi: vel alio consimili modo.

Resp.

90 Reſp. ad quæſitum, ſtantibus omnibus prædictis limitationibus, licere Confeſſario uti notitia in Confeſſione acquiſita, ad vitandam pœnitenti occaſionem peccandi. Ratio eſt, quia in tali caſu nullum eſt periculum detectionis criminis, nec indirectè, nullum incommodum, confuſio, aut rubor pœnitenti obvenit: aliàs ipſa vitatio occaſionis peccandi, præcisè, dùm aliud honeſtum utile non habet annexum, non eſt gravamen, ſed levamen pœnitentis. Ita colligitur ex Diana loc.cit. qui admittit prædictæ ſcientiæ uſum, quando nullum præjudicium in perſona, aut honore, vel confuſio, aut rubor pœnitenti redundat: & ex aliis, qui admittunt poſſe Superiorem prudentiorem, aut vigilantiorem fieri; quos citat, & ſequitur Cand. *loco cit. art.*52. *dubit.*4.

91 Excluſo igitur prædictæ ſcientiæ uſu, non solùm, quando indirecta ſigilli manifeſtatio ſequitur, ſed etiam quando aliquod præjudicium, vel incommodum, aut detrimentum, &c. ſequitur pænitenti, ut explicatum eſt: Caſus præſentis Propoſitionis eſt (admiſſa hac Doctrina, quæ recitatur in ejus prima parte) quando ex uſu illius ſcientiæ ſequitur aliquod gravamen pœnitenti, dùm tamen ex non uſu illius ſcientiæ ſequitur aliud majus gravamen; & talis conditionis, ut hoc ſecundum comparatum priori ſit pluris faciendum; adeò ut prius eſſet contemnendum: quo caſu aſſerebat prædicta Propoſitio, licitum eſſe uti ſcientia ex Confeſſione acquiſita: & hunc caſum ab illa communi doctrina excipiebat, ſi tamen inde nulla manifeſtatio, nec indirecta Confeſſionis ſequeretur. In hoc caſu, etiam omnibus his adhibitis circumſtantiis, & limitationibus, hanc doctrinam prohibet Sacra Congregatio, tàm ne quiſque audeat illam docere, aut defendere, quàm ut ab ea in praxim deducenda Confeſſarii abſtineant.

Exemplum pro majori claritate appono: Titius confitendo ſua peccata, aperuit mihi ſuam voluntatem occidendi Cajum, ſi deinceps per ſuam domum tranſiret: poſtridie adverto Cajum illinc tranſiſſe, Titioque id exploratum fuiſſe: ex quo deprehendo parari ab ipſo arma, ut ſequenti nocte necem inferat Cajo: unde pœna mortis eſſet plectendus: ut eum à crimine, & à pœna mortis eruam, apud Magiſtratum (adeò prudenter, ut nequaquàm ex Confeſſionis notitia hoc proceſſiſſe, ſuſpicari Titius poſſit) de alio crimine, ab ipſo commiſſo, quod extra Confeſſionem noveram, accuſari facio: ob quod comprehenſus in carcerem trudetur, vel tandem exulare cogetur.

92 In hoc, & conſimilibus caſibus, licere, ajebat prædicta Propoſitio, uti ſcientia ex Confeſſione acquiſita: in eo tamen, & ſimilibus prohibetur à Sac. Congreg. præfatæ ſcientiæ uſus. Et meritò: nam per hoc redderetur Sacramentum Pœnitentiæ odioſum, oneroſum, & à Confeſſione homines averterentur, dum ex eo ſumi occaſionem poſſe ſciant, ut aliquid mali patiantur, vel aliquod gravamen ſuſtineant: unde fieret injuria Sacramento; & hæc doctrina eſſet periculoſa, & nociva honori, ac religioni Sacramenti.

Nec obſtat, ita Confeſſarium illa ſcientia uti, ut nec ipſe pœnitens ſuſpicari poſſit ex Confeſſione illud malum originem duxiſſe.

Non, inquam, obſtat: ut enim homines à tam ſalubri, ac neceſſario retrahantur Sacramento, ſufficit, ut ſciant talem doctrinam extare, & Confeſſarios eam ſequi poſſe.

Tùm etiam quia, hac doctrina tolerata, & admiſſa, facilè indè quiſque uteretur ſcientia ex Confeſſione comparata pro evitando malo communi, ac Reip. etiam ſi mors pœnitentis ſequeretur, ſic enim diſcurrere poſſet:

Sicuti ob majus malum pœnitentis avertendum, licitum est uti scientia; etiamsi ipsi minus malum immineret, & sequeretur, quia hoc est contemnendum comparativè ad illud; ita est contemnendum malum particularis, comparativè ad bonum commune, & ipsemet pœnitens, sicuti malo proprio minori sustinendo esset paratus, ad majus vitandum: ita rationabiliter, bonum Reip. proprio præferre debet; ergo sicuti licet in illo primo casu, ita in secundo. Similiter alii ad alios casus prædictam Doctrinam extenderent; sicque Sacramentum Pœnitentiæ redderetur valdè noxium, ac proindè odiosum; & formidabile: eradicanda igitur radix, nè alia mala pullularent; cum in hac materia potiùs restringi debeat, ut faciliùs, & confidentiùs ad tàm necessarium, ac salubre Sacramentum accedant homines.

93 Dices. Communiter admittitur usus hujus scientiæ sine revelatione, & gravamine pœnitentis: atqui in præsenti nullum est gravamen pœnitentis in casu posito: ergo, &c. prob. minor; nam licèt sit aliquod gravamen, attamen comparativè ad majus, non est censendum gravamen, sed levamen à majori.

Resp. negando minorem: ad cujus probationem dico, quòd licèt in se, & absolutè, minus malum esset levamen comparativè ad majus, tamen non ita est in hominum existimatione, qui pluris faciunt malum leve aliundè illatum, quàm grave, quod spontè incurrunt: minùs libenter ferunt, quod *invitis ipsis accidit*, quàm quodcumque ex suis actionibus sequutum. Unde rationabiliter conquærerentur de malo, ratione Confessionis obveniente, quia revera in se malum est, licèt comparativè sit levamen. Tùm etiam propter secundam rationem adductam, quia si hoc sciant, existimantes ad alios casus Confessariorum ingenio extendi posse Doctrinam illam, ab hoc Sacramento maximè abhorrerent. Optimè igitur, & satis rationabiliter prohibetur, ac sine aliqua hæsitatione, hujusmodi prohibitio est acceptanda.

LAUS DEO

I N-

INDEX

Casuum, qui in hoc opere resolvuntur.

Prior numerus paginam, secundus verò numerum in Propositione significat.

ABORTUS.

ABSOLUTIO.

CH A-

CHARITAS.

COMMUNIO.

COMPENSATIO.

CONFESSARIUS.

CONFESSIO.

CONJUGIUM.

CONSCIENTIA.

CONTRACTUS.

CRIMEN.

DECRETUM.

DEFENSIO.

DETRACTIO.

DIGNUS.

ELEEMOSINA.

EQUIVOCATIO.

EUCHARISTIA.

FAMULUS.

FESTUM.

FIDES.

FOR-

FORNICATIO.

FURARI, ET FURTUM.

GAUDIUM.

GULA.

IDOLUM.

JEJUNIUM.

IGNORANTIA.

INFIDELITAS.

INTENTIO.

INVIDIA:

JUDEX.

JUDICIUM.

JURAMENTUM, ET JURARE.

MORS.

Mutuatur. Vide v. *Usura*.

NECESSITAS.

OCCASIO.

OCCISIO.

OFFICIUM.

OPINIO.

PARENTES.

PAROCHUS.

PERIURIUM.

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

PRÆCEPTUM.

PROXIMUS.

Nemo

R E S T R I C T I O.

R E S T I T V T I O.

S I M O N I A.

SIMULATIO. SACERDOS.

TESTIS.

TRISTITIA.

VOLUNTAS.

VOTUM.

USURA.



INDEX, SEU SUMMARIUM

Capitum, quæ in Appendice continentur.

FINIS.